UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

urn:nbn:de:hbz:466:1-94595

Visual Library

Th. 914a.

G. V 11
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DECISIONES
DE MATRIMONIO
JOANNIS CLERICATI
PRÆPOSITI PATAVINI

Juris Utriusque Doctoris, olim in Curia Episcopali Patavina Advocati, Promotoris Fiscalis, deindè Auditoris, ac demùm Vicarii Generalis.

IN QUIBUS

Ex studio, ac Responsis Cleri Patavini ad Casus per eum propositos, Litterarii Exercitii causâ, jussu S. M. Eminentissimi, ac Reverendissimi D. D.

GREGORII CARDINALIS BARBADICI
EPISCOPI PATAVINI

Ampliſſima MATRIMONII Materia reſtricta, ſed clarè, & integrè explicata continetur, ac præcipuæ Quæſtiones à Theologis, Canoniſtis, & Sacræ Scripturæ Interpretibus agitatæ recenſentur, examinantur, atque reſolvuntur: innumeris propè Hiſtoriis, Exemplis, Eruditionibuſque additis, & inſertis.

OPUS

Epiſcopis, Vicariis, Parochis, Confeſſariis Sæcularibus, & Regularibus, aliiſque Studioſis omnibus utile, ac jucundum.

Tomi ſecundi Liber ſextus.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Sumptibus MARTINI HAPPACH & FRANC. XAV. SCHLÜTER
MDCCXXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORIS AD VENERANDUM

CLERUM PATAVINUM

ATQUE

STUDIOSOS LECTORES

PARENÆSIS.

EN, Venerandi Animarum Pastores, ac amplissimæ hujus Diœcesis Patavinæ Confessarii, cæterique Studiosi omnes, novam, quam enititur, post unius Anni curriculum, calamus meus Prolem; DECISIONES scilicet DE MATRIMONIO, Opus è præcipuis studiis Vestris, iisdem dum ego præessem, collectum, atque compactum. Jure vocabo istud BENIAMIN, idest in senectute genitum, charissimum, ac eximiis præditum qualitatibus, quibus adornatum ipsum Vobis exhibeo, atque diligendum fore ab omnibus valdè confido. Utique, inter cæteras meas DECISIONES, has Utiliores, ac, Gratiosiores autumo: in eis enim, solitâ brevitate, ac claritudine servatâ, quidquid egregius ille Doctor THOMAS SANCHEZ se per multos annos, ac assiduis laboribus, in Libris decem de MATRIMONIO congessisse, ac diuturnâ commentatione enodasse profitetur, ego restrinxi. Utiliores dico, quia non ea tantum, quæ ad essentiam MATRIMONII, sivè ut Contractus, sivè ut Sacramenti, speculativè attinent, explicantur: sed etiam practicè Impedimenta omnia recensentur; circa quæ versatissimi esse debent Parochi, & Confessarii singuli, quorum plures, non rarò, evadunt inscii, prout sæpè reperiebam, dum ad me accedentes pro licentia audiendi Confessiones (Episcopium hoc, vigilantissimis, gloriosæ memoriæ, Heris meis GEORGIO CORNELIO seniore, atque GREGORIO CARDINALI BARBADICO, ejus Successore regentibus) attentè, ac nervosè examinabam. Utiliores iterùm DECISIONES has assevero; siquidem non solius conscientiæ internum Forum ipsa juvant; sed etiam externum, & contentiosum; cujus est Sponsalium frequentes altercationes dirimere; ac Divortiorum molestas, & difficiles causas judicare, circa quas non Theologorum tantùm, sed Jurisperitorum magis excellentium, atque ipsius Romanæ Rotæ sententias, & doctrinas Advocati, & Judices obvias habebunt. Gratiosiores postea Studiosis omnibus illas promitto, quos eruditiones, Historiæ, ac antiquorum exempla delectant: his enim plurimis referta procedunt; & ne tædio sint legentibus se se offerunt ornatas. Librum itaque hunc consuetâ excipite humanitate; ac meum in Vos antiquum, & constans obsequium ratum, & gratum habentes, pro iis, quæ mihi remanent typis danda, robur adjicite: & Valete.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. F. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquisitore nel Libro intitolato: *De Matrimonii Sacramento Decisiones, Auctore Jo: Clericato*, non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & præsentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 24. Zugno 1706.

Gio: Lando Kav. Proc. Reform.
Sebastiano Foscarini Kav. Proc. Reform.

Agostino Gadaldini Segret.

INDEX ARGUMENTORUM DECISIONUM.

DECISIO I. *Argumentum.*

Ad intelligentiam hujus Tractatus, docetur, Matrimonium considerari vel tanquam simplicem contractum, vel simul etiam tanquam Sacramentum. Item vel in fieri, vel in facto esse. Tanquam contractus est de jure Naturali, Gentium, & Civili; cui à Christo addita est dignitas Sacramenti. Hæreticorum objectiones, ac solutiones. Quando, & quo loco Matrimonium factum sit Sacramentum; Opiniones quinque. Ejusdem quadruplex Nomenclatura variis eruditionibus explicata.

DECISIO II. *Argumentum.*

Definitur Matrimonium tanquam contractus tum *in fieri*, tum *in facto esse*. Innuitur obligatio genitorum alendi proprios filios: & ad quid teneantur, qui mittunt illos ad Hospitale *Domus Dei?* Inquiritur, in quo consistat essentia contractus Matrimonialis? Ostenditur septem rationibus, copulam actualem non esse de ejus essentia; idque confirmatur Exemplis Conjugum, qui in Matrimonio Virginitatem, & Castitatem perpetuam servarunt.

DECISIO III. *Argumentum.*

Disputatur famosa Quæstio, An inter DEIPARAM, & S. JOSEPH intercesserit verum Matrimonium, an sola Sponsalia? Præmissa tria, de educatione B. M. V. in Templo; de ejus Voto perpetuæ Virginitatis, quod omnium prima emisit; & de modo, ac tempore, quo fuit S. Joseph desponsata. Quod hæc fuerint tantùm Sponsalia, rationes sex, ac SS. Patrum dicta. E contra, quod fuerit verum Matrimonium, rationes septem, ac SS. Patrum testimonia. Solutio rationum in contrarium adductarum, & declaratio SS. Patrum. An Votum

per-

perpetuæ Virginitatis stare possit cum Matrimonio? Tandem plura de ætate, excellentia, ac Patrocinio S. JOSEPHI.

DECISIO IV. *Argumentum.*

Definitur Matrimonium tanquam Sacramentum, & de eo quinque curiosa, sed utilia dubia resolvuntur. Videlicet: 1. An ante Legem Evangelicam Matrimonium fuerit Sacramentum in omni populo? 2. An illud Infidelium, dum baptizantur, fiat Sacramentum? 3. An illud fidelis cum infideli? 4. An illud duorum fidelium, si ipsi intendant facere solum contractum, non autem Sacramentum? Et 5. Quid de Matrimonio contracto per Procuratorem, vel per Epistolam? Referuntur Matrimonia Clodovei Regis Franciæ de Anno 494. & Leopoldi Imperatoris de Anno 1665.

DECISIO V. *Argumentum.*

Inquiritur, Quænam sit Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii? Referuntur octo opiniones diversæ; quarum tres ultimæ tanquam magis probabiles commendantur. Videlicet, quòd Materia vel sit contrahentium corpora; Forma eorum traditio per verba, aut nutus æquivalentes. Vel quòd consensus Conjugum sit Materia: Ejusdem verò consensus expressio verbalis sit Forma. Vel quòd Materia, & Forma sint Verba contrahentium sub diverso tamen respectu: nempè Materia dum traditionem corporum; Forma, dum eorumdem corporum receptionem exprimunt. Tandem ostenditur, An Muti, & Surdi à nativitate possint contrahere Matrimonium; seu in Religione profiteri?

DECISIO VI. *Argumentum.*

Agitur de Ministro Sacramenti Matrimonii; & examinatur, An sit Sacerdos, vel ipsi Conjuges? Rationes sex pro Sacerdote, quæ tamen evacuantur. Aliæ septem pro Conjugibus, quæ illos veros esse Ministros hujus Sacramenti comprobant. Sacerdotis autem verba ad solam benedictionem deservire. Conjuges usque ab initio Ecclesiæ coram proprio Sacerdote solitos fuisse contrahere, ab eo benedici, & in Missa communicari ostenditur. Tandem varii, ac curiosi Ritus Romanorum, Gentilium, ac Hebræorum in eorum Matrimoniis ineundis referuntur.

DECISIO VII. *Argumentum.*

Explicatur indissolubilitas Matrimonii; & pro ejus intelligentia repetitur illa divisio, quòd Matrimonium aliud dicitur tantummodò Ratum; aliud verò Ratum, & Consummatum simul. Proponuntur, & solvuntur quatuor curiosa dubia, sed scitu necessaria, circa consummationem Matrimonii. Ostenditur Matrimonium consummatum esse indissolubile, & hanc indissolubilitatem provenire tum à Jure Divino, tum à Jure Naturali pluribus rationibus comprobatur. Objecta quatuor contra has rationes. Resolvitur objectum primum; aliorum trium ad sequentes Decisiones resolutione dilata.

DECISIO VIII. *Argumentum.*

Contra indissolubilitatem Matrimonii, quam esse diximus etiam de Jure naturali, adducuntur exempla antiquorum, à quibus eorum Conjugia fuerunt soluta, & Uxores repudiatæ; nempè Agar ab Abrahamo, Philisthea à Samsone, Michol à Davide, Vasthi à Rege Assuero, & plurimæ aliæ à Romanis, simulque à Sinensibus, ac à Turcis. Respondetur ad prædicta Exempla, & ostenditur, ea nihil concludere pro Matrimonii solubilitate, etiam de Jure naturæ. Tandem quæritur, & resolvitur, An Matrimonia Infidelium, cum facultate repudii inita, sint valida? Et An sic contrahentes peccent?

DECISIO IX. *Argumentum.*

Sex sunt, de quibus differit hæc Decisio circa Libellum Repudii, quo Judæi dimittebant Uxores suas, *ex Deuteron. 24. 1.* Videlicet, Quænam esset Formula e usdem Libelli? & quibus cæremoniis daretur? An per ipsum solveretur Vinculum Matrimonii? An fieret absque culpa? Quibus de causis Uxores dimitterentur à Maritis? An ipsæ possent Maritos dimittere? Et an in præsenti licitum sit Repudium Uxorum inter Judæos, & alios infideles? Hæc omnia Juribus, Rationibus, Patrum Auctoritatibus, atque Historiis enucleantur.

DECISIO X. *Argumentum.*

Contra supra firmatam indissolubilitatem Matrimonii objiciuntur exempla septem Regum, ac Principum Christianorum, qui dimissis primis Uxoribus, iisdem viventibus, alias sibi conjunxerunt. Item Canones quinque Pontificum, & Lex Justini Imperatoris, in quibus censetur permissa solutio primi Matrimonii quo ad Vinculum. Pariterque Verba Christi, *Matth. 19. 9.* quæ videntur concedere ejusdem Vinculi solutionem. Refutantur supradicta exempla tanquam impia. Declarantur prædicti difficillimi Canones; & ostenditur in Verbis Christi, *Matth. 19. 9.* concedi dimissionem Uxorum, causa fornicationis, quoad thorum, & cohabitationem tantùm, non autem quoad Vinculum Matrimonii, quod in Lege Evangelica est omninò indissolubile; duobus tantùm Casibus exceptis, de quibus in Decis. seqq.

DECISIO XI. *Argumentum.*

Etsi Matrimonia Infidelium sint insolubilia; ea tamen, etiam consummata, si unus conjux convertatur ad Fidem, dissolvi posse ex Christi dispensatione, in favorem Fidei concessa, ostendit hæc Decisio. Circa quam solutionem quatuor gravissima Dubia examinantur, & resolvuntur. 1. Quo tempore prædicta solutio fiat? 2. An Conjux infidelis sit priùs monendus, ut se convertat? 3. Quid agendum si infidelis non reperiatur? vel ob nimiam distantiam moneri non possit? 4. An Conjux fidelis teneatur cohabitare cum infideli nolente se convertere, sed offerente secum vivere absque injuria Creatoris, & sine pertractione ad peccatum?

DECISIO XII. *Argumentum.*

Enucleantur alia novem Dubia circa infidelium conversorum Matrimonia; & præcipuè, An dissolvantur per novas Nuptias infidelis? vel per Professionem Religiosam fidelis? aut per ejus Novitiatum, aut per Ordinationem in Sacris, seu per Pontificiam Dispensationem? Quid agendum, si conversus ad fidem plures habeat Uxores? Ejus Filii cujus erunt? Uxor obstinata infidelis, an possit repetere Dotem à converso Marito fideli? Et an filii eorum Legitimam? una cum aliis curiosis Quæsitis.

DECISIO XIII. *Argumentum.*

Tradita nominis *Professionis* varia significatione, ac Professionis Religiosæ divisione, & definitione, ostenditur, hanc ei inesse virtutem, ut vinculum Matrimonii Rati, nondum consummati, solvere valeat. Referuntur decem Canones Pontificum, & Conciliorum sic affirmantes.

Inquiritur, Quo Jure data sit talis potestas Religiosæ Professioni? Recensentur tres opiniones diversæ; quibus additur quarta, demonstrans hanc potestatem esse ei datam à tribus Juribus, Divino, Naturali, ac Pontificio, non separatis, sed simul junctis. Additur ratio hujus potestatis; & ex ea deducuntur quinque illationes scitu necessariæ, pro prædicta solutione Matrimonii Rati per Professionem Religiosam obtinenda.

DECISIO XIV. *Argumentum.*

Referuntur Exempla XIV. Virorum, ac desponsatarum Virginum, à quibus per Regularem Professionem soluta fuerunt eorum Matrimonia Rata. Inter hæc illud S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ, quem fuisse Sponsum in Nuptiis Canæ Galilææ plenè comprobatur. Ulterius illud S. Theclæ, S. Cæciliæ, S. Euphrasiæ, S. Alexii Confessoris, Theonæ Abbatis, ac aliorum, Circa prædicta Exempla plures recensentur eruditiones, atque doctrinæ, præcipuè circa triplicem significationem nominis Religionis. Ostenditur, SS. Apostolos fuisse vere Religiosos professos. Sanctimoniales olim solitas fuisse degere tam in cœnobiis, quam in domo paterna. Extitisse aliquos Religiosos gyrovagos; & alia jucunda, utilia, ac scitu digna.

DECISIO XV. *Argumentum.*

Disputatur gravissima illa Quæstio, Utrùm Papa habeat potestatem dispensandi, & dissolvendi Matrimonium ratum, nondum consummatum? Pro negativa (quæ rejicitur) adducuntur rationes decem, ac Doctores plures eam tenentes. Pro affirmativa aliæ magis ponderosæ rationes allegantur; ac exempla plurima recensentur dispensationum à Summis Pontificibus per sexcentos continuos annos pro dissolvendis Matrimoniis ratis concessarum. Causam tamen justam esse necessariam ostenditur; & quæ sint justæ causæ, demonstratur. Multæ eruditiones perpulchræ inseruntur; & alia dubia, hanc Quæstionem concernentia, elucidantur.

DECISIO XVI. *Argumentum.*

Præmissa duplici significatione, atque Etymologia hujus vocis *Sponsalia*, nec non nominum *Sponsi*, *& Sponsæ*, traditur definitio Sponsalium, eorum totam essentiam demonstrans. Declarantur singula verba definitionis, & plurimæ Quæstiones circa validitatem Sponsalium excitantur, ac resolvuntur. Recensentur gratiosæ eruditiones, præcipuè de Sponsalitiis muneribus Isaaci, ac Davidis: nec non de Annulis pronubis S. Annæ Matris Genitricis Dei; ipsiusque DEIPARÆ, ac aliarum Sacrarum Virginum. Item de usu osculandi Sponsam in Sponsalibus. Tandem notantur tres effectus à Sponsalibus validis provenientes.

DECISIO XVII. *Argumentum.*

Solubilia esse Sponsalia, etsi jurata, superveniente aliqua justa causa, præsens Decisio ostendit. Recensentur omnes, & singulæ causæ, à DD. approbatæ, pro Sponsalium dissolutione. In earundem causarum explanatione plura curiosa dubia, & Quæstiones scitu necessariæ circa Sponsalia dissolvenda, excitantur, & resolvuntur; atque hujusmodi materia Historiis, Exemplis, Medicorum Aphorismis, ac Rotalibus Decisionibus illustratur.

DECISIO XVIII. *Argumentum.*

Præmissa Impedimentorum Matrimonialium Definitione, Etymologia, ac Divisione in impedientibus tantùm; & in dirimentibus; & quod impedientia statui possunt etiam à singulis Episcopis, & à Principibus Laicis; circa dirimentia ostenditur, eorum inductionem provenire tantùm vel à Summo Pontifice, vel à Conciliis Generalibus, vel à Legitima consuetudine; non etiam ab Episcopis, neque à Laica Potestate. Refertur Historia nullitatis Matrimonii Ducis Aureliæ, vulgò *d'Orleans*, Fratris Ludovici XIII. Regis Galliæ de Anno 1634. tanquam contracti sine consensu ipsius Regis: & circa eandem, ac circa Matrimonia filiorum familias plura notatu digna ponuntur ex Caramuelis, ac Tonduti relationibus. Tandem, An consuetudo possit abrogare impedimenta? Et an his decentus peccet contrahendo.

DECISIO XIX. *Argumentum.*

Explicatur primum Impedimentum dirimens, quod vocatur ERROR, data ejus divisione, quòd sit vel circa substantiam Personæ, vel circa Qualitatem. Error circa Personam dirimit Matrimonium, ut de Lia ducta pro Rachele à Patriarcha Jacob. Sub nomine ERRORIS ostenditur venire Stultitiam, & inter stultos connumerari nimiùm Amantes, ac Ebrios, quorum Matrimonia quando nulla sint, demonstratur. Idemque docetur de Impuberibus. De ERRORE qualitatis personæ, & quando irritet conjugium? per varias Regulas, & Exempla à DD. sumpta, plenè, ac docte disseritur.

DECISIO XX. *Argumentum.*

Agitur de Impedimento dirimente quod vocatur *Conditio*; & ostenditur, illud esse duplex: Unum Conditionis servilis: Alterum ob conventiones, seu pacta, sub quibus potest Matrimonium iniri. Declaratur primum, præmissa origine servitutis, ac servorum, nec non eorum fine apud nos Christianos. Explicatur Secundum per quatuor genera conditionum; & clarè, ac facile docetur, quando prædictæ omnes conditiones irritent Matrimonium; vel ipsæ irritentur.

DECISIO XXI. *Argumentum.*

Præmissis variis significationibus Voti, ejusdem definitione, ac multiplici divisione, ostenditur, Votum solemne Castitatis, vel in Religione, vel in Sacrorum Ordinum susceptione emissum, esse Impedimentum dirimens Matrimonium. Referuntur duodecim Vota Hebræorum, qui tamen nunquam vovebant Castitatem, ita ut DEIPARA fuerit prima, quæ eam voverit. Inquiritur, Quo Jure Votum solemne Castitatis dirimat Matrimonium? & Quo tempore sit institutum hoc Impedimentum? Tandem firmatur, posse Summum Pontificem in Votis solemnibus Castitatis ex justa causa dispensare.

DECISIO XXII. *Argumentum.*

Declarat præsens Decisio impedimentum dirimens *Cognationis Naturalis*, tradita ejus definitione, ac explicatione *Stipitis*, *Lineæ*, *& Graduum*, cum tribus regulis pro eorum computatione. Docet usque ad quem gradum Cognatio Naturalis dirimat Matrimonium de Jure Canonico? An de Jure naturæ prohibitum sit Matrimonium in primo gradu, tàm in linea rectà, quàm in linea laterali? In quibus gradibus utriusque Lineæ possit Papa dispensare? Ponuntur Exempla & Historiæ circa dictas Quæstiones. Pœnæ, & punitiones Copulæ incestuosæ. DE-

Index Argumentorum Decisionum.

DECISIO XXIII. *Argumentum.*

Declaratur, quid sit Cognatio Spiritualis dirimens Matrimonium, & à quo Jure procedat? Ostenditur, A quibus contrahatur personis? Et in his quæ requisita sint necessaria ad eam contrahendam? Explicantur plurimi casus, in quibus, vel ex DD. placito, vel ex declarationibus Sacræ Congregationis contrahitur, vel non, à Patrinis ipsa Cognatio? Referuntur pœnæ, & punitiones ex Sacris Canonibus, & ex Historiis contra Cognatos Spirituales, qui inter se contraxerant Matrimonium.

DECISIO XXIV. *Argumentum.*

Ad intelligentiam *Cognationis Legalis*, quæ est Impedimentum dirimens Matrimonium, proveniens ex Adoptione, traditur plena, ac perfecta explicatio ipsius Adoptionis. Hæc dividitur in Divinam, & Humanam. Humana subdividitur in perfectam, & in imperfectam; id est in Arrogationem, ac simplicem Adoptionem, atque definitio, differentiæ, & effectus ponuntur utriusque. Historiis, ac Exemplis probatur, Adoptionem esse inventam de Jure Gentium, instauratam de Jure Civili, & approbatam de Jure Canonico pro Impedimento Matrimonium dirimente. Declarantur tres Lineæ, seu species ejusdem Cognationis Legalis, ac quomodo, & quando eadem dirimat Matrimonium? Tandem An Papa dispenset in illa?

DECISIO XXV. *Argumentum.*

Impedimentum *Criminis* dirimens Matrimonium exponit hæc Decisio. Illud ab Ecclesia esse introductum demonstrat: ideò Conjugium David cum Bersabea hac nullitate non laboravit; imò nec hoc Crimine dirimente fuit affectum. Ponuntur quatuor Casus, in quibus patratur hoc Crimen; & recensentur conditiones necessariæ, ut per illud irritetur Matrimonium. Historiæ Uxorum adulterantium, ac Viros suos occidentium; punitionesque Divinæ Justitiæ in easdem, & alios adulteros.

DECISIO XXVI. *Argumentum.*

Tractat hæc Decisio de Impedimento *Disparitatis Cultus*, Matrimonium dirimente. Demonstrat Juribus, Rationibus, Historiis ac Exemplis, illud provenire non à Jure Naturali, non à Jure Divino, non à Jure Ecclesiastico scripto; sed à Consuetudine per Ecclesiam approbata. Docet, Matrimonia inter Catholicos, & Acatholicos esse quidem illicita, sed tamen valida. Leonardi Lessii eximii Theologi Soc. Jesu monita Spiritualia septem; & ejus mortis tempus.

DECISIO XXVII. *Argumentum.*

Continet hæc Decisio, quidquid dici potest, aut sciri debet de Impedimento, Matrimonium dirimente, *Vis*, & *Metus*. Harum vocum Etymologia, definitione, ac divisione præmissis, explicatur, Quo Jure Metus gravis dirimat Matrimonium? & Quot conditiones requirantur, ut Metus dicatur gravis, cadens in constantem Virum? Resolvitur, An Metus reverentialis? An blanditiæ, & preces importunæ? An Metus incussus à causa naturali? vel ab homine ex justa causa illatus reddat Matrimonium nullum? Item Utrùm hoc revalidari possit Juramento? Vel copula carnali subsequente? In quibus omnibus per exempla, ac DD. punctuales doctrinas tota Metus materia clarè, ac juridicè declaratur.

DECISIO XXVIII. *Argumentum.*

Ostendit hæc Decisio, irrita esse Matrimonia contracta ab Ordinatis in Sacris; & quibus pœnis iidem sic contrahentes afficiantur? E converso docet, Uxoratum posse ordinari in Sacris, quinque tamen concurrentibus conditionibus. Agitur de causis, ob quas Papa possit dispensare, ut Ordinatus in Sacris Uxorem ducat. Exempla hujusmodi Dispensationum, & præcipuè de Anno 1690. sub Alexandro VIII.

DECISIO XXIX. *Argumentum.*

Ad explicationem Impedimenti *Ligaminis*, Matrimonium dirimentis, recensentur omnia, quæ à Theologis, Canonistis, & Historicis traduntur de Polygamia, & Polyviria. Harum Vocum derivatione, divisione, ac definitione præmissis, refertur apud quas Nationes utraque fuerit in usu? Disputatur, An Polygamia, & Polyviria prohibitæ sint omni Jure, Divino, Naturali, Canonico, & Civili? Inquiritur, Utrùm peccaverint Patriarchæ antiqui, ac alii Hebræi Polygami? Quomodo potuerit Deus cum illis circa Polygamiam dispensare? Martini Lutheri, ac ejus discipulorum impium Votum, & Consilium datum in scriptis Landgravio Hassiæ, ut vivente prima Uxore, secundam duceret. Quibus pœnis Polygami sint plectendi? Bigamia, ac Biviria an sit licita? Mors primi conjugis quomodo sit probanda pro secundo Matrimonio contrahendo? Historiæ, Exempla, ac Jurium declarationes ad ornatum materiæ.

DECISIO XXX. *Argumentum.*

Publicæ Honestatis justitia, quæ dirimit Matrimonium, in hac Decisione declaratur. Ostenditur, eam esse inductam ab Ecclesia; & oriri vel ex Sponsalibus validis, vel ex Matrimonio Rato. Ex illis per Concilium Tridentinum dirimere Matrimonium in primo gradu tantùm: ex isto, usque ad quartum. Referuntur octo casus, in quibus Sponsalia sunt invalida, & ex eis non oritur Publica Honestas. Exempla aliquorum, qui ante pubertatem genuerunt filios. Quæ sint exponenda Papæ pro impetranda dispensatione super hoc impedimento Publicæ Honestatis.

DECISIO XXXI. *Argumentum.*

Explicatur exactissimè, Quid, & Quotuplex sit *Affinitas*? Et inter quas personas ejus impedimentum dirimens contrahatur? Ostenditur, tria *Affinitatis* genera olim fuisse: nunc Unum tantùm, duas tamen lineas Rectam, & Transversalem complectens. Docetur, Affinitatem ex copula licita impedire, & dirimere Matrimonium inter Affines, in utraque linea, usque ad quartum gradum inclusivè: Ex copula autem illicita usque ad secundum. Disputatur, Quo Jure *Affinitatis* Impedimentum sit introductum? Et an de Jure Naturali sit prohibitum Matrimonium in primo gradu utriusque lineæ inter eosdem Affines? Tres sententiæ referuntur innixæ rationibus, Canonibus, Historiis, & Exemplis. Eligitur sententia negativa in utraque linea; eaque, ultra fortes rationes, fulcitur variis Dispensationibus Apostolicis, in primo gradu lineæ transversæ concessis. Tandem decidiur, An Episcopus, & Confessarii Regulares possint dispensare cum Affinibus incestuosis ad petendum debitum?

Index Argumentorum Decisionum.

DECISIO XXXII. *Argumentum.*

Impedimentum *Impotentiæ* dirimens Matrimonium in præsenti Decisione explicatur. Quid, & quotuplex sit hæc *Impotentia?* ostenditur. Quando, & quomodo per eam dirimantur conjugia? Docetur, decem esse personas ad Matrimonium validè contrahendum impotentes, nempè: 1. Nimis frigidas. 2. Nimis calidas. 3. Defectum in veretro patientes. 4. Excessum in eodem portantes. 5. Arctas mulieres. 6. Maleficiatos. 7. Impuberes. 8. Senes. 9. Eunuchos. 10. Hermaphroditos. Prædictorum omnium Matrimonia quando invalida sint censenda, & quomodo sint irrita declaranda? Theologorum, Canonistarum, ac Medicorum eximiis doctrinis demonstratur, atque Rotalibus Decisionibus, & lepedis Historiis, ac Exemplis definitur.

DECISIO XXXIII. *Argumentum.*

De Impedimento dirimente, *Si Rapta sit Mulier* differit hæc Decisio. Raptus vel est Ecstasis mentis in Deum; vel est Crimen, per vim auferens aut bona, aut mulieres alienas. Tria jura Canonica punientia mulierum Raptores. Ex Tridentino Concilio Matrimonium esse non potest inter Raptorem, & Raptam, nisi hæc in loco tuto posita liberè consentiat. Resolvuntur novem difficultates, scitu omninò necessariæ circa decretum ejusdem Concilii. Tandem per Historias, mala ex Raptu mulierum proventia demonstrantur.

DECISIO XXXIV. *Argumentum.*

Ad tollenda clandestina Matrimonia, duo adhibita sunt remedia à Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de Matrim.* Unum, quod præmittantur Denunciationes à Parocho: Alterum, quod ad ejus præsentiam, duorumque, aut trium testium, Matrimonium celebretur. De necessitate earundem Denunciationum agitur in Decisione præsenti, & docetur, quibus loco, & tempore sint faciendæ? ac quando obligent sub mortali scientes Impedimentum, ad illud revelandum? Ostenditur, à quibus Denunciationes possint remitti? Et quibus de causis? Tandem conditiones traduntur, sub quibus Papa dispensat super Impedimento, quando omissæ fuerunt Denunciationes.

DECISIO XXXV. *Argumentum.*

De necessaria præsentia proprii Parochi, ac duorum saltem Testium agitur in hac Decisione pro Matrimonii validitate. Explicatur Quis sit proprius Parochus? Et qui alii veniant ejus appellatione? Utrùm Abbates, & Archipresbyteri habentes Parochiales unitas, ac de Mensa, possint in eis tanquam Parochi assistere Matrimoniis? Delegatio alterius Sacerdotis, Cui, à Quo, & Quomodo sit facienda? Requisita tria, ut contrahentes Matrimonium dicantur esse de illa Parochia? Quibus in locis, & à quibus Personis servandum sit Decretum Tridentini Concilii de præsentia Parochi, & testium. Circa omnia prædicta referuntur Casus recentes, ac curiosi resoluti tum S. Congregationis Concilii Declarationibus, tum Decisionibus S. Rotæ Romanæ.

DECISIO XXXVI. *Argumentum.*

Præter quatuordecim Impedimenta, Matrimonium dirimentia, omnibus nota, ostenditur, duo alia reperiri: Unum in Ecclesia Latina, quod est Interdictum Judicis cum Decreto irritante ob aliquam urgentem causam; qualis est defloratio Sponsæ: Aliud in Ecclesia Græca, si conjugium quarta vice ineatur. Canones, Rationes, ac Doctores allegantur circa facultatem Judicis prohibendi Matrimonium sub pœna nullitatis ante expeditionem litis. Jura contraria resolvuntur, & Doctores circa hoc discrepantes concordantur.

DECISIO XXXVII. *Argumentum.*

Explicantur duodecim Impedimenta, quæ impediunt, sed non dirimunt Matrimonium. Eorum prima quinque in Religionis Christianæ obsequium; alia septem in pœnam gravissimorum criminum introducta fuisse ostenditur. Plura dubia circa eorum intelligentiam obligationem, ac dispensationem à Doctoribus excitata, & scitu omninò necessaria, resolvuntur.

DECISIO XXXVIII. *Argumentum.*

De Usu Matrimonii quinque Quæstiones proponuntur, & examinantur, ad cognoscendum, An sit Actus bonus? cadatque sub præcepto? Quatuor circumstantiæ recensentur à Conjugibus in copula maritali servandæ; ideò Finis, Temporis, Loci, ac Modi, circa quas, aliosque actus inhonestos, Uxoratis permissos, strictim, ob ruborem, docetur quidquid latè à Moralistis de iisdem tractatur. S. Francisci Salesii, atque S. Ephrem effata pia, sed energetica.

DECISIO XXXIX. *Argumentum.*

Divortii Etymologia, Definitione, ac Divisione præmissa, agitur de causis quibus Divortium inter conjuges fieri potest quoad Thorum, & Habitationem. Omnes causæ reducuntur ad quatuor genera, nempè ad Devotionem, ad Contagionem, ad sævam Tractationem; & ad spiritualem, ac corporalem Fornicationem. Explicantur in specie causæ omnes, quæ sub his generibus continentur: & ostenditur, Qua Auctoritate fieri debeat Divortium? Et quibus pœnis Conjuges eidem causam dantes afficiantur?

DECISIO XL. *Argumentum.*

Disseritur de Dispensationibus Matrimonialibus super Impedimentis dirimentibus, tam pro Foro externo, quàm pro Foro interno. Circa primas, referuntur duodecim Notabilia, à Vicariis, ac Ministris Episcopalibus omnino scienda, ac observanda pro recta Matrimonialium dispensationum expeditione. Circa secundas, declarantur totidem Clausulæ existentes in Literis Sacræ Pœnitentiariæ, ut ex earum notitia, ac perfecta intelligentia Confessarii, tam Sæculares, quàm Regulares, ritè, ac rectè valeant dispensare in Impedimentis occultis, atque Literis S. Pœnitentiariæ punctualem executionem dare.

DE-

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

DECISIO I.

ARGUMENTUM.

Ad intelligentiam hujus tractatus, docetur, Matrimonium considerari, vel tanquam simplicem contractum, vel simul etiam tanquam Sacramentum. Item vel in fieri, vel in facto esse. Tanquam contractus est de jure Naturali, Gentium, & Civili; cui à Christo addita est dignitas Sacramenti. Hæreticorum objectiones, ac solutiones. Quando, & quo loco Matrimonium factum sit Sacramentum? Opiniones quinque. Ejusdem quadruplex Nomenclatura variis eruditionibus explicata.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium consideratur & ut contractus civilis, & ut Sacramentum.*
2 *Item aliud in fieri, aliud in facto esse.*
3 *Matrimonii contractus sex requisita.*
4 *Copula carnalis an sit de essentia contractus Matrimonii?*
5 *Contractus Matrimonii est de Jure Civili, Gentium, ac Naturæ.*
6 *Contractus Matrimonii quando habuit initium?*
7 *Copula maritalis an ante peccatum Adæ esset sine delectatione Venerea?*
8 *Hæretici, qui docebant Matrimonium esse rem malam.*
9 *Deus bis instituit contractum Matrimonii.*
10 *Matrimonium an cadat sub Præcepto? vel sub Consilio? Et n.* 11.
12 *Lavabant Conjuges se olim aquâ post copulam.*
13 *Hæretici negantes Matrimonium esse Sacramentum.*
14 *Eorum Argumenta sex. Et horum solutio* num. 18.
15 *Matrimonium esse Sacramentum est de fide.*
16 *Argumenta hoc idem probantia.*
17 *Dona quatuor Spiritualia, quæ dantur conjugibus.*
19 *Quando, & quo loco Matrimonium factum sit Sacramentum à Christo? De hoc opiniones quinque.*
20 *Matrimonii nomenclaturâ quadruplex.*
21 *Sponsalium significatio.*
22 *Conjugium cur dicatur Matrimonium?*
23 *Cur Connubium?*
24 *Puellas maritandas etiam Ethnici velo cooperiebant.*
25 *Hymeneos agere, quid sit?*
26 *Matrimonium cur à Matre denominetur, & non à Patre?*

Visum fuit expedire; ut Clerus Patavinus circa Matrimonii Sacramentum particulare studium faceret: quippè Capellanorum plurimi, pro confessionibus excipiendis à me de more examinati, reperti sunt, veram hujus Sacramenti naturam, partes essentiales, ac potissimùm impedimenta ignorare. Igitur, annuente Eminentissimo, ac Reverendissimo GREGORIO CARDINALI BARBADICO Præsule Vigilantissimo, hoc anno 1683. duo fuere proposita Quæsita pro initio hujus tractatus; scilicet 1. *Quid, & Quotuplex sit Matrimonium?* 2. *Cur hoc nomine nuncupetur?*

Quo ad Primum. Responsum fuit; quòd Matrimonium dupliciter consideratur, vel tanquam simplex contractus Civilis, vel tanquam Sacramentum Ecclesiæ. Primo modò Matrimonium dicitur esse civilis contractus, proveniens ex mutuo consensu Maris, & Fœminæ, qui ad invicem sibi promittunt propriorum corporum traditionem perpetuam, & in eadem jus, ac reciprocum dominium ad effectum generandi filios; quæ quidem promissio, obligatio, ac dominium promiscuum inter conjuges à Theologis vocatur Vinculum proveniens à prædicto contractu civili; adeò ut ipsamet obligatio, seu mutua promissio sit contractus Matrimonii in fieri; at vinculum prædictum sit contractus Matrimonii in facto esse permanens, ac emanans ab eodem contractu in fieri, & sic contractus

ctus in fieri, nempè ipsa promissio, sit causa hujus vinculi; ipsum autem vinculum, tanquam perpetuum, ac permanens, sit effectus illius actionis transeuntis, in qua conjuges contrahunt ad invicem, & celebrant hunc contractum Matrimonii; ut fusiùs disserunt Theologi, inter quos Mastrius *in 4. sent. disp. 7. de Matrimonio n. 2.* Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. de Matrim. disp. 12. num. 8.* ubi doctè advertit, ad hunc contractum merè civilem perficiendum sex requiri: 3 *Primò* consensum internum maris, & fœminæ: *Secundò* externam expressionem talis consensus, verbis, vel aliis signis factam: *Tertiò* traditionem corporum, quæ est objectum contractus, & translatio dominii: *Quartò* Vinculum prædictum, idest jus perpetuum talis dominii mutui: *Quintò* obligationem ad dandum, seu reddendum debitum: & *Sextò* consummationem Matrimonii per copulam actualem. Eadem docet Emin. Cardin. Capisuccus in Controversiis Theologicis selectis *Controv. 14. §. 3.* ubi tamen eruditè 4 probat, copulam actualem prædictam non esse de essentia supradicti contractus ex doctrina Divi Thomæ *in 4. sent. dist. 30. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2.* & S. Bonaventuræ *in 4. dist. 26. part. 2. quæst. 3.* ea manifesta ratione, quia essentia cujuslibet contractus perfectè subsistit absque actuali usu rei, de qua fit, & cum solo Jure, ac potestate utendi; quod etiam in terminis demonstrat ipse Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 12. à n. 104. & seqq.* Et Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol. 28.* desumpta *ex part. 9. tract. 7. resol. 76.* in qua §. 2 ait, quòd copula, seu Matrimonii consummatio non spectat ad substantiam ejus; & idem adstruunt Salmanticenses *tom. 12. tract. 9. de Matrimon. cap. 3. num. 5.* & nos infra *Decis. H. num. 13.*

Porrò circa Matrimonium tanquam simplicem contractum duo notabilia dicta fuere à studiosis nostris. *Unum*, quòd contractus iste non solùm probatus est à Legibus Civilibus, ut in titulis Codicis *De Sponsalib. De Donat. ante Nuptias*; & in titulo ipso *De Nuptiis*; sed etiam ab ipso Jure Gentium, ut docet Bart. *in l. 1. §. hujus studii n. 5. ff. de Just. & Jur.* quod patet ex Sara, quam Abraham duxit sibi in Uxorem; & ex Rebecca, quæ data fuit Uxor Isaaco. *Genes.* 5 *cap. 11. & cap. 24.* ac etiam ab ipso Jure Naturæ; nam ratio naturalis dictat homini, ut mas, & fœmina simul habitent non solùm ad suscipiendam prolem, sed etiam ad illam educandam, & promovendam ad perfectum statum hominis ad quem effectum necessarium est vinculum Matrimoniale. Ulteriùs à natura habemus convenientiam obsequiorum, quæ maritus, & uxor inter se præstant; quædam enim sunt officia in familia, quæ tantùm à fœminis obeuntur; alia à maribus; & sic denoratur, contractum hunc Matrimonii esse a Jure naturali; & cæteris rationibus omissis, quia si non esset Matrimonium, insurgeret magna confusio inter homines, cùm nulla esset certitudo liberorum, nemo suas proles agnosceret, undè præter alia mala, Pater cum filia concumberet, & Mater cum filio contra jus naturæ; à quo jure propterea procedit contractus iste Matrimonii, ut bene considerat Lessius *in 3. part D. Thomæ De Sacrament. Matrimonii cap. 1. dub. 2. num. 4.* & Volpi *in Resolut. moralib. Verb. Matrimonium in Introduct. num. 8. & 11.* ubi ideò probat contractum hunc esse de jure naturali; quia fuit institutus, quando dictum fuit à Deo Adæ, & Hevæ *Gen. 2. Crescite, & multiplicamini*; quia Deus ita locutus est tanquam Natura Naturans, & allegat S. Hieronymum *in cap. 1. ad Ephes.* relatum *in cap. Sicut non omnis. 32. q. 2.* ubi in §. *His ita* legitur, quòd Deus tanquam Auctor naturæ bis ordinavit hunc contractum; prima vice ante peccatum primorum parentum causa sobolis procreandæ; altera vice post eorum peccatum etiam ob aliam causam, nempè ad evitandam fornicationem; Glossa autem *ibidem in Verb. sine ardore* subdit hæc verba: *Nisi homo peccasset, sine ardore, & pruritu fuisset genitalium conjunctio, sicut est aliorum membrorum; veluti si applices digitum digito, vel manum cum manu*, quod an sit credendum? aliis cogitandum relinquo; memini enim me aliàs legisse, in functionibus sensuum humanorum, quæ sunt necessariæ ad vitam, Deum providè inseruisse delectationem, ut eas homines promptiùs exercerent, ut est in esu, & potu; nec ab eis se abstinerent cum detrimento conditionis humanæ prout plurimi fecissent, si nullam experirentur oblectationem; undè idem videtur dicendum in usu Matrimonii etiam ante peccatum. 6 7

Hic autem Historiæ Ecclesiasticæ Studiosi notarunt, contractum hunc Matrimonii, etiam in sola natura contractus, fuisse à diversis hæreticis damnatum, proscriptum, & pessimum reputatum. Omnium primus fuit quidam Saturnius Anno 120. qui negabat honestatem Matrimonii, & docebat, hunc contractum esse inventum diaboli; ac pro prolis procreatione sufficere conjunctionem vagam. Hunc errorem amplexus est Marcion, qui Anno 146. vivebat, & docebat, conjugatos esse incapaces æternæ salutis, idemque asserebant Manichæi, Hieracitæ, ac Albigenses, quos ex Emin. Cardin. Baronio refert Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. num. 69.* & Salelles *de S. Inquisit. in Indice 2. Verb. Matrimonium.* 8 Cæterùm contractus Matrimonii etiam tanquam merè contractus, est actus moraliter bonus, ut pluribus argumentis, ac rationibus probat Emin. Card. de Lauræa ubi *supra à num. 80. & seqq.* ex doctrina Scoti *in 4. sent. dist. 26. quæst. Unic.* & S. Bonaventuræ *ibid.* nec non S. Thomæ *3. part. in supplem. quæst. 41. art. 3. & 4.* siquidem fuit à Deo institutus, & ab 9 eodem bis præceptus *Genes. 2. & 9.* in illis verbis: *Crescite, & multiplicamini*: atque per os Adæ locutus est ipsemet Deus, quando dixit: *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una. Genes. 2. 24.* Deus autem non potest præcipere rem malam. Ulteriùs contractus Matrimonii connumeratur inter ea, quæ pertinent ad jus naturæ. *cap. jus naturale. dist. 1. in fine.* Sed omnia jura naturalia sunt bona, imò optima, ac inter recta rectissima. Item est toti Reipublicæ humanæ bonus, utilis, ac necessarius, & rectæ rationi conformis, quia conjunctio vaga est perniciosissima eidem Reipublicæ, ac proli, quæ vel à nullo educaretur, vel sine disciplina; & tandem quia contractus iste ex fine operis est actus virtutis, atque meritorius; habet enim pro fine propagare prolem ad Dei cultum amplificandum, prout etiam evitare fornicationem;

qui

qui omnes sunt actus Temperantiæ, Religionis, ac Charitatis, & per consequens actus virtutis; ut latè differunt Theologi *in tract. de Actib. humanis*, inter quos Mastrius *in 2. sent. disp. 5. quæst. 4. art. 4.* & Salmanticens. *tom. 3. tract. 11. quæst. 6. per totam.* Et hæc omnia de Matrimonio tanquam simplici contractu; cujus bonitatem tuentur etiam iidem Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 3. punct. 3. à num. 17. & 18.* ubi auctoritates SS. Patrum allegant, & rationes.

Sed objiciet aliquis. Si Matrimonium esset bonum, caderet vel sub præcepto, vel sub consilio. Sed sub neutro cadit: non sub præcepto, aliàs Christus, qui Matrimonium non contraxit, totam legem non implevisset: non sub consilio, quia sub hoc non possunt duo contraria dari; at sub consilio datur Virginitas, & Cœlibatus. Ergo non datur contractus Matrimonii. Secundò, quia id, quod separat à Deo, peccatum est; juxta verba Isaiæ *cap. 59. Vers. 2. Iniquitates nostræ diviserunt inter nos, & Deum nostrum.* Sed copula Matrimonialis separat à Deo; idcircò præcepit Hebræis, ut abstinerent ab uxoribus, quando eis erat legem daturus. *Exod. 19. 15.* & olim ingressurus Ecclesiam, debebat aqua lavari, si dormierat cum uxore. *cap. Vir cum propria. 33. quæst. 4.* Tertiò ex Philosopho 6. *Ethicor.* nemo potest percipere mente, dum est in illa voluptate copulæ carnalis. Ergo Matrimonium malum est, quia impedit Deum colere, atque contemplari.

His tamen minimè obstantibus vera est conclusio, quòd Matrimonium est bonum, ac licitum. Et ad primum respondetur, cadere quidem sub præcepto obligante multos de communitate hominum, sed non omnes. Ad secundum dicitur, separationem à Deo per ejus gratiæ privationem, & charitatis amissionem procedere à re mala, & peccaminosa; non autem per illam, quæ provenit ob occupationem in rebus licitis, ut est dormire, negotiari, & maritalî copulæ operam dare, quia hæc omnia bona sunt, & non mala; & non separant privatione gratiæ, & charitatis. Hebræis autem dictum fuit, ut abstinerent ab uxoribus, dum Lex iisdem dabatur, quia opus erat attentione, ac devotione speciali in ea recipienda. Sic maritus olim se lavabat aqua antequam Ecclesiam ingrederetur, cùm coisset cum Uxore, non ob maculam animæ, sed corporis diluendam ad majorem reverentiam loci sacri; vel etiam ad abluendam venialem culpam, quam ob excessum libidinis facilè conjugati incurrunt, se aqua benedicta abstergebant. Huc usque dicta concernunt Matrimonium primo modo sumptum, videlicet quatenùs est simplex contractus civilis.

Altero modo sumitur Matrimonium, quatenùs nempe consideratur non solùm ut contractus; sed simul etiam ut est Sacramentum. Quapropter sciendum est, plures fuisse hæreticos, qui voluerunt, Matrimonium esse simplicem contractum; sed nequaquam esse Sacramentum, & hi fuerunt Marcionitæ, Armeni Apostolici, Wicleph, & alii, quos memorant Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 3. n. 36.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 12. num. 69.* & Salelles *in Indice 2. tom. Verb. Matrimonium*; quos novissimè sequuti sunt Lutherus, & Calvinus, ut refert Castrus *Verb. Nuptiæ Hæresi 4.* & Emin. Card. Bellarminus *lib. 1. de Matrim. c. 1.* Istorum Acatholicorum argumenta erant: Primò qui non est baptizatus, non potest sumere Sacramenta Ecclesiæ. Sed infideles non baptizati contrahunt verum Matrimonium. *cap. Gaudemus. De Divortiis.* Ergo non est Sacramentum. Secundò Sacramenta faciunt homines conformari cum Passione Christi, à qua efficaciam habent. Sed per Matrimonium homines non conformantur Passioni Christi, quia hæc fuit pœnalis; illud est delectatione plenum. Ergo non est Sacramentum. Tertiò Sacramenta tanquàm de Jure divino non possunt alterari à potestate humana. Sed Ecclesia pluries alteravit Matrimonium, faciendo illud invalidum, prout patet de clandestino. Ergo non est Sacramentum. Quartò Sacramenta tanquam signa practica causant id, quod significant. Sed Matrimonium significat, sed non causat unionem Verbi cum humanitate, neque unionem Christi cum Ecclesia. Ergo non est Sacramentum. Quintò Sacramenta causant vel primam, vel secundam gratiam. Sed Matrimonium non causat primam, quia hæc datur tantùm per Baptismum, & per Pœnitentiam: nec causat secundam, quia imò Virgo nubens patitur diminutionem gratiæ perdendo Virginitatem; undè ait Apostolus *1. Cor. 7. Qui non nubit, melius facit.* Et de non nubentibus subdit: *Beatior erit, si sic permanserit.* Ergo Matrimonium non est Sacramentum. Sexto Sacramenta sunt gratis conferenda, & absque pecunia; aliàs committitur simonia. *tot. tit. De Simonia*, cujus Rubrica ita loquitur. *De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.* At in Matrimonio promittitur, & exigitur dos, quæ est lucrum temporale. Ergo Matrimonium non est quid spirituale, non causat gratiam, non est Sacramentum. Septimò nec defuerunt inter Catholicos Canonistæ aliqui, ac etiam Theologi, inter quos Magister Sententiarum *in 4. dist. 26.* & ibi Durandus *quæst. 3.* qui dixerunt, Matrimonium non esse ejusdem rationis cum aliis Sacramentis, nec conferre gratiam sicut alia; & sic non dici univocè Sacramentum cum reliquis. Pariter Everardus in loco à Matrimonio carnali ad spirituale *in differt. 8.* ait: *Matrimonium carnale nihil in se spiritualitatis habere, nec per illud gratiam conferri.*

Cæterum his minimè attentis, dicendum est, Matrimonium verè Sacramentum esse novæ legis, univocè conveniens cum aliis, gratiamque ex opere operato communicans; & est conclusio de fide, non solum qua parte dicit, esse verum Sacramentum, de quo nunquàm inter Catholicos fuit dubium; sed etiam qua parte asserit gratiam conferre, de quo licet olim apud aliquos fuerit dubium, at post Concilium Tridentinum omninò cessat; siquidem in eo ita determinatum legimus *sess. 24. de Matrim. can. 1. Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere, ac propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum; sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre: Anathema sit.* Item antiquitus determinatum erat à Lucio Papa Tertio in *c. Ad abolendam. 9. de Hæretic.* & à pluribus Conciliis, quæ referuntur ab Emin. Card. de Lauræa in ejus Epitome Canonum. *Verb. Matrimonii*

monii essentia, & *institutio*, & *Sacramentum. Vers.* 5. & præcipuè ab Eugenio IV. *in Decreto Union. Armenor.* §. 5. Idem quoque senserunt SS. Patres antiqui Ambrosius, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, & alii, quorum verba refert ipsemet Emin. Card. de Lauræa *disp.* 13. *de Matrimon. art.* 1. *per totum*, ac docuerunt Scotus *in* 4. *Sent. dist.* 26. & *seqq.* usque *ad dist.* 36. & S. Thomas 3. *p. q.* 41. *in addit. art.* 1. & 3. aliique plurimi, quos lato calamo referunt Coninch. *disp.* 14. *dub.* 2. & Emin. Card. Bellarmino *Controv.* 1. *de Matrim.*

Quamvis autem hæc veritas non egeat probatione, cùm sit definita à Tridentino de fide; probatur tamen sic. Primo: Sacramentum est
16 signum rei Sacræ. Sed tale est Matrimonium, quia significat Unionem Humanitatis cum Verbo; Unionem Christi cum Ecclesia; & unionem conjugum cum Deo per gratiam; ac inter seipsos per charitatem. Ergo est Sacramentum. Secundò: Cùm in Matrimonio plura sint onera à conjugatis ferenda; opus est gratia divina, ut illa laudabiliter ferantur. S. Thom. *d.* 3. *p. q.* 41. *art.* 3. Sed hæc gratia datur fidelibus contrahentibus Matrimonium. Ergo est Sacramentum. Tertiò, quia de hac gratia locutus est Apostolus 1. *ad Tit.* 2. ita dicens: *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & Sanctificatione cum sobrietate*: Quæ verba innuunt effectum gratiæ sanctificantis, quæ datur per Matrimonium, ex ea enim conjuges quatuor dona spiritualia perci-
17 piunt, & sunt. 1. Donum fidei, idest fidelitatis, ne cum altero coeant. 2. Donum dilectionis, quo amantur adinvicem. 3 Donum sanctificationis, quo utuntur sanctè copula maritali. 4. Donum sobrietatis, quo cavent ab effrænata libidine, sed debito modo, loco, ac tempore copulantur. Ergo hæc dona sunt effectus denotantes gratiam, quæ confertur conjugibus, dum suscipiunt Sacramentum Matrimonii. Quartò tandem, quia Divus Paulus agens de Matrimonio, cùm *ad Ephes.* 5. dixisset: *Viri diligite Uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam*, statim subdit, *Sacramentum hoc magnum est*: innuens, Matrimonium esse verum Ecclesiæ Sacramentum; ut latè demonstrant Meratius, & Hiqueus, quos citat Mastrius *in* 4. *Sent. d. disp.* 7. *num.* 22. & 23 Vasquez, & Basilius Pontius allegati à Salmanticensibus *d. tract.* 9. *de Matrimon. cap.* 3. *num.* 37. & inter cæteros S. Bonaventura *in* 4. *dist* 26. *part.* 2. *qu.* 2. quem refert Emin. Card. de Lauræa *dict. disp.* 13. *num.* 30. de quo Sancto ita scribit: *Postquam retulit diversas aliorum opiniones, dicit, Sacramentum Matrimonii causare gratiam in contrahentibus: imò assignat etiam gratiam Sacramentalem hujus Sacramenti, scilicet animorum conjunctionem, & velle semper esse cum una; ex qua gratia singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam non accedat, &c.*

Hac igitur retenta veritate non subsistunt argumenta contra illam adducta. Non Primum, quia *in cap. Gaudemus. De Divort.* Matrimoni-
18 um infidelium vocatur Sacramentum in lata significatione, nam omne signum rei sacræ à Deo institutum, ita nominari potest; non autem strictè, ac propriè, quatenus dicit signum practicum gratiæ sanctificantis animam; quæ gratia infidelibus non datur. Siquidem ante adventum Christi Matrimonium habuit solùm esse contractus; ut latè probat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 13. *art.* 7. per totum, & Mastrius *in cit. disp.* 7. *de Matrim. num.* 26. Non Secundum, cui respondet S. Thom. 3. *p. q.* 42 *art.* 1. *ad* 3. quòd scilicet, quamvis Matrimonium non faciat contrahentes conformes Passioni Christi quoad pœnam, facit eos conformes quoad charitatem, ob quam Christus pro Ecclesia sponsa sua passus est. Non Tertium, quia Ecclesia directè non alteravit naturam Sacramenti Matrimonii; sed indirectè quatenus est contractus, ponendo conditiones pro consensu in eumdem, quæ si deficiant, contractus sit nullus, & indirecte Sacramentum quoque, ut in Matrimonio clandestino. Non Quartum, quia licèt non causet Matrimonium Unionem humanitatis cum Verbo, & Christi cum Ecclesia, quam significat; causat gratiam sanctificantem, & charitatem, quibus conjuges inter se, & cum Deo conjunguntur; per quam conjunctionem significatur etiam conjunctio Christi cum Ecclesia, illam diligentis, & gubernantis. Non Quintum, quia contrahentes consequuntur secundam gratiam, & sic ejus augmentum, nisi ponant obicem. Nec contrarium innuit Apostolus, qui loquitur de statu Conjugis, & de statu Virginis; & hujus status est beatior, si sic permanserit: at quoad gratiam, si contrahat, ejus obtinet augmentum. Non Sextum, quia cùm Matrimonium sit contractus, & sit Sacramentum, dos in ea datur ob onera ex eodem contractu emanantia; non autem ob Sacramentum, seu dona spiritualia, & gratiam Sacramenti, sicut pro calice, & patena datur pretium, non pro ejus consecratione, sed pro valore materiæ, qua sunt constructi. Ita Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 43. & 44. & Mastrius *in* 4. *sent. d. disp.* 7. *num.* 24. & 25. ubi alia objecta facit, & solvit.

Adhuc autem circa Matrimonium prout est Sacramentum restat solvenda curiosa alia dubitatio: nempè quando, & quo loco, elevatum 19
sit à Christo Domino ad dignitatem Sacramenti? Dissidium est apud Theologos circa hoc dubium; & plures recensentur opiniones. Una est, quòd id factum sit in primo instanti suæ Incarnationis; cùm enim Christus Dominus in eo momento præditus esset perfecto usu rationis, & per suam Incarnationem facta esset Unio Humanitatis cum Verbo significata in contractu Matrimonii; cum ex duabus naturis Divina, & humana subsisteret una Persona, idest ipse Christus; & talis Unio esset indissolubilis, juxta illud: *Quod Christus semel assumpsit, nunquam dimisit*; & hoc omne significaretur in contractu Matrimonii, in quo ita Mas, & Fœmina simul junguntur, ut sint duo in carne una; talisque Unio sit indissolubilis; voluit Filius Dei statim honorare hunc contractum suæ Unionis hypostaticæ significativum; illum elevando ad esse Sacramenti. Ita Guido *in Enchirid. tract.* 1. *cap.* 1. quem citat. Cotonius *Controvers. celebrium lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 7. Altera opinio est, quòd Christus condecoraverit contractum Matrimonii dignitate Sacramenti in Nuptiis Canæ Galileæ, quibus interfuit, & convertit aquam in vinum. *Jo.* 2. *Vers.* 3. Hinc Barradius *in Concord. Evangelist. tom* 2 *lib.* 3. *cap.* 4. propè finem ait: *Honoravit Christus*

Matri-

Matrimonium in statu innocentiæ ; honoravit etiam post peccatum, cùm Sacramentum , & gratiæ causam illud effecit. Præsentia quoque sua , ac primo miraculo nobilitavit. Quod quidem miraculum conjugii effectum adumbrat. Matrimonium enim ante Christi adventum , hydria erat frigidæ aquæ plena ; at post Christi adventum , vinum jam habet suavissimum , hoc est gratiam. Quodnam vinum suavius gratia reperiri potest ? Hoc Matrimonii hydria jam continet. Quis tam suave vinum infudit aquariæ hydriæ ? Christus. Nam Sacramentum Legis novæ conjugium effecit gratiam continens , & conjugibus conferens. Hanc opinionem tenuerunt Henriquez *libr.* 11. *de Matrim. cap.* 2. §. 1. & alii , quos citat Glossa *ibi Litt.* G. quibus adhæret P. Macedo *De Clavibus Petri tract.* 6. *cap.* 1. *col.* 4. Tertia est opinio , tunc fuisse Matrimonium elevatum à Christo ad esse Sacramenti, quando *Matth.* 19. cùm plura dixisset de illo , subjunxit : *Quod Deus conjunxit , homo non separet :* & hanc amplexi sunt plurimi, quos refert Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 4. *num.* 5. quibus novissimè adstipulatur Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 14. *de Matrim. n.* 88. ubi ejusdem opinionis Scotum fuisse auctorem demonstrat, subdens sub *num.* 89. *Neque alius inveniri potest locus , in quo clariùs de materia , vel forma hujus Sacramenti loquatur. Ergo in hoc loco illud instituisse dicendum est.* Quarta est opinio , quòd hæc elevatio ad dignitatem Sacramenti facta sit à Christo in sua Passione ; quando ex ejus latere aperto prodiit Ecclesia , quam tunc Sanguine effuso sibi desponsavit, ut innuit S Thomas 3. *p. q.* 42. *art.* 3. *ad* 1. & pro hac opinione citantur Sotus, & Rayn. à Glossa apud Henriquez *d. lib.* 11. *cap.* 2. *sub. Litt.* H ac fulciri posse videtur verbis Concilii Tridentini *d. sess.* 24. *in doctrina de Sacram. Matrim.* ubi ita loquitur, de illo , *Gratiam verò , quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret , conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit ; quod Paulus Apostolus innuit dicens : Viri diligite Uxores vestras , sicut Christus dilexit Ecclesiam , & seipsum tradidit pro ea ; mox subjungens : Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo , & in Ecclesia.* Quinta est opinio, quòd Christus instituerit hoc Sacramentum post Resurrectionem suam in illis quadraginta diebus , in quibus apparens Apostolis , loquebatur cum ipsis de Regno Dei. *Act.* 1. 3. id est de Ecclesia militante fundanda, regenda, ac Sacramentis ditanda ; tunc enim & nonnulla alia Sacramenta fuisse ab eodem Christo Domino instituta tradunt SS. Patres , ut notavimus de Sacramento Extremæ Unctionis *Decis.* 63. *à num.* 8. *& seqq.* quare Cornelius à Lapide *in Act. d. cap.* 1. *Vers.* 3. ita commentatur. *Nimirum docuit Apostolos, quomodo Ecclesiam instituere, formare , perficere deberent per prædicationem Evangelii in toto orbe ; per varios Episcoporum , Sacerdotum , Diaconorum , Subdiaconorum &c. Ordines ; per varios populi fidelis gradus, & status ; per Sacramenta ; per humilitatem , patientiam , charitatem , cæterasque virtutes. Quo circa Christus hic docuit Apostolos materias, & formas , ritusque singulorum Sacramentorum , & Ordinum , quas in Scriptura nusquam expressit ; jejunium Quadragesimale , Baptismum parvulorum , Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum , sed & Sacrificium pro vivis , & defunctis quotidiè Deo offerendum ; aliasque traditiones Apostolicas , quas ab illo acceptas Apostoli Ecclesiæ , & posteris ; ac posteri suis successoribus per manus continuè per singula sæcula usque adeò tradiderunt.* Et hanc opinionem tanquam magis probabilem elegit Meratius doctissimus Scotista *in tract. de Matrimonio disp.* 2. *sect.* 7. quem citat Mastrius *in* 4. *sent. d. disp.* 7. *eod. tract. num.* 22. *in fine.* Dissidium igitur est inter Catholicos de tempore , & loco , quibus datum est Matrimonio per Christum esse Sacramenti ? sed quamvis id non sit scriptum ab Evangelistis , concors est doctrina ; verè idem esse Sacramenti datum fuisse à Christo Domino , ut est Apostolica traditione semper docuit Ecclesia , quod comprobant text. Concilia , ac Doctores relati à Gonzalez *tom.* 4. *ad tit. de Sponsalib. cap.* 1. *num.* 16. ab Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 14. *art.* 6. & à Salmanticensibus *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 15. Hucusque de primo Quæsito.

Quò ad secundum Quæsitum , in quo requiritur, cur hic Contractus , & hoc Sacramentum vocetur Matrimonium ? Responsum fuit, Matrimonium variis nominibus solitum fuisse nuncupari ob varia mysteria ; sed cæteris prin- 20
cipalius fuit hæc Matrimonii nomenclatura ob majorem ejus significationem. Igitur sciendum , quòd Matrimonium vocari solet *Sponsalitium* , seu *Sponsalia* ex eo , quod reciprocè con-
juges sibi spondent perpetuam adhæsionem , & 21
propriorum corporum traditionem ; etsi hoc nomen non denotet ipsum contractum ; sed initium contractus , ut observat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tract. de Matrim. disp.* 12. *num.* 2. Ulterius contractus iste venit sub nomine *Conjugii* ; & ea est ratio ; quia eum ineuntes unum , & idem jugum subeunt portan- 22
dum usque ad mortem , subjectionem scilicet unius ad alterum in omnibus , quæ respiciunt obligationem conjugalem , ducta metaphora à bobus eidem assuetis jugo , quod commodè ferunt , postquam sunt assueti. Hujus oneris compassione olim Deus jusserat, ne conjugati primo anno irent ad bellum. *Deut.* 24. 5. *Cùm acceperit homo nuper Uxorem , non procedet ad bellum , sed vacabit absque culpa domi suæ , ut uno anno lætetur cum uxore sua.* Quasi non levem militiam sub gravi jugo conjugii exercituros. Sed & hæc moralitas à jugo disci debet, nempè, ut commodè feratur, sit inter æquales, juxta carmina illa Ovidii *in Epist. Dianiræ ad Hercul.*

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci :
Tàm premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est , sed onus , species læsura ferentem :
Si qua voles aptè nubere , nube pari.

Item Matrimonium exprimitur sub nomine *Nuptiarum, seu Connubii* ex cæremonia illa, quam servabant antiqui, ut puellæ marito conjungendæ, velo quodam caput obnubere solebant, & hoc in signum pudoris, ut legitur *in cap. Nec illud* 30. *q.* 5. & videtur ortum habuisse ex facto Rebeccæ, quæ ex paterna patria per servum Abrahami educta, Isaaco in Uxorem jungenda; appropinquans domui, cùm ipsum Isaacum in
23 campo vidisset, statim ex camelo descendit, & velo caput suum obnubnit. *Genes.* 24. 65. undè S. Ambrosius *lib.* 3. *de Virginib.* de Rebecca scripsit: *Velamen capitis accepit, cum veniret ad nuptias, ne priùs videretur, quàm jungeretur: & utique pulchra Virgo non decori timuit, sed pudori.* De eadem quoque Sanctus Paulinus *carmine* 14. quod est Epitaphium in Julianum, ita cecinit:

Pulchra Rebecca suum cùm sponsa veniret ad Isac,
Simpliciter velo tecta pudoris erat.

Et hic mos velandi, & obnubendi capita puellarum, quando desponsarentur, erat etiam apud
24 Ethnicos; nam & Martialis *lib.* 12. *Epigram.* 42. sic habet de puellis ad sponsos ducendis:

Præluxere faces, velarunt flammea vultus;
Nec tua defuerint verba Thalasse tibi.

Thalassus ille erat falsum Numen, & Deus boni ominis in nuptiis apud Gentiles, ut notat Franciscus Serra *in Synonymor. Apparatu Verb. Matrimonium.* Similiter de hoc more velandi capitis mulierum in nuptiis loquitur etiam Ovidius 3. *Fast.* ita canens:

Credit amans, thalamosque parat, deducitur illuc
Anna tegens vultus ut nova Nupta suos.

Erat Anna illa filia Beli, ac Soror Didonis; cujus amore exarserat Æneas, ut pluribus congestis de illa narrat idem Serra ubi *supr. Verb. Anna.* Et idem Poeta scribens de nuptiis Orphei *lib.* 10. *Metamorphos.* meminit ejusdem moris cooperiendi velo capita puellarum, dicens:

Indè per immensum croceo velatus amictu
Æthera digrediens, Ciconumque Hymeneus ad oras.
Tendit, &c.

Liberi, ac Veneris filium fingunt Poetæ Hymeneum fuisse, alii progenitum ex Urania Musa, qui primus certas nuptias instituerit, & ob hu-
25 jusmodi meritum vocem hanc factam esse nuptialem apud Græcos, itaut Hymeneos agere idem sit, ac Nuptias celebrare, ut notat prædictus Serra *Verb. Hymeneus.* ubi longam narrat Historiam de pulcherrimo juvene Hymeneo nuncupato, qui tanquam puella induebatur, & cum puellis conversabatur; & meruit à Græcis inter Deos collocari, ut nuptiis præsideret. Igitur Matrimonium vocatur Connubium, ac Nuptiæ, à prædicto usu obnubendi, & tegendi velo caput sponsæ. De ejus colore plura differit Serlogus *in Cant. tom.* 3. *Vestigat.* 28. *cap.* 4. *sect.* 1. *à num.* 7. *& seqq.*

Tandem verè, ac propriè, ut supra dictum est, contractus iste, ac Sacramentum simul de quo explicationem aggressi sumus, vocatur Matrimonium; quasi *Matris munium*; duplici de causa; Una, quia mulieres ineunt hunc contra- 26
ctum, impensè cupientes fieri Matres, filios scilicet generando, ac pariendo. Hinc Rachel nupta Jacobo, cùm sterilitate laboraret, ingemiscens dixit illi: *Da mihi liberos, alioquin moriar. Genes.* 30. 1. Et de muliere illa, quæ hospitabatur Eliseum, Jezi discipulus ejus dixit ei cogitanti, quam reddere posset retributionem? *Ne quæras, filium enim non habet, & Vir ejus senex est.* 4. *Reg.* 4. 14. quasi diceret, si vis rem gratam ei facere, Deum roga, ut filium possit concipere, ac parere, prout fecit; verissimum est enim, quod scripsit S. Augustinus *libr.* 19. *contra Faustum cap.* 16. *Mulier contrahit, quia vult effici Mater.* Altera causa est denominationis prædictæ à Matre, & non à Patre; quia cùm finis primarius hujus contractus regulariter sit prolis procreatio, & educatio; in hunc finem magis insudat Mater, quàm Pater; siquidem ut legitur *in cap. Ex litteris. De Convers. Infidel. Infans magis materno indiget solatio, quàm paterno; sibi enim ante partum est onerosus, in partu doloroſus, & post partum laboriosus fuisse noscitur; ac ex hoc legitima conjunctio maris, & fœminæ magis Matrimonium, quàm Patrimonium nucupatur.* Quod notant Thologi, ac Canonistæ, Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disput.* 12. *num.* 2. Mastrius *eod. tract. disp.* 7. *num.* 1. & Salmanticenses *de Matrimon. tract.* 9. *in princ.* addentes, è contra, quòd Patrimonium à Patre dicitur, qui plus in ejus augmento, & conservatione desudat.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Definitur Matrimonium tanquam contractus tùm *in fieri*, *tum in facto esse.* Innuitur obligatio genitorum alendi proprios filios: & ad quid teneantur, qui mittunt illos ad Hospitale *Domus Dei?* Inquiritur, in quo consistat essentia contractus Matrimonialis? Ostenditur septem rationibus, copulam actualem non esse de ejus essentia; idque confirmatur Exemplis Conjugum, qui in Matrimonio Virginitatem, & Castitatem perpetuam servarunt.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium* in fieri *quomodo definiatur?*
2 *Definitio debet constare ex genere, & differentia.*
3 *Finis præcipuus Matrimonii est proles.*
4 *Prolis educatio insita est à natura in hominibus, & in animalibus.*
5 *Epistola Card. Barbadici de bona educatione filiorum.*
6 *Genitores mittentes filios ad Hospitale Domus Dei ad quid teneantur.*

7 *Dotare*

7 *Dotare filias etiam spurias genitores tenentur.*
8 *Matrimonii* in facto esse *definitio.*
9 *Vinculum indissolubile est Matrimonium consummatum.*
10 *Dominium reciprocum in corpora contrahentium Matrimonium.*
11 *Doctoris cujusdam Spurii rubor.*
12 *Essentia Matrimonii consistit in Vinculo.*
13 *Copula Carnalis an sit de essentia Matrimonii?*
14 *Ratum Matrimonium est verum Matrimonium?*
15 *Wicleffi error, quòd copula actualis esset de essentia Matrimonii.*
16 *Conjugum exempla, qui in Matrimonio castitatem servarunt.*
17 *Arvernium est urbs Galliæ Aquitaniæ.*
18 *Prodigium duplex, post mortem conjugum, qui castè semper vixerunt.*

Dictum est supra *num.* 2. quòd Matrimonium tanquam merè contractus consideratur vel *in fieri*, vel *in facto esse*; videlicet vel in re transeunte, qualis est illa actio, in qua, & per quam contrahitur Matrimonium, proferendo verba, seu signa consensus; vel in re permanente, scilicet in vinculo permanente usque ad mortem contrahentium: idcircò in præsenti definiri debet ipsemet contractus prout simplex contractus est, præscindens à Sacramento, tam *in fieri*, quam *in facto esse*; nam ejusdem definitionem tanquam Sacramenti dabimus in sequentibus Decis. IV.

1 Igitur Matrimonium tanquam merè contractus *in fieri* definitur ita: *Contractus Matrimonii est maris, & fœminæ mutua translatio corporum suorum pro usu perpetuo ad procreandam prolem, & debitè educandam.* Ita Scotus *in* 4. *dist.* 26. *quæst. Unic. sub O.* & P. S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 27. *part.* 1. *q.* 1. Eminent. Card. de Lauræa *de Matrimon. disp.* 12. *num.* 26. & Mastrius *in* 4. *disp.* 7. *n.* 6. qui advertit, esse perfectam
2 definitionem, quia constat ex genere, & differentia. Genus sunt verba illa *mutua translatio*; siquidem in contractibus *do, ut des*, transfertur adinvicem res quæ deducitur in contractu. Cætera verba indicant differentiam contractus hujus Matrimonialis à cæteris contractibus: nam dicitur *Maris, & Fœminæ*; quia neque duo Viri inter se, neque duo Fœminæ possunt inter se hujuscemodi contractum inire. Dicitur *corporum suorum*, ad distinctionem aliarum rerum, vel mercium, quæ
3 solent in contractu dari. Dicitur *pro usu perpetuo*, ad excludendam fornicationem, & concubinatum, in quibus non proceditur per usum perpetuum; sed ad tempus pro libito limitatum. Dicitur *ad procreandam prolem*, quia hic est finis præcipuus hujus contractus, & distinguitur à servitute, à vasallaggio, & ab ingressu Religioois; in his enim omnibus actibus obligatoriis Dominus recipit jus, & dominium in corpora servorum, & vasallorum, sed ad alios fines, nempè vel ad laborandum, vel ad militandum; prout in corpora Religiosorum ad canendum in Choro, & onera Religionis perferenda; & conjuges sibi adinvicem tradunt jus, & dominium in sua corpora ad prolem procreandam. Dicitur tandem *debitè educandam*; quia hæc obligatio insita est à natura, ut parentes teneantur prolem suam educare, non solùm in hominibus usu rationis utentibus; sed etiam in animalibus irrationabilibus, cum hac tamen distinctione, ut doctè considerat P. Se- 4
gnerius *in Christiano Instruct. part.* 1. *serm.* 13. *à num.* 1. *& seqq.* quòd homines Christiani non solùm tenentur educare prolem, donec ex se possit cibum capere, ut faciunt irrationabilia animalia; sed ulteriùs debent eam instruere in mysteriis Fidei, & mediis necessariis ad consequendam vitam æternam; cujus causa proles humana generatur, ut fusè loquitur *Epist.* 80. *Eminentiss. ac Reverendiss. Cardin.* GREGORII BARBADICI ad populum Civitatis, ac Diœcesis Patavinæ *diei* 24. *Decembris* 1687. quam de mandato Eminentiæ suæ tunc temporis ego compo- 5
sui; ut excitarentur Patres, ac Matres familiarum per Parochos ad bonam filiorum suorum educationem perficiendam; quæ quidem Epistola habetur in Libro Litterarum Pastoralium ejusdem Cardinalis *ad pag.* 146.

Quòd si quis petat, Utrùm illi, qui generant prolem ex fornicatione, vel ex concubina, & mittunt eamdem prolem ad Hospitale puerorum illegitimorum, quod hic Patavii dicitur *Domus Dei*, sint liberi ab hac obligatione educandi eamdem prolem? Respondendum est negativè, quia si ipsi genitores sint divites contrahunt duas obligationes cum eodem Hospitali, seu Domo Dei. Prima est restituendi ipsi Hospitali quidquid expendit in alendis, & educandis eorum filiolis, ut testatur Emin. Cardin. de 6
Lugo, *tom.* 1. *de Justit. & Jure disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 4. cujus hæc sunt verba: *Quartò dicunt communiter Doctores, restituendum esse Hospitali, ad cujus januam proles ex adulterio concepta exponitur, pro expensis prolis nutriendæ, saltem quando parentes divites erant, & solùm ad tegendum crimen filium exponunt. Ita Sylvester, Armilla, Cajetanus, Rosella, Tabiena, Gabriel, Antoninus, & Navarrus, quos refert, & sequitur Thomas* Sanchez *tom.* 1. *Consil. cap.* 5. *dub.* 4. *n.* 17. Azorius *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 7. Homobon. & Bellochius, quos refert Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 40. (nunc in ejus opere Coordinato *tom.* 8. *tract.* 7. *resol.* 47.) *qui loquuntur universaliter de exponentibus filium, sive legitimum, sive spurium: quibus adde Molinam loquentem de prole adulterina disp.* 101. *n.* 1. *tom.* 4. *quia sumptus, & redditus illi relicti sunt, ut subveniatur pauperibus. Ergo injustè agit, qui cum dives sit, & teneatur filio alimenta præstare, cogit ad alendum illum ex pauperum bonis.* Hucusque Cardinalis de Lugo, cui adhærent etiam Rebellus *de oblig. Just. par.* 2. *lib.* 5. *q.* 8. *n.* 4. Et Tamburinus *in Decal. lib.* 5. *cap.* 3. §. 1. *num.* 4. Ratio autem hujus doctrinæ est illa, quam supra tetigimus, idest, quòd Jure naturali Pater tenetur præstare filiis suis alimenta, *l. Si quis à liberis. ff. de liber. agnoscen. l. Si competenti. l. penult. & l. fin. C. de alend. liber. l. Unica, §. Taceat. C. de Rei Uxor. act. cap. Si quis dereliquerit.* 30. *dist. & cap. Cùm haberet* (ubi de filiis spuriis

spuriis loquitur) *De Eo, qui duxit in Matrim.* & ibi Gonzalez *in Commentar. ad eumdem textum num.* 4. Scio, contrarium tenere nonnullos DD. apud Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 14. *num.* 4. Sed hæc opinio est probabilior, ac securior, & DD. ex adverso intelligendi sunt, si genitores sint verè pauperes, ac sine bonis temporalibus.

Altera obligatio parentum divitum cum hospitali est, dotandi filias illegitimas, quas ad ipsum Hospitale transmiserunt; ob eamdem ra-
7 tionem naturalem, quam Pater habet dandi dotem filiabus suis, ut ex pluribus DD. notat Gonzalez *in d. cap. Cum haberet. in fin. De eo, qui duxit in Matrim.* & in puncto scribit idem Rebellus *d. libr.* 5. *de oblig. Just. q.* 8. *Sect.* 2. *num.* 5. quod utinam considerarent Viri nobiles, qui, effrænatæ sensualitati servientes, non verentur proles suas illegitimas Hospitali exponere; & utinam id adverterent Confessarii, dum eorum confessiones audiunt, ut scirent eos non esse absolvendos, nisi prædictis obligationibus, omni meliori modo, & ad arbitrium boni viri, satisfaciant.

Secundò definitur etiam à Theologis Matrimonium tanquam simplex contractus, sed *in facto esse* consistens his verbis: *Matrimonium*
8 *est Vinculum indissolubile inter marem, & fœminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad prolem procreandam, & debite educandam.* Ita Scotus *in* 4. *sent. dist.* 26. *q. Unica sub Litt.* P. & ex eo Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 28. atque Mastrius *in* 4. *disp.* 7. *de Sacram. Matrim. n.* 3. In hac definitione reperiuntur omnia quatuor genera causarum, Formalis, Materialis, Efficiens, ac Finalis. Causa formalis est *Vinculum indissolubile*; Siquidem in Matrimonio nihil est permanens, nisi vinculum, quod in mare, & fœmina mutuum permanet usque ad mortem, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Et *Mulier non habet sui corporis potestatem, sed Vir; neque Vir habet sui corporis potestatem, sed Mulier.* Causa Materialis habetur in illis verbis *inter Marem, & Fœminam.* Efficiens dum dicitur *ex mutua translatione &c.* & Finalis, ibi *Ad procreandam prolem debitè educandam.* Pariter in hac definitione habetur genus, & differentia: Genus est ly *Vinculum*; nam omnes contractus ultrò, citròque obligatorii sunt Vincula Civilia, quibus contrahentes ligantur juxta Proverbium: *Verba ligant homines, taurorum cornua funes.* Dicitur *indissolubile* ad differentiam aliorum omnium contractuum, qui de sui natura sunt solubiles ex con-
9 trario dissensu contrahentium: adeò ut nullus dici possit perpetuus; cùm ex voluntate eorum, qui se obligarunt, possit solvi contractus, ac vinculum obligationis, præterquam in Matrimonio, cujus vinculum, ut dictum est, indissolubile remanet usque ad mortem; quod tamen debet intelligi de Matrimonio consummato; secùs autem de Rato tantùm; hoc enim solubile est per Auctoritatem Pontificiam, & per ingressum Religionis, ut suo loco declarabimus. Item hoc verbum *indissolubile* est ad differentiam concubinatus, vel alterius fornicariæ conjunctionis, in quibus non intrat hæc perpetuitas, sed fieri solet ad tempus. Dicitur inter *Marem & Fœminam* ad differentiam Societatum Civilium, vel Confraternitatum Spiritualium, quæ, ut plurimùm contrahuntur inter Viros, & Viros, seu inter Mulieres, ac Mulieres. At Matrimonium inter Virum, & Mulierem tantùm. Dicitur *ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta*, ad differentiam emptionis fœminarum, quæ olim fiebat apud Romanos, & adhuc apud Turcas, & Paganos servatur, qui emunt fœminas vel ad luxuriam explendam, vel ad servitia domestica in domibus reportanda, & prædictæ emptiones non sunt matrimonia, quia non est mutua translatio potestatis corporum inter Herum ementem, & famulas emptas: sicut è contra cessat hæc mutua potestatis translatio, si Mulier nobilis dives emat servum, vel servos; hi enim detinentur vinculo servitutis, sed nullam in corpus Dominæ habent potestatem. Idcircò in Matrimonio tantùm fit hæc 10
mutua potestatis corporum translatio: quia statim Vir acquirit dominium, & potestatem in corpus mulieris; ac vice versa Mulier obtinet idem dominium, ac potestatem in corpus Viri juxta supradicta ejusdem Apostoli verba 1. *Cor.* 7. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir. Similiter autem & Vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier.* Tandem dicitur *ad prolem procreandam, & debitè educandam* ad exclusionem cujuscunque illicitæ corporum traditionis, sivè in adulterio, sivè in fornicatione, ubi etiamsi proles generentur, non possunt debitè educari; semper enim filii spurii, vel illegitimi remanent cum contemptu tum apud leges, tum apud homines; nec admittuntur ad officia publica, honores, ac dignitates, prout fieri solet de natis ex Matrimonio legitimo. Memini, cùm juvenis essem, nonnullos condiscipulos meos Laurea Doctoratus insignitos, quadam die ri
recreationis causa dixisse: *Ludamus aleis.* Sed quid exponemus ludo? Eorum unus, qui natus erat spurius, ait: *Ludamus nostrum Doctoratum.* Respondit statim alter: Absit, meus enim Doctoratus legitimus est: tuus illegitimus. Quibus verbis spurius maximè erubuit.

Ex hac definitione Matrimonii tanquam contractus *in facto esse, ac permanenti*, duæ conclusiones colliguntur à Theologis, ac firmantur. Una est, quòd essentia hujus contractus Matrimonialis verè, & propriè consistit in prædicto vinculo, quo adinvicem conjuges sunt sibi obli- 12
gati: cùm enim tria considerari possint in hoc contractu, consensus interior; contractus exterior, & ipsamet perpetua mutua obligatio; duo prima non sunt permanentia, sed transeuntia; ideòque dicuntur de essentia hujus contractus *in fieri*; sed vinculum, hoc est obligatio mutua, ac perpetua supra expositа, semper remanet, & sic contractus *in facto esse* consistit in hac reciproca conjugum obligatione, atque vinculo; in quo propterea omnes scribentes docent, firmari essentiam contractus, quatenus vinculum ipsum importat jus perpetuum utriusque conjugis in alterutrum, ac in utroquo perpetuam subjectionem, & ligamen. Sanchez *de Matrimon. lib.* 2. *disp.* 1. *num.* 6. & ibi S. Thomas, Ledesma, Henriquez, & alii DD. quibus concordant Mastrius *d. disp.* 7. *de Matrim. num.* 3. & Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. d. disp.* 12. *art.* 6. ubi *à num.* 58. & *seqq.* disputat, an Vinculum prædictum

sit

sit relatio realis ? seu rationis ? vel ens absolutum ? in qua disputatione varii sunt inter se Scotistæ, ac Thomistæ ; sed non interest eorum dicta referre ; nam spectant potius ad Philosophos, quam ad Theologos Morales

Altera conclusio est, quòd copula carnalis actualiter, & in exercitio posita non est de essentia Matrimonii ; sed sufficit copula virtualiter
13 sumpta, & cum implicita conditione, si petatur. Ita ex Scoto *dist.* 30. *qu.* 2. & *in dist.* 31. ex S. Thoma *in* 4. *sent. dist.* 30. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. & *art.* 3. Et ex aliis Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 12. *de Matrim. art.* 8. & novissimè Mastrius *in* 4. *sent. d disp.* 7. *à num.* 3. & *seqq.* Probant hi Doctores hanc conclusionem ita : Essentia cujuslibet contractus perfectè subsistit absque actuali usu rei, de qua sit ; & cum solo jure, ac potestate utendi, ut patet in rebus emptis, in censibus, in societatibus, domorum conductionibus, & similibus. Sed copula carnalis inter conjugatos est usus actualis corporum, de quibus facta est translatio, seu permutatio in Matrimoniali contractu. Ergo absque hoc usu actuali subsistit ipse contractus. Secundò : Si actualis copula esset de essentia Matrimonii, sequeretur, quòd contrahentes, eodem contextu, quo contrahunt, deberent copulari ; alias non esset verus contractus. Sed asserere hoc esset absurdum. Ergo copula actualis non est de essentia Matrimonii. Tertio : Si secùs esset, eveniret, non posse dari Matrimonium Ratum ; sed solummodò Matrimonium consummatum. Sed consequens est falsum. Ergo & antecedens ; nam qui contra-
14 hunt Matrimonium, & ante consummationem ejus volunt ad religionem transire, id licitè facere possunt, tametsi dicantur contraxisse Matrimonium, idest Ratum, & non consummatum. Ergo sine copula actuali subsistit Matrimonium. *cap. Omnis.* 27. *quæst.* 2. Quartò facit responsum Alexandri Papæ Tertii *in eap. Commissum* 16. *de Sponsalib.* ubi interrogatus quid agendum de quodam, qui cum juramento promisisset se ducturum in Uxorem quamdam mulierem, postea desiderio melioris vitæ cupiebat ingredi Religionem ? respondit enim Summus Pontifex, *tutius est ei, religione juramenti servata, priùs contrahere ; & postea si elegerit, ad religionem migrare ; si tamen post desponsationem copula non dignoscitur interveniisse carnalis.* Ergo actualis copula non est de essentia Matrimonii ; cùm in hoc casu dictum sit à Papa, quòd ad servandum, & adimplendum juramentum, debet Matrimonium contrahere, & post contractum, antequam consummet, transeat ad Religionem. Quintò, quia ex Divo Augustino *in lib. de bono conjugali cap.* 3. etiam in senibus, & sterilibus non aptis ad actualem copulam Matrimonium subsistit. Sextò : Quia Concilium Constan-
15 tiense *sess.* 8. damnavit Wicleffi errores, inter quos ipse sic definiebat Matrimonium : *Est legitima copulatio, qua secundum Dei legem licet sine crimine filios procreare ;* ac proinde docebat actualem copulam esse de essentia Matrimonii ; quod sine illa actualiter habita subsistere non posset ; ut notat Waldensis *tom.* 2. *de Sacramentis cap.* 30. Septimò, quia in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. dicitur, Matrimonium perfici mutuo consensu, & in Concilio Tridentino *sess.* 24. *de Matrim. can.* 6. habetur, dari Matrimonium Ratum, ac Matrimonium consummatum. Octavò, quia multi Sancti conjuges fuerunt, qui inter se inierunt Matrimonium, & tamen mutuo consensu Virginitatem perpetuam servarunt ; inter quos S. Hen-
16 ricus Imperator, cum Imperatrice S. Cunegunde ejus Uxore, ut in Breviario Romano *die* 12. *Julii.* S. Cæcilia, ac S. Valerianus Nobiles Romani, ac Martyres, cujus S. Cæciliæ corpus à Clemente Papa VIII. post tot annorum centurias illæsum, & integrum fuit repertum. S. Julianus, & Basilissa, quorum vita illustris extat apud Surium *tom.* 1. *die* 9. *Mensis Januarii* S. Pulcheria Augusta soror Theodosii Imperatoris, quæ cùm perpetuam Deo vovisset Virginitatem, mortuo Theodosio, ea conditione nupsit Marciano, eumque creavit Imperatorem, ut suam castitatem Deo votam conservaret, quod & præstitit, teste Nicephoro *lib.* 14. *cap.* 2. Cedreno, & aliis. Boleslaus V. Polonorum Princeps, qui inde Pudici nomen accepit, quia Cunegundem Belæ Regis Hungarorum filiam in conjugem duxit, sed intactam reliquit. Mathildis Comitissa Italiæ, quæ Vulfoni Duci, jussu Urbani Papæ II. nupsit hoc pacto, ut suum Virginitatis Votum inviolatum servaret, ut factum est, Spondanus *Anno* 1089. *num.* 5. Conradus Rex filius Henrici IV. Imperatoris, qui cum alia Mathilde conjuge sua ab omni copula ex amore castitatis abstinuit. Alfonsus II. Asturum Rex, qui cum Uxore sua continentiam servans, Casti nomen accepit. Richardis Regina Galliarum, quæ cum marito suo Carolo Crasso Rege celebs permansit. S. Pharaildis Neptis S. Amelbergæ, æquè ac Pipini, quæ perpetua fuit in conjugio Virgo. Eduardus III. Rex Angliæ, & Egitha Virgines, & Conjuges. Ethelreda Orientalium Anglorum Regina, quæ bis conjugata, semper Virgo permansit, de qua, & de supra recensitis legendus est Emin. Card. Baronius *Anno* 337. *num.* 50. *Anno* 480. *num.* 19. *Anno* 777. *num.* 2. & *Anno* 1043. *num.* 2. Bagatta *in admirand. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 7. nec non Cornelius à Lapide *Comment. in* 1. *Epist. ad Corinth. cap.* 7. *Vers.* 6. ubi in fine refert duos alios Conjuges Arvernenses (Arvernium est Urbs Galliæ
17 Aquitaniæ) qui perpetuam castitatem in Matrimonio servarunt, de quibus S. Gregorius Turonensis *lib. de Gloria Confessor. cap.* 32 ita scribit : *Cùm Uxor obiisset, maritus elevatis in cœlum manibus dixit : Gratias Tibi rerum omnium Artifex ago, quòd sicut mihi eam commendare dignatus es, ita Tibi reddo ab omni voluptatis conjugio impollutam. At illa subridens ait: Sile, sile, Vir Dei : quia non est necesse prodere*
18 *nostrum secretum. Paulò post mortuus est maritus, alioque loco sepultus, & ecce manè facto, inventa sunt pariter esse sepulchra, quæ usque hodie sic perdurant ; idcircò nunc incolæ, Duos amantes vocitant, & summo venerantur honore.*

Cæterùm præter supradictos, ac alios plurimos castissimos Conjuges, qui in Matrimonio à copula abstinentes, Virginitatem servarunt, ut de eis Historiæ, ac Vitæ Sanctorum frequenter testantur ; summa veneratione notandum est exemplum Immaculatæ DEIPARÆ Vir-

RÆ Virginis, ejusque Sanctissimi Sponsi JOSEPH, qui vexillum castitatis non tantùm Virginibus, sed & conjugatis erexerunt, etsi juncti Matrimonio, de quo in sequenti Decisione specialiter est differendum.

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Disputatur famosa Quæstio, An inter DEIPARAM, & S. JOSEPH intercesserit verum Matrimonium, an sola Sponsalia? Præmissa tria, de educatione B. M. V. in Templo; de ejus Voto perpetuæ Virginitatis, quod omnium prima emisit, & de modo, ac tempore, quo fuit S. Joseph desponsata. Quod hæc fuerint tantùm Sponsalia, rationes sex, ac SS. Patrum dicta. E contra, quòd fuerit verum Matrimonium, rationes septem, ac SS. Patrum testimonia. Solutio rationum in contrarium adductarum, & declaratio SS. Patrum. An Votum perpetuæ Virginitatis stare possit cum Matrimonio? Tandem plura de ætate, excellentia, ac Patrocinio S. JOSEPH.

SUMMARIUM.

1 *MARIA Virgo qua ætate in Templo sit præsentata?*
2 *Filiæ primogenitæ an essent Deo offerendæ?*
3 *Cellulæ in Atriis Templi Hebræorum pro Virginum, ac Viduarum habitatione.*
4 *MARIA Virgo in Templo inhabitans Votum fecit perpetuæ Virginitatis.*
5 *Angelica attestatio ejusdem Voti ad S. Birgittam.*
6 *Votum Virginitatis perpetuæ à quo priùs emissum in Veteri lege?*
7 *MARIÆ DEIPARÆ primatus Virginitatis debetur.*
8 *Sedulii Poetæ Carmina* Salve Sancta Parens, &c.
9 *Virgines Viri, ac Fœminæ si qui in lege veteri, at non ex Voto.*
10 *Matrimonium Deiparæ cum S. Joseph quomodo factum, & à quibus?*
11 *Virgines educatæ in Templo factæ nubiles dimittebantur.*
12 *S. Joachim Pater DEIPARÆ an viveret tempore ejus desponsationis cum S. Joseph?*
13 *S. Anna Mater B. V. MARIÆ vivebat, dum natus est Christus.*
14 *Filiæ Hebræorum hæreditariæ debebant nubere uni de Tribu, ac Familia Patris sui.*
15 *Annos quot haberet DEIPARA, dum fuit desponsata?*
16 *Matrimonium verum, an Sponsalia tantùm contraxerint MARIA, & JOSEPH inter se?*
17 *Quòd sola sponsalia. Rationes sex, & DD.*
18 *Quòd verum Matrimonium, Ratum tamen, non consummatum, rationes septem, & DD.*
19 *Argumentorum pro sponsalibus tantùm solutio.*
20 *Votum Virginitatis DEIPARÆ triplici ratione non impedivit ejus Matrimonium.*
21 *DEIPARA, ac S. JOSEPH antequam simul Matrimonium contraherent, sua Virginitatis Vota adinvicem sibi manifestarunt, & servare spoponderunt.*
22 *Dominium rei stare potest absque ejus usu.*
23 *SS. Patres negantes Matrimonium inter DEIPARAM, ac S. JOSEPH intelligendi sunt de Matrimonio consummato.*
24 *Ætas, ac anni S. JOSEPH dum Virginem DEIPARAM desponsavit.*
25 *Ejus excellentiæ septem ex eadem desponsatione.*

HIc autem inquirendum venit, an inter DEIPARAM, & ejus Sponsum S. JOSEPH fuerit verum Matrimonium? Pro majori intelligentia tria sunt præmittenda.

Primum est, quòd Augustissima, ac Sanctissima Virgo Mater Dei, tribus tantùm annis educata fuit in domo S. Joachim, & S. Annæ parentum ipsius, à quibus sterilitate laborantibus, & prolem à Deo petentibus, votum factum fuit, illam consecrandi, ac offerendi Deo, adinstar Annæ Matris Samuelis, quæ filiolum suum juxta preces obtentum, Deo obtulit, ac ejus Divino Servitio mancipavit, ut legitur 1. *Reg.* 1. 26. Idcircò, quamvis lex de offerendis primogenitis, & offerendas filias non obligaret, poterant tamen parentes voluntariè eas offerre, ac divino muneri consecrare, ut observat Suarez *in* 3. *p. D. Thom. tom.* 2. *disp.* 7. *in princ.* & sic cùm Deipara esset annorum trium, fuit per S. Joachim, & S. Annam in Templo præsentata: & ibi in sanctis virtutibus, ac divino Amore erudienda relicta. *Trimula cùm esset, in Templum est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annis undecim;* ait Evodius apud Nicephor. *lib.* 2. *cap.* 3. quos refert Salianus *ad Annum Mundi* 4051. *n.* 17. Siquidem, ut innuimus in nostris Decisionibus *De Sacrificio Missæ Decis. XII. sub num.* 32. in Templo Hebræorum non solum in atriis exterioribus erant constructæ cameræ, in quibus habitarent Sacerdotes, ac Levitæ, ipsi Templo ministrantes juxta vices suas, sed etiam erant cellulæ pro habitatione sanctarum mulierum tum Virginum, tum Viduarum, quæ ibi manebant, in jejuniis, ac orationibus servientes Deo; ac in utensilibus sacris manutenendis, conservandis, & multiplicandis se occupantes, ut legitur 2. *Machab.* 3. 19. & *Luc.* 2. 36. traditque Josephus Hebræus *lib.* 8. *antiquit. cap.* 3. & latè Canisius de Deipara *lib.* 1. *cap.* 12. quos allegat etiam Suarez *d. disp.* 7. *in princ.* In hoc ergò loco, & cellulis Templi, in quibus aliæ Virgines, ac sanctæ mulieres Viduæ morabantur, permansit Deipara Virgo usque ad nubiles annos, *soli Deo vacans, & forma virtutis effecta,*

effecta, ut dicit S. Ambrosius *lib. 2. de Virginit.* atque Angelorum apparitionibus fruens, à quibus etiam cibum ei ministratum fuisse scribit S. Bonaventura in *lib. Meditat. Vitæ Christi cap. 3.* ex Gregorio Nicomediensi *Homil. de oblat. Virg. in Templo*, & ex Cedreno *in Compend. Histor.*

Secundum præmissum est; quòd inter cæteras heroicas virtutes, quas DEIPARA Sanctissima acquisivit, & exercuit in Templo inhabitans, præcipua fuit puritas animæ, & cor-
4 poris; undè Votum perpetuæ Virginitatis emisit, ut docent S. Augustinus *lib. de Virginit. cap. 4.* S. Gregorius Nyssenus *serm. de Nativit.* Rupertus *lib. 4. in Cantic.* S Bernardus *serm. 3. & 4. super Missus est*, S. Anselmus *de Excell. Virginis c. 4.* Hugo Victorinus *lib. de Perpetua Virginitate cap. 1.* & cæteris omissis, universa Schola Theologorum cum Magistro Sententiarum *in 4. dist. 30.* Hinc Angelus ad S. Birgittam *in Serm. Angelico cap. 12.* ita ei narravit:
5 *Hæc denique Virgo (MARIA) post suam nativitatem novæ lucernæ, sed nondum accensæ, similis erat, quam ita tamen accendi oportuit, quòd sicut Dei charitas, quæ tribus flammis assimilatur, in cœlis radiabat, simili modo hæc electa lucerna MARIA aliis tribus charitatis flammis in hoc tenebroso mundo radiaret. Prima quippè flamma MARIÆ coram Deo satis lucidè resplenduit, quando ad Dei honorem Virginitatem immaculatam usque ad mortem firmiter servare promisit. Hanc utique honestissimam Virginitatem ita Deus Pater concupivit, quòd suum dilectum Filium cum sua, Filiique, ac Sancti Spiritus Divinitate sibi mittere dignatus est.* Hoc idem manifestavit eidem S. Birgittæ ipsa DEIPARA *lib. 7. Revelat. cap. 25.* his verbis: *Verum tamen pro certissimo scire debes, quòd Joseph, antequam desponsavit me, intellexit in Spiritu Sancto me novisse Virginitatem Deo meo; immaculatamque esse cogitatione, verbo, & opere.* Hinc Ven. Beda super illis verbis *Luc. 1. Quomodo fiet istud:* ait, *Propositum suæ mentis Virgo exposuit, vitam scilicet Virginalem ducere se decrevisse.* Et S. Augustinus *in lib. de Sancta Virginitate cap. 4. Profecto* (inquit) *non diceret Virgo, quomodo fiet istud? nisi Deo Virginem se ante vovisset.*

Inquirunt autem hic Doctores, an Deipara fuerit prima, quæ votum emiserit Virginitatis,
6 itaut nullus sivè Vir, sivè Fœmina ante illam professus fuerit vitam Virginalem? Et prima fronte videtur dicendum negative: Primò Elias Virgo fuit, teste S Ambrosio *lib. 1. de Virginib.* Item Jeremias, Elisæus, ac Sibyllæ, quas recensuimus *de Sacrificio Missæ Decis. XXVI. à num. 24. & seqq* ut scribit S. Hieronymus *lib. 1. adversus Jovinian.* Secundò, quia etiam Melchisedech, & Josue fuisse Virgines notat S. Ignatius *in Epist. ad Philadelphienses.* Tertio, quia Danielis corpus, ita obduratum fuit, ut Leonum dentes illi infigi nequiverint, scilicet per Virginitatem; & per eam tres pueri adepti sunt, ut ignis eorum corpora minimè inficere potuerit, juxta S. Jo. Damascen. *lib. 4. de fide cap. 25.* Quartò, quia inter Judæos collegium fuit Essenorum, de quibus pariter nos scripsimus de Sacrificio Missæ *Decis. XXIV. num. 61.* & quos vitam in castitate traduxisse ex gravissimis Auctoribus demonstravimus. Quintò, quia in Templo inter sanctas mulieres ibi commorantes plures erant Virgines, ut dictum est supra *num 3.* quarum aliquas vitam castam usque ad mortem ducere voluisse, non videtur impossibile. Et Sextò, quia D. Gregorius Nazianzenus *in Carminib. de Virginit.* concedit in veteri lege servatam à nonnullis Virginitatem; & Sotus *in 4. dist. 3. quæst. 1. art. 1. ait:* DEIPARAM Virginem in sua gente Virginitatis colendæ exemplum habuisse.

His tamen minimè obstantibus contrarium est affirmandum; ut docent SS. Patres, quos longa serie recenset, & quorum verba refert Barradius *in Concord. Evangel. tom. 1. lib. 7. cap. 8.* ad illa verba: *Quomodo fiet istud &c.* videlicet S. Bernardus, Beda, Albertus Magnus, S. Antoninus, S. Bonaventura, Rupertus, Abulensis, & alii; qui omnes primatum Virginitatis Augustissimæ MARIÆ Virgini deferunt, ea ra- 7
tione quia in veteri lege omnes studebant generationi; isque felix, ac Deo charus judicabatur, qui liberorum copia abundaret, undè ajebat David *Psal. 127. 3. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Idcircò omnes fœminæ appetebant conjugia; & earum nulla Virginitatem colebat, & propter hoc dicitur *Judic. 11. 37.* quòd Jephte amarè flebat, quòd in Virginitate mori cogeretur. Hinc DEIPARA appellatur Regina Virginum, idest prima, quæ Virginitatem professa est, & de ea canit Ecclesia: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo:* quæ verba desumpta sunt ex Sedulio antiquissimo Poeta Christiano, qui floruisse fertur sub Theodosio Imperatore *Anno Christi* 430. Is enim *Carmin. lib. 2.* sic de Sanctissima Virgine Dei Matre cecinit: 8

Salve Sancta Parens, enixa puerpera Regem,
Qui cœlum, terramque tenet per sæcula: cujus
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet: quæ ventre beato
Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem.
Sola sine exemplo placuisti Fœmina Christo.

Quibus relatis versibus sic subdit Barradius: *Carmina si expendas, intelliges hanc verborum, de quibus sermo est, esse sententiam. Nec primam, ô Virgo, habuisti æqualem Tibi ante Te, nec sequentem post Te: quocirca sola sine exemplo, idest sine pari, & æquali placuisti Christo: nullum enim fuit aliud exemplum, idest nulla fuit alia fœmina Virgini par, Voto Virginitatis constabilitæ.*

Neque subsistunt objectiones supra factæ, quia
9 esto Sancti illi homines Virginitatem servaverint, eam tamen non ex Voto professi sunt; & idem dicendum est de mulieribus veteris Testamenti, inter quas nonnulli existimarunt, Mariam sororem Moysis fuisse Virginitatis cultricem, ut ait D. Gregorius Nyssenus *in lib. de Virginit. cap.* 19. attamen eamdem nupsisse, & fuisse uxorem Hur, qui fuit judex cum Aaron, & sustinuit manus Moysis scribit Josephus *lib.* 3. *antiquitat. cap.* 2. & Abulensis *in fine cap.* 35. *Exodi*; quare idem dicendum de aliis puellis, quæ educabantur in cellulis Templi Judæorum; nulla enim earum legitur vovisse, ac servasse Virginitatem usque ad mortem; adeò ut ipsa Dei Genitrix prima fuerit, quæ admirandæ Virginitatis Vexillum extulit, & reliquarum omnium Virginum exemplar, Mater, Princeps, ac exemplar extiterit.

Tertium præmissum concernit modum, & tempus desponsationis DEIPARÆ cum S. Joseph; nam discordant scribentes in utroque. Quo ad modum nonnulli ex SS. Patribus scripserunt, vi-
10 xisse Beatam Virginem in ædibus Templi usque ad ætatem conjugio aptam; tunc Sacerdotes scientes, eam vovisse Deo Virginitatem suam, nec posse nubere, neque diù in illis ædibus commorari, (non enim licitum erat tenere Virgines nubiles) decreverunt, cum jam mortui essent parentes Sanctissimæ Virginis, eam custodiendam tradere alicui probo Viro, qui ejus Virginitatem custodiret sub titulo, ac nomine sponsi; & sic invenerunt S. Joseph de eadem cognatione, cui consentienti in Sponsalibus, non autem in Matrimonio, eam tradiderunt servandam, & sic ipse illam sibi desponsatam accepit custodiendam. Ita ex SS. Gregorio Nysseno, Jo. Damasceno, Evodio, Andræa Cretensi, & aliis Suarez *d. tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 7. *in princ.* & Barradas *d. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 7. Porrò hæc non videntur posse esse vera, ut considerat Barradius *ibidem*, tum quia Votum Virginitatis à Deipara emissum non erat cognitum Sacerdotibus; tum etiam quia si cognitum fuisset, & eam mediantibus sponsalibus, tantùm custodiæ causa Josepho tradidissent, cùm paulò post gravida foret virtute Spiritus Sancti, famam perdidisset apud Sacerdotes, putantes eam sacrilegè cognitam ab aliquo; ideò si Sacerdotes eam S. Josepho desponsarunt, (suppositâ morte genitorum ejus SS. Joachim,) & Annæ, verisimilius est, ei illam dedisse tanquam conjugem ad liberos procreandos, juxta morem aliarum puellarum nubilium, ac proindè postea ejus partum nullus est admiratus, quia non ex simplici Virginitatis custode, sed ex proprio, ac vero conjuge concepisse omnes (etsi falsò) arbitrabantur.

Igitur censetur verior alia opinio, quæ refertur ab eodem Barradio *d. lib.* 6. *cap.* 7. *col.* 3. è quodam antiquissimo libro *de Nativit. Virginis* desumpta, videlicet, quòd annuatim Pontifex
11 Hebræorum publicè denunciabat, ut Virgines, quæ in Templo educabantur, cùm ætatis tempus implessent, domum suam reverterentur, & nuptiis secundùm morem gentis, & legis ordinationem operam darent. Quare etiam Sanctissima Virgo nubilis effecta ad paternam domum rediit, in qua S. Joachim ejus genitor adhuc vivebat; natus enim erat Anno Mundi 3990. ut notat Torniellus *in Annalib. ad d. Annum*; & 12
Sanctissima Virgo desponsata fuit S. Josepho *Anno* 450. ut ibidem demonstrat idem Torniellus; nec non Salianus *ad Annum Mundi* 4051. *num.* 17. & 18. & sic tunc temporis S. Joachim vix annum sexagesimum ætatis suæ excedebat, & in humanis esse poterat: ac dato etiam, quòd præmortuus fuisset, vivebat adhuc S. Anna DEIPARÆ Mater, quam Redemptorem nostrum JESUM natum vidisse scribit Ribadeneira ex antiquis Patribus in Vita ejusdem S. Annæ *die* 26. 13
Julii; quapropter ipsam S. Annam cum cognatis, & parentibus providisse de Sponso Filiæ suæ probabilius apparet, & ei exhibuisse S. Josephum de eadem Tribu, ac Familia S. Joachimi juxta legem, quæ *Numer.* 36. præcipiebat ita juxta Hebraicam versionem: *Omnis filia hæreditatem hæreditans uni de familia Tribus patris sui erit in* 14
uxorem; ut ostendit P. Joh Baptista Ricciolius *in Chronolog. Refor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 6. & *num.* 8. ubi Patres antiquos, ac modernos allegat. Cumque Sanctissima Virgo, tanquam unica filia, S. Joachimi hæres esset hæreditatis paternæ, nupsit S. Josepho, qui erat de eadem Tribu Judæ, & familia David, de qua Tribu, & familia erat S. Joachim, & per consequens ipsa Augustissima Virgo Dei Genitrix. Hæc quoad modum desponsationis ejus.

Quo ad tempus non minor est discrepantia circa ætatem, ac annos, quos DEIPARA ageret dum fuit S. Josepho desponsata. Albertus Ma- 15
gnus opinatus est, eam desponsatam anno ætatis suæ vigesimo quinto, sic ratiocinando: *Corpus perfectissimum secundum statum, non est ante statum, vigintiquinque annorum. Ergo Corpus Beatissimæ Virginis debuit esse ut minimum vigintiquinque annorum dum Christum concepit. Itaque supponendo quòd in Beatissima Virgine fuit omnis congruentia, tam ex parte naturæ, quàm ex parte gratiæ, ad hoc ut Mater Dei fieret, credimus quòd Deum concepit tali ætate, qua perfecta fuit statu corporis, & quantitate; & quòd circa eandem quantitatem ætatis fuerit desponsata; tanto temporis spatio dempto, quanto sponsalia Matrimonium solent præcedere, duorum videlicet mensium.* Hæc Albertus, cujus verba prædicta recitat Carthusianus *in lib. de Laudib. Virgin. art.* 37. & Alberti opinionem amplectitur Card. Cajetanus *Comment. in Luc.* 1. ad illa verba *Desponsatam Joseph*; & secundùm hanc opinionem dicendum foret, Prælatos Ecclesiarum motos fuisse in decernendo, ut puellæ, quæ educantur in Monasteriis Monialium, ibi non morentur ultra vigesimum quintum annum nisi velint Religiosam vitam profiteri. Cæterum etsi alii Patres dixerint Dei Genitricem desponsatam fuisse S. Josepho Anno ætatis suæ 19; alii 16; verior, & communior opinio firmatur in Anno decimo quarto ob supra dicta verba Evodii Apostolorum Successoris relata à Nicephoro *lib.* 2. *Histor. cap.* 3. quæ hæc sunt: *Trimula cùm esset* (MARIA VIRGO) *in Templo est præsentata; & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit Annos undecim.* Et ita tenent S. Epiphanius, S. Bonaventura, Canisius, Salmeron, & alii, quos citant, ac sequuntur Barradius *d. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 7. *col.* 9. Ricciolius *d. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 4. atque ante illos Suarez *disp.* 7. *sect.* 7.

His

His ita præmissis ac prænotatis, deveniendum est ad resolutionem famosæ Quæstionis, Utrùm inter Sanctissimam Virginem MARIAM Matrem DEI, & S. JOSEPH fuerit verum, ac perfectum Matrimonium initum per verba de
16 præsenti? An tantummodò Sponsalia contracta per verba de futuro? Et multa videntur urgere pro exclusione veri Matrimonii, & admissione dumtaxat Sponsalium. Nam Primò Angelus ait ad S. Joseph: *Noli timere accipere Mariam con-*
17 *jugem tuam. Matth.* 1. 20. Ergo nondum eam acceperat in conjugem, sed tantùm desponderat per Sponsalia. Secundò, quia idem Evangelista ait: *Cùm esset desponsata Mater ejus MARIA Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Matth.* 1. 18. Ergo antequam Matrimonium per verba de præsenti contraherent; & simul cohabitarent. Tertiò, quia si jam Matrimonium fuisset contractum, dixisset Evangelista, *Cùm esset conjugata*; non autem *Cùm esset desponsata*. Quartò, quia DEIPARA antea voverat Virginitatem, ut probatum est supra in secundo præmisso *à num.* 4. *& seqq.* At vulgatum est S. Augustini dictum *de Nupt. & Concupisc. voventibus Virginitatem non solùm nubere, sed velle nubere, damnabile est.* Ergo non poterat nubere, neque Matrimonium contrahere. Quintò, quia per contractum Matrimonii Vir acquirit jus in corpus mulieris ad explendam copulam, unde ait Apostolus 1. *Cor.* 7. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir.* Sed S. Joseph hoc jus non acquisivit, neque hanc potestatem unquam habuit; quia eadem Cœlorum Regina dixit S. Birgittæ loquendo de Sanctissimo suo Sponso JOSEPH: *Ea intentione desponsavit me, ut serviret mihi, habendo me pro Domina sua, non pro Uxore.* Ita *in Revelat. lib.* 7. *cap.* 25. *num.* 1. Sextò, quia sic innuere videntur SS. Patres; nempè S. Hilarius *can.* 1. *in Matth.* ibi: *Mater potiùs Christi virgo, quia id erat; non Uxor Joseph est nuncupata, quia non erat.* S. Gregorius Nyssenus *Homil. de Nativit. Puellam Sponsam accepit, quæ tamen conjunctio Sponsalia non est egressa.* S. Hieronymus *in Matth.* 1. *cap.* 2. *Non dixit, accipe filium tuum, & uxorem tuam: sed puerum, & Matrem ejus, quasi nutritius, non maritus.* S. Gregorius Magnus *Homil.* 26. *in Evangel. Dominus MARIAM habere Sponsum voluit, qui tamen ad ejus Nuptias non pervenit.* S. Epiphanius *Hæres.* 78. *Desponsata, & non Nupta.* S. Bernardus *Homil.* 2. *super Missus est: Mirum cur desponsata fuerit, non nupturæ.* Et rursùs ibidem: *Verum nominat Evangelista Joseph, non quia Maritus, sed quòd homo virtutis erat.* Consimilia aliorum Sanctorum dicta cumulant Suarez *d. tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 7. *sect.* 1. Barradius *d. lib.* 6. *cap.* 7. *tom.* 1. Ricciolius *eod. tom.* 1. *libr.* 8. *Chronol. reformat. cap.* 19. *num.* 7. & novissimè Emin. Cardinalis Capisucchius *in Controversiis Theologicis Selectis Controv.* 14. *in princ.* ibi à Studiosis videnda.

Cæterùm his in nihilo refragantibus, vera, & catholica responsio est, quòd inter Sanctissimam VIRGINEM DEI Genitricem MARIAM, ac S. JOSEPH ejus Sponsum fuit verum Matrimonium, Ratum tamen (ut vocant Theologi, non consummatum) ac per verba, de præsenti completum, & perfectum. Hæc veritas pro-
18 batur. Primò, quia S. Joseph ab Evangelista vocatur Vir MARIÆ, idest ejus Maritus. *Matth.* 1. 16. *Jacob autem genuit Joseph Virum MARIÆ*; Item *ibi Vers.* 19. *Joseph autem Vir ejus.* Secundò, quia S. Joseph cùm adhuc nesciret Mysterium Divinæ Incarnationis, & videret eam gravidam, *voluit occultè dimittere eam. Matth.* 1. 19. Ergò jam eam acceperat in Uxorem, nemo enim dimittit, quod jam non accepit. Tertiò, quia DEIPARA pluries vocatur S. Josephi *Conjux, & Uxor*, ibi: *Joseph Fili David noli timere accipere MARIAM conjugem tuam. Matt.* 1. 20. Et ibi: *Ut profiteretur cum MARIA desponsata sibi Uxore prægnante. Luc.* 2. Quartò, quia Beatissima Virgo statim post conceptum DEI Filium, abiit in montana ad visitandam cognatam suam Elisabeth, ubi mansit tres menses, nec potuisset iter illud facere, ac moram illam trahere absque mariti sui adsistentia. Suarez *d. disp.* 7. *sect.* 2. *col.* 2. Quintò, quia si non fuisset verè conjugata, ejus fama deperiisset, dum homines vidissent, ejus ventrem intumescere, ac filium parere. Sextò, quia Christus Dominus habitus fuisset filius spurius, & illegitimus; quem ut talem Judæi respuissent, nisi opinati essent, eum esse filium Joseph, quem certò sciebant duxisse in Uxorem MARIAM Virginem; ipsamque ejus conjugem, & uxorem fuisse. Septimò, quia, ut consideravit S. Ignatius Martyr, voluit Deus, ut præcederet verus contractus Matrimonii inter S. Joseph, & Sanctissimam Virginem, *Ut partus ejus celaretur diabolo; dum eam putat, non de Virgine, sed Uxore generatum;* Deo enim impediente, diabolus videre non poterat, quid ageretur inter hos conjuges, nec scire valebat, quòd caste, & intactè viverent. His, & aliis considerationibus, quæ brevitatis causa omittuntur, utraque Theologorum Schola semper tenuit, ac docuit, inter DEIPARAM, ac S. JOSEPH intercessisse verum, ac perfectum Matrimonium Ratum, non Consummatum; & ita SS. Patres antiqui, ac moderni scriptum reliquerunt; quos longa manu congerunt Suarez *d. tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 7. *sect.* 1. Cornelius à Lapide *Comment. in Matth. cap.* 1. *Vers.* 18. Ricciolius *d. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *a num.* 4. *& seqq.* usque *ad num.* 8. ubi recenset septem præcipuas causas, ob quas Filius Dei nasci voluit ex Matre Virgine, sed conjugata; & illas refert etiam Barradius *d. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 7. allegantes plurimos DD. sic concludentes; quibus addendus Emin. Card. Capisucchius *d. Controvers.* 14. *per totam*, in qua hanc quæstionem examinat, & pluribus argumentis, ac rationibus hanc veritatem confirmat, prout etiam Gobatus *tr.* 10. *n.* 397.

Neque subsistunt objecta in contrarium facta. Non primum; quia illa Angeli verba *Noli timere accipere Mariam* significant *acceptam habere, & retinere*; sæpè enim hebraica verba 19
significant actum non solùm inchoatum, sed etiam continuatum, ut advertit Cornelius à Lapide *in Matth. cap.* 1. *Vers.* 18. & docet *eodem Commentar. in princ. Canon.* 22. & ideò tunc Angelus addit *Conjugem tuam*, quia jam contractum erat Matrimonium per verba de præsenti; imò quando fuit annunciata ab Angelo ipsa DEIPARA reperiebatur in domo S. Joseph Sponsi sui, cum quo cohabitare cœperat, ut notat S. Thomas *in* 3. *p. q.* 29. *art.* 2. *ad* 3. & alii SS. Patres quos citat Sylveira *in Evang. tom.* 1. *lib.*

1. *cap.* 10. *num.* 6. inter quos S. Bernardus *in Hom.* 2. *super Missus est.* Non obstat Secundum, quia Verba illa *antequam convenirent* non innuunt *antequam contraherent*, nec antequam Uxorem ad domum suam duceret, sed antequam Matrimonium consumaret. Non Tertium, ly enim *Desponsata* tantùm valet, quantum *conjugata*; sed per Matrimonium ratum, non consummatum, quia intacta, neque à Viro cognita; undè S. Petrus Chrysologus *serm.* 175. ait: *Joseph maritus solo nomine; conscientia sponsus.* Non obstat Quartum, circa quod tres colliguntur responsiones ex pluribus per DD. congestis pro eo resolvendo. Una est S. Thomæ *in* 4. *Sent. dist.* 30. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ac* 2. nec non *in* 3. *p. q.* 28. *art.* 4. videlicet, quòd Votum Virginitatis DEIPARÆ non fuit sole-
20 mne, sed simplex, per quod non dirimitur Matrimonium; & ulteriùs quòd non fuit absolutum, sed conditionatum, si Deo placeret; & nisi Deus aliter præciperet: quapropter, hac conditione stante, Sanctissima Virgo consensit Matrimonio cum S. Joseph; intelligens sic Deo placitum esse, & sic Deum præcipere. Ita, sed fusè Cardin. Capisucchius *d. Controv.* 14. §. 4. & §. 5. Secunda responsio est, quòd DEIPARA, etsi voto absoluto Virginitatis adstricta, nupsit S. Josepho, quia divinitùs fuit à Spiritu Sancto certificata; quòd S. Joseph ejus Virginitatem non violaret, sed intactam, & illibatam servaret. Ita Barradius *d. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 7. *col.* 7. ibi: *Respondemus paucis, Virginem ex Divina revelatione, sine ulla Virginitatis, votique injuria, Matrimonium contraxisse, propterea quòd sciret, se Viro tradi, cui perpetuam quoque colere Virginitatem erat in animo.* Concordat Consalvus Durant. in *Notis ad Revelat. S. Birgittæ lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Tertia responsio est, quæ mihi magnoperè arridet, quòd ante Sponsalia DEIPARA manifestavit S. JOSEPH, se emisisse votum perpetuæ Virginitatis, & ab eodem pariter intellexit, eodem voto ipsum esse adstrictum; undè pari consensu adinvicem convenerunt, Matrimonium quidem contrahere; sed ab omni conjugali actu penitus abstinere, & illibatum Votum Vir-
21 ginitatis ad Dei gloriam usque ad mortem servare; qua conventione facta, & Sponsalia inierunt, & Matrimonium ratum per verba de præsenti inter se firmarunt; quam quidem conventionem non esse contra substantiam Matrimonii tradunt Abulensis *in cap.* 30. *Numer. quæst.* 32. Paludanus *in* 4. *dist.* 30. *q.* 2. Gerson *Serm. de Nativitate Mariæ*, Lodulphus *de Vita Christi part.* 1. *cap.* 3. quos citat, & approbat Riccio-lius *d. tom.* 1. *Chronol. Reform. lib.* 8. *cap.* 19. *sub num.* 5. ubi reddit rationem dicens: *Nam illa conditio* (Virginitatem perpetuam servandi) *non perimit omnem effectum Matrimonii, quia in utroque manet jus, ne alter contrahere possit Matrimonium cum alia persona.* Et hanc eamdem doctrinam, ac responsionem tuentur plures Theologi Morales, inter quos Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 1. *cap.* 17. Rebellus *de oblig. Just. part.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 13. *à num.* 37. *& seqq.* Ledesma *quæst.* 47. *art.* 5. *Vers. Quod verò attinet.* Coninchius *disp.* 24. *dub.* 4. *num.* 43. Bonacina *de Matrim. quæst.* 2. *punct.* 10. *num.* 13. & alii apud Barbosam *in Collect. DD. ad cap. Si con-*

ditiones. num. 3. *de Condition. appos.* quibus addenda sunt exempla in antecedenti *Decis. II. num.* 16. relata; esset enim nefas dicere, non fuisse verum Matrimonium inter S. Cæciliam, & Valerianum; inter S. Henricum Imperatorem, ac S. Cunegundem; ac inter alios castissimos conjuges ibi nominatos. Non obstat Quintum; quia etsi in Matrimonio conjuges acquirant jus reciprocum in corpora sua; hoc tamen jus sufficit, ut subsistat quo ad dominium directum; etsi non adsit quo ad usum. Nam, ut ait Bonacina *d. punct.* 10. *num.* 13. *Potest sub-* 22 *sistere dominium, & subjectio corporum cum prædicta obligatione, seu conditione servandæ castitatis; cum enim dominium distinguatur ab usu, potest verum dominium subsistere cum obligatione, seu conditione non utendi re ipsa.* Itaque inter Sanctissimam Virginem, & S. JOSEPH fuit quidem hoc jus, & hoc dominium; sed non fuit usus corporum, attento pacto, ac promissione reciproca castè vivendi, & vota hinc indè Virginitatis servandæ facta adimplendi, ut latissimè demonstrat Rebellius tum rationibus, tum dictis SS. Patrum. *De Oblig. Just. lib.* 3. *quæst.* 13. *à num.* 37. *& seqq.* Idcirco dixit S. Birgittæ ipsa DEIPARA, *ea intentione desponsavit me JOSEPH, ut serviret mihi, habendo me pro Domina sua, non pro Uxore;* excluso prorsùs conjugii usu carnali; &, ut notat *ibidem* Consalvus Durantus, *Ut illi inserviret, eamque custodiret, quod etiam ad mariti functionem pertinet; non ut ab ea Virginitatem auferret, ut communiter in aliis accidere solet. Neque tamen hæc intentio contrariatur* Matrimonio, *quoniam propositum consummandi illud non est de substantia ejus, ut ex cap. Sufficiat.* 27. *q.* 2. *patet, & tradit D. Augustinus de bono conjugali cap.* 25. *ac etiam ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi definit,* Matrimonium *perfici mutuo consensu.* Quod fusiùs repetit, ac demonstrat Ricciolius *d. lib.* 8. *cap.* 19. *n.* 6. *& 7.* Tandem non obstat Sextum, in quo contrarium videbantur dicere SS. Patres ibi relati; nam omnes loquuntur de usu Matrimonii, de copula maritali, & de Matrimonio 23 consummato; in quo sensu scripserunt, S. Josephum non fuisse maritum, neque Sanctissimam Virginem extitisse ejus Uxorem; secùs autem habita relatione ad Matrimonium ratum, quod inter eosdem verè extitisse fatentur, ut copiosè disserit Suarez *d. tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 1. *Vers. ad Sanctos.* nec non Barradius *d. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 7. *col.* 6. *Vers. Hæc Patrum verba.* atque Emin. Card. Capisucchius *d. Controv.* 14. §. 8. propè finem *Vers. ad testimonia verò SS. Patrum.*

Hic autem duo corollaria sunt adjungenda. Unum est, cujus ætatis esset S. JOSEPH, quando desponsavit sibi Almam Virginem, ac eam 24 duxit in Uxorem? Et equidem tunc eum fuisse octogenarium scripserunt Nicephorus, Abulensis, Jo. Gerson, Viguerius, Cedrenus, & alii, quos allegat Suarez *d. tom* 2. *in* 3. *part. D. Thom. disp.* 7. *sect.* 3. & Barradius *d. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 7. *col.* 11. quod deduci posse videtur ex picturis, quæ hunc Sanctissimum Sponsum senem repræsentant. At hæc opinio non placet ex sequentibus. 1. Quia in Matrimoniis servanda est proportio ætatis. Sed DEIPARA erat juvenis; ergo etiam S. JOSEPH. 2. Quia si non fuis-

set

set in ætate apta ad generandum, fama Sanctissimæ Virginis non fuisset illæsa servata. 3. Debebat esse floridæ ætatis ad tot peregrinationes cum Beatissima Sponsa peragendas, eundo in Bethleem ante partum Virginis, & paulò post partum declinando in Ægyptum ad præservandum puerum JESUM ab ira Herodis, post cujus mortem longum illud iter denuò aggressus est, cum MARIA, & JESU revertentes in Judæam, civitatemque pristinam Nazareth. Item oportebat, eum esse floridæ ætatis ad plurimos labores pro sustentatione familiæ tolerandos. 4. Quia soliti erant Hebræi in juvenili ætate Uxores ducere, non autem expectare senectutem. 5. Quia emiserat Votum Virginitatis, hoc autem fieri solet in juventute; non in senili ætate. 6. Quia Evangelista dixit: *Missus est Angelus, &c. desponsatam Viro;* non autem seni. 7. Quia prædixerat Isaias *cap. 62. num. 5.* de tempore adventus Messiæ, quòd *habitabit juvenis cum Virgine*; idest S. JOSEPH cum MARIA, ut ibi Glossa, ac Lyranus interpretantur. 8. Quia cùm hoc Matrimonium esset præordinatum à Deo, ut Christus Dominus putaretur filius S. Josephi; hunc oportebat esse floridæ ætatis; ut ex his, ac aliis conjecturis concludit Suarez *d. disp. 7. sect. 3.* & Barradius *d. lib. 6. cap. 7. col. 12.* ubi ita firmat: *Crediderim Joseph non fuisse senem, sed ætatis perfectæ Virum; generandis liberis, juvandæque Virgini, & fabrilis artis labori aptum. Alioqui nec Virginis famæ satis consultum foret, si generationi esset propter senectutem ineptus; neque ejus obsequium, & ars utilis esset, si jam ætate foret confectus.*

Alterum corollarium continet excellentiam, ac sublimem sanctitatem S. Joseph. 1. Quia fuit Sponsus DEIPARÆ, & excepto usu maritalis copulæ, habuit omnia jura, & munera veri Sponsi. 2. Quia obtinuit nomen, ac existimationem Patris JESU Christi Filii Dei, & in hoc Pater æternus eum sibi similem fecit. Quòd si magna fuit dignitas Joannis, cui Christus pendens in Cruce assignavit Sanctissimam VIRGINEM in Matrem suam; quantò major est excellentia S. Joseph, cui æternus Pater communicavit in nutriendo ejus Filio incarnato suam Paternitatem? 3. Quia non solùm Patris nomen, sed officium, 25 sollicitudinem, ac affectum S. Joseph habuit erga Christum, itaut factus fuerit, ut ait S. Bernard. *Hom. 3. circa fin. Servus fidelis, & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutricium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum; ut non immeritò illi accommodari possit, quod de alio Joseph scriptum est, constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* 4. Quia sicut per verum Matrimonium ratum contractum cum Sanctissima Virgine in eam omne dominium, usu maritalis copulæ excepto, acquisivit: ita & in Christum in ejus utero incarnatum habuit plenam dominationem; quod enim nascitur, vel ædificatur in solo alieno, sub illius dominium cadit, cujus est solum. §. *Cum in tuo solo. Vers. ex diverso. Instit. De rer. divis.* idcircò de Christo dicitur, *Luc. 2.* quòd *erat subditus illis.* 5. Quia singulare vinculum mutui amoris intercedebat tum inter MARIAM, & JOSEPH, quem illa summè diligebat, & cui omne bonum à Deo precabatur, videns ejus sanctitatem, obsequia, ac labores; tum inter JESUM, & ipsummet Joseph, qui ex Incarnati Verbi familiaritate, ac continua præsentia incessanter proficiebat in utraque vita, activa, & contemplativa; adeò ut multi ex SS. Patribus scripserint; S. Joseph superasse merita, ac dignitatem Apostolorum; ut disputando differit (respectu ministerii attingentis Unionem Hypostaticam) Suarez *d. tom. 2. in 3. part. disp. 8. sect. 1. in fin.* & abundantiùs sæpè citatus Barradius *eod. tom 1. libr. 6. cap. 8. per tot.* cui addendus est Cornelius à Lapide *d. Commentar. in Matth. c. 1. vers. 16. 6.* Tandem quia S. Joseph cùm ex hac vita migraverit, Christo adhuc vivente, habuit illum, ac Sanctissimam Virginem adjutores, & consolatores in transitu suo, undè sic de eo cecinit Jo. Gerson, Cancellarius Parisiensis, teste Barradio *d. cap. 8. propè finem.*

Venerat illa dies, quæ vitam morte pararet
Perpetuam Tibi juste JOSEPH, David inclyta proles.
Christus adest cum Matre pia, quibus officiosè
Servieras: vultu placido solantur euntem.
Ora licet lacrymis oppleverit intus obortis,
Naturalis amor, etenim fat credere fas est,
Quòd Patrem JESUS, & Sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum, &c.

His addendum est efficax S. JOSEPH patrocinium erga suos devotos; quocirca S. Theresia mira devotione colebat S. Josephum, eundemque omnibus commendabat, asserens se per intercessionem S. Josephi multa, & magna, imò omnia, quæ habebat, à Deo impetrasse, ut notat Cornelius à Lapide *ubi proximè*, & de eodem Patrocinio prælaudatus Gerson pius Poeta, apud ipsum Barradium, adjungit:

Quanta ò fiducia? Quanta est
Vis impetrandi? Quia dum Vir, dum Pater orat
Uxorem, & Natum, velut imperium reputatur.

Legant animarum Pastores, ac Verbi Dei Præcones, conciones duas pulcherrimas de laudibus, ac patrocinio S. Joseph: Unam in Quadragesimali eximii Concionatoris Pauli Segneri Societatis Jesu, quæ est in ordine XXXIX; Alteram Romuli Marchelii Clerici Regularis Bernabitæ, quæ pariter in ejus Quadragesimali est in ordine XXVIII.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Definitur Matrimonium tanquam Sacramentum, & de eo quinque curiosa, sed utilia dubia resolvuntur. Videlicet: 1. An ante Legem Evangelicam Matrimonium fuerit Sacramentum in omni populo? 2. An illud Infidelium, dum baptizantur, fiat Sacramentum? 3. An illud fidelis cum infideli?

fideli? 4 An illud duorum fidelium, si ipsi intendant facere solum contractum, non autem Sacramentum? Et 5. Quid de Matrimonio contracto per Procuratorem, vel per Epistolam? Referuntur Matrimonia Clodovei Regis Franciæ de Anno 494. & Leopoldi Imperatoris de Anno 1665.

SUMMARIUM.

1 *Sacramenti Matrimonii definitio.*
2 *Contractus Matrimonii est fundamentum Sacramenti.*
3 *Sacramentum Matrimonii confert gratiam ex opere operato.*
4 *Gratiæ Sacramenti Matrimonii qui sint effectus?*
5 *Gratia prædicta est duplex. Et cur?* num. 23.
6 *Matrimonii Sacramentum dicitur* in fieri, *non autem* in facto esse.
7 *Gratia an detur conjugibus toties quoties coeunt?*
8 *Matrimonium an fuerit Sacramentum etiam ante Legem Evangelicam?*
9 *Rationes pro Affirmativa*, text. & DD.
10 *Rationes pro negativa: & Concilia.*
11 *Benedictio à Deo data Adam, & Evæ quid fuerit?*
12 *Apostolus scribens* ad Ephesios 5. 32. *loquebatur de Matrimonio Christianorum.*
13 *Matrimonium in lege veteri quomodo fuerit remedium concupiscentiæ?*
14 *Sacramenta non reperiuntur nisi in Ecclesia.*
15 *Infidelium Matrimonia cur dicta sint Sacramenta?*
16 *Infidelium Matrimonia, dum baptizantur, an evadant Sacramentum?*
17 *Quòd sic, si novo consensu contrahant simul.*
18 *Imò absque novo consensu.*
19 *Quòd non fiant, neque fieri possint Sacramenta; rationes, & DD.*
20 *Matrimonium fidelis cum infideli an sit Sacramentum.*
21 *Clotildis Christiana nupsit Clodoveo Regi Francorum Pagano.*
22 *Clotildis Matrimonium an fuerit Sacramentum? Quòd sic rationes.*
23 *Quòd non; rationes.*
24 *Matrimonium an sit unum Sacramentum? vel duo?*
25 *Clotildis filios ex Clodoveo Pagano susceptos baptizavit.*
26 *Columba miraculosum Chrisma attulit in baptismo Clodovei.*
27 *Matrimonium fidelium an ab eis fieri possit, quòd non sit Sacramentum?*
28 *Rationes, quod non.*
29 *Rationes quod sic.*
32 *Sacrilegium est velle contrahere Matrimonium sine Sacramento.*
31 *Matrimonium sine Sacramento impedit, & dirimit.*
32 *Matrimonium an possit contrahi per Procuratorem, seu per Epistolam?*
33 *Et an sit Sacramentum? Ratio pro negativa.*
34 *Rationes pro affirmativa.*
35 *Matrimonia per Procuratorem inita à principalibus renovanda coram eorum Parocho, & testibus.*
36 *Leopoldi Imperatoris renovatio prædicta Matrimonii sui cum Margarita Theresia Regis Hispaniarum filia Anno* 1665.

MAtrimonium considerari posse vel tanquam simplicem contractum, vel tanquam Sacramentum diximus in *Decis. I. num.* 1. & quia, prout Contractus est, aliud dicitur *in fieri*, & aliud *in facto esse*, dedimus definitionem Matrimonii contractus *in fieri* in *Decis. II. num.* 1. at prout est *in facto esse* illud definivimus eadem *Decis. II. n.* 8. & ex utraque definitione integram naturam, ac essentiam contractus Matrimonii declaravimus. Restat, ut in præsenti illud definiamus tanquam Sacramentum; & nonnulla dubia circa ejus esse Sacramentale à Theologis agitata, eorumque resolutionem proponamus; ut studiosi Decisionum harum plenam notitiam hujus Sacramenti consequantur.

Itaque Matrimonium tanquam Sacramentum, sic definitur à Canonistis: *Est signum sensibile gratiæ collatæ Viro, & Mulieri legitimo modo* 1 *copulatis, ad perpetuam Vitæ consuetudinem mutò peragendam.* Gonzalez *in Comment. ad cap.* 1. *n.* 10. *de Sponsal.* At Scholastici dant sequentem definitionem traditam à Scoto *in* 4. *Sent. dist.* 26. *quæst. Unic.* Videlicet: *Est expressio certorum verborum, vel signorum æquivalentium Maris, & Fœminæ ad se invicem, significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debite procreandam, ex institutione Divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuò contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Hanc eamdem refert Mastrius *in* 4. *Sent. tom.* 4. *disp.* 7. *n.* 10. dicens, quòd hæc est definitio perfecta, nam explicat omnia essentialia ad hoc Sacramentum; dum enim dicitur *Expressio certorum verborum, vel signorum &c.* significatur, quòd hoc Sacramentum fundatum est in contractu; & quòd ipse contractus Matrimonialis est fundamentum, cui innititur essentia hu- 2 jus Sacramenti; & ideò omnia essentialia ad validitatem contractus Matrimonialis sunt de essentia Matrimonii Sacramenti; itaut si contractus ex defectu alicujus partis essentialis sit nullus, etiam Sacramentum subjaceat nullitati. Cùm verò dicitur *Ex institutione Divina efficaciter significans gratiam, &c.* specificatur Matrimonium sub ratione Sacramenti, quæ consistit in virtute ei à Christo collata ad conferendam gratiam contrahentibus, sicut suscipientibus alia Sacramenta; & quidem ex opere operato. Cùm verò dicitur *ad* 3 *conjunctionem mutuam animorum gratiosam*, denotatur finis, & differentia hujus gratiæ Sacramentalis, ut discernitur ab aliis Sacramentis,

quia

quia gratia Baptismalis est ad regenerandum; gratia Confirmationis ad roborandum in fide; & sic de aliis Sacramentis; quæ sicut ad differentes morbos hominum viatorum sunt instituta, ita conferunt gratiam ad hunc, vel illum finem. Porrò quia Sacramentum hoc est institu-4 tum ad bene ferenda onera Matrimonialia; ideò confert contrahentibus Matrimonium gratiam sanctificantem, & alias gratias, ac auxilia ad prædictum finem opportuna; & sic differt hæc gratia ab illa aliorum Sacramentorum, quæ per se ad hoc non sunt instituta; ut differit idem Mastrius *d. disp. 7. num.* 10. & Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 13. *art.* 14. ubi *num.* 220. 5 bene advertit, quòd hæc gratia est duplex; quia cùm duo sint contrahentes, confertur utrique conjugi, dummodò tamen sint dispositi, & non ponant obicem; idest non contrahant in peccato mortali; quòd si obicem ponent, non recipiunt ipsam gratiam: at obice remoto consequentur auxilia ab ipso Sacramento provenientia; quæ quidem auxilia recitantur à S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 26. *part.* 2. *qu.* 2. & referuntur ab eodem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 13. *num.* 223. utrobique à Studiosis legenda.

Ex his deducitur, quòd essentia hujus Sacramenti consistit, & fundatur in contractu Matrimonii *in fieri*, non autem *in facto esse*; & sic in 6 actu illo transeunte, & non in vinculo Matrimoniali permanente; atque ideò Sacramentum Matrimonii est Sacramentum *in fieri* tantùm, non etiam deinceps *in facto esse*, nam solùm ille contractus, & actus transiens institutus est, & elevatus tanquam medium ad conferendam gratiam; non verò vinculum ex illo actu resultans, & deinceps permanens; & hinc sequitur, quòd quoties conjuges in statu gratiæ coeunt, & actum Matrimonialem exercent, toties non recipiunt no-7 vam gratiam sanctificantem ex opere operato, neque novæ gratiæ augmentum, ut tenent Coninchius, Aversa, Caspensis, & alii, quos allegat, & sequitur Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 11. adducens textum *in cap. Connubia.* 32. *q.* 2. sic dicentem: *Connubia legitima carent quidem peccato: non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur; etiamsi Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur.* Propterea ipse Mastrius *ibidem num.* 12. reprobat doctrinam Sanchezii, qui *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 5. *num.* 7. docet Matrimonium esse Sacramentum tam in fieri, quàm in facto esse adinstar Sacramenti Eucharistiæ, quod tale est, dum conficitur, & quotiescunque species consecratæ, ac reservatæ sumuntur; nam, ut advertit Aversa *de Matrim. quæst.* 2. *sect.* 1. Eucharistia per suum usum, dum sumitur, gratiam confert suscipienti, & est Sacramentum, quia species panis, & vini significant, & continent alimentum gratiæ spiritualis, quam conferunt. Sed copula carnalis inter conjuges non repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia practico modo, qualis esse debet Sacramentorum significatio, sed solummodò speculativè; siquidem vera, & practica significatio hujus Sacramenti habetur in ipso contractu, & quando conjuges contrahunt Matrimonium per verba de præsenti, tunc enim repræsentatur Christi conjunctio cum Ecclesia: quia tunc conjugum animi adinvicem colligantur, & Jus reciprocum in eorum corpora traditur indissolubile; & ideò in ipso contractu *in fieri* invenitur tota, & completa hujus Sacramenti ratio, tam ratione collationis gratiæ, quàm ratione repræsentationis Unionis Christi, & Ecclesiæ; non autem *in facto esse*, & in actu copulæ carnalis, ut fusiùs scribit ipsemet Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 12.

Hic autem nonnulla dubia sunt resolvenda, quæ à Scholasticis promoventur circa Matrimonium, tanquam Sacramentum. Primum est, An 8 Matrimonium etiam ante Legem Evangelicam, & in omni populo fuerit Sacramentum? Alensis, Chaterinus, Petrus Soto, Alphonsus de Castro, & alii citati à Mastrio *d. disp.* 7. *de Matrim. num.* 26. affirmarunt ex sequentibus rationibus. 1. Quia cùm Deus creasset Masculum, & Fœminam in Paradiso terrestri *benedixit illis, & ait: Crescite,* 9 *& multiplicamini. Genes.* 1. 28. Tunc igitur Matrimonium institutum est, & factum Sacramentum habens vim conferendi gratiam; aliàs illa benedictio fuisset otiosa. 2. Quia Apostolus Paulus, quando dixit *Ephes.* 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est*, loquebatur de omni Matrimonio tam fidelium, quàm infidelium, & ideò refert illa Verba *Genes.* 2. 24. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una.* 3. Quia denuò post peccatum Matrimonium fuit institutum in remedium concupiscentiæ. Ergo ex tunc vim habuit à Deo gratiam conferendi, ut concupiscentiæ malo mederetur. 4. Quia S. Augustinus *libr. de bono conjugali c.* 18. inquit, *Sacramentum Matrimonii esse omnibus gentibus commune.* 5. Quia Innocentius III. *in cap. Veniens. De Presbyter. non baptiz.* ita habet: *Quoniam & Sacramentum conjugii, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest.* 6. Quia idem Innocentius III. *in cap. Gaudemus. De Divort.* dicit: quòd *Sacramentum Conjugii apud fideles, & infideles existit.* 7. Quia *in cap. ult. de Transact.* ita Honorius III. scribit: *Utpotè Conjugii Sacramentum, quod non solùm apud Latinos, & Græcos, sed etiam apud fideles, & infideles existit.* Idcircò Matrimonium fuisse Sacramentum olim in lege naturæ, & nunc inter infideles scripserunt Catherinus *lib.* 5. *contra Cajetanum tit. de Matrim. q.* 5. Roffensis *contra Regem Angliæ Assert.* 7. *De Sacram.* & Castro *de Hæresib. Verb. Nuptiæ, Hæres.* 3. ut notat Gonzalez *in Comment. ad cap. De infidelibus, sub num.* 3. *De consanguin. & affinit.*

Nihilominùs dicendum, ac tenendum est, Matrimonium in lege naturæ, ac etiam apud infideles fuisse quidem, ac esse Contractum honestum; non autem Sacramentum; quia septem 10 Sacramenta Ecclesiæ, inter quæ numeratur Matrimonium, à Christo Domino sunt instituta, ut definitum est in Concilio Tridentino *sess.* 7. *can.* 1. & *sess.* 24. *can.* 3. & antè illud in Florentino ab Eugenio IV. Certum enim, & infallibile est axioma illud, quòd Baptismus est janua omnium Sacramentorum; & eorumdem nullus est capax, nisi suscepto Baptismo; ut latè demonstrat pluribus argumentis Mastrius *d. disp.* 7. *in* 4. *sent. tom.* 4. *num.* 27. & 28. Emin. Card. de Lauræa *disp.* 13. *de Matrim. art.* 7. & *art.* 8. ac differit Gonzalez *in Comment. ad d. cap. De infidelib. num.* 3. *De Consanguin. & Affinit.*

Neque obstant, quæ supra adducta sunt in contrarium. Non primum de benedictione à Deo
11 data primis parentibus dicendo *Crescite &c.* quia illa fuit approbatio quædam divini operis in esse naturæ, non autem institutio Sacramenti habens vim conferendi gratiam Sanctificantem; & hoc patet, quia etiam volatilibus, & aquatilibus Deus benedixit dicens: *Crescite, & multiplicamini &c.* ut legitur *Gen.* 1. 22. Non Secundum ex verbis Apostoli *ad Ephes.* 5. 32. quia aliqui respondent *ly Sacramentum* fuisse sumptum ab Apostolo lato modo, pro mysterio aliquo etiam in lege veteri existente, videlicet futuræ conjunctionis Christi cum Ecclesia. Porrò Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 30. cum Hiqueo, Aversa & aliis, constanter dicit, quòd Apostolus loquebatur de Sacramento Christianorum, ad quos tunc scri-
12 bebat, & quos hortabatur vivere cum sanctitate in Matrimonio, & ideò loquitur per verbum de præsenti. *Sacramentum hoc magnum est*; non autem de præterito *fuit*, *fuerat*, *aut erat*; quia intelligebat de fidelium conjugiis; non autem de illis infidelium, vel legis Mosaycæ. Non Tertium, quia post lapsum primorum parentum, fuit quidem Matrimonium iterum datum, ac propositum in remedium concupiscentiæ, sed non tanquam Sacramentum conferens gratiam sanctifi-
13 cantem; sed uti medium licitum, & honestum, quo homines uterentur ad concupiscentiam sedandam; abstinentes se ab aliis illicitis. Non obstant reliqua ex verbis S. Augustini, ac Summorum Pontificum desumpta; quamvis enim, ut ait Barbosa *in Collect. DD. ad d. cap. Gaudemus. de Divort. num.* 3. elaborent maximè DD. in declarandis hujusmodi verbis, quæ videntur difficilimæ resolutionis, quia Sacramenta non
14 reperiuntur nisi in Ecclesia, *cap. Quia ex sola* 24. *quæst.* 1. *cap. Extra Catholicam.* 1. *quæst.* 1. *& cap. Plerumque. §. hinc est.* 2. *quæst.* 7. nihilominùs alii dicunt, Sacramentum Conjugii existere apud infideles habitu, non verò actu. Ita Covaruvias *De Sponsal. part.* 2. *cap.* 1. §. *Unic. num.* 4. Alii quòd illud verbum Sacramentum ibi sumitur largè, & impropriè. Ita DD. apud Sanchez. *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 8. *num.* 1. Alii quòd nomen illud Sacramenti accipitur pro aliquo signo rei Sacræ; secùs autem pro vero Sacramento, gratiam conferente. Ita Ricciullus *de Jure per-*
15 *son. extra grem. Eccles. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. Ipse Barbosa *ubi supra num.* 5. ita respondet: *Sacramenta in genere sumpta in duas partes dividantur; in Sacramenta scilicet legis veteris, ac naturalis; & legis novæ, ac Evangelicæ, quæ licet inter se multum differant, tamen omnia dicuntur Sacramenta; & ideò Matrimonium apud infideles dicitur Sacramentum; non quidem legis Evangelicæ, sed legis veteris; in qua tale dicebatur, sed imperfectum; & gratiam non efficiens*, Theologi tandem respondent Matrimonium infidelium appellari Sacramentum lato modo sumptum, idest *Mysterium*, ea ratione quia valet significare aliqualiter Unionem Christi cum Ecclesia. Ita Mastrius *d. disp.* 7. *sub num.* 30. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 13. *art.* 7. & 8. Et in hoc sensu accipiendi sunt Theologi, qui vocaverunt Sacramenta Matrimonia infidelium, Catherinus, Rossensis, & alii.

Dubium secundum est: An Matrimonium Infidelium, saltem quando ambo conjuges baptizantur, evadat Sacramentum, cùm antea 16
simplex contractus esset, itaut eis gratiam conferat? Circa hoc tres sunt opiniones. Prima affirmat, dummodò uterque conjux post receptum baptismum, reiteret consensum in ipsum Matrimonium, ac illud ratificet. Ita Capreo- 17
lus, Hechius, Cardin. Bellarminus, Henriquez, Bonacina, Ledesma, Abeillius, & alii, quos citat Mastrius *d. disp.* 7. *n.* 31. & quibus adhæret Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 13. *art.* 9. *num.* 145. *& seqq.* usque ad *n.* 149. ubi reddit hanc rationem, dicens: *Illa requiruntur, quæ se habent, ut materia, forma, & intentio: Sed consensus ille externè expressus dicit hæc. Ergo. Item: Eo prorsùs modo se habent quoad receptionem Sacramenti, sicut se habent, qui nunquam inter fideles contraxerunt. Sed isti, ut Sacramentum Matrimonii faciant, egent consensu illo externè expresso. Ergo. Major patet, nam contractus, qui priùs præcessit, cùm modò nihil sit, non potest esse subjectum; ita autem se habent fideles, qui non contraxerunt; habent enim negationem contractus, quæ non est, nec esse potest fundamentum Sacramenti.*

Secunda opinio dicit, Matrimonium infidelium, cùm baptizantur, statim fieri Sacramentum absque alia repetitione, aut renovatione consen- 18
sus. Eorum ratio est, quia contractus præteritus ipsorum infidelium non habuit aliud impedimentum, ut Sacramentum tunc esset, nisi quia ipsi non erant baptizati. Ergo cùm contractus præteritus moraliter maneat; & fiat baptizatorum; evadit statim Sacramentum post susceptum baptismum; præsertim cùm tam congruum sit, ut illis provideatur de remedio hujus Sacramenti, aliisque remediis quibuscunque à Sacramento provenientibus ad ferenda onera Matrimonii. Ita Paludanus, Hispalens. Covaruvias, Veracrux, Becanus, & Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp* 9. *num.* 5. quem sequuntur Aversa *eodem tract. q.* 1. *sect.* 6. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 2. *n.* 51. Gobatus *tract.* 10. *num.* 390. & Pontius *disp.* 49. *quæst.* 3.

Tertia opinio, rejectis prorsùs duabus præcedentibus, tenet, Matrimonium jam inter infideles contractum nullo modo fieri posse Sacra- 19
mentum, quando baptizantur, & ad fidem convertuntur. Ratio est, quia essentia hujus Sacramenti annexa est contractui Matrimoniali *in fieri*, non autem *in facto esse*, ut docuimus supra in hac Decisione *num.* 6. ubi notavimus, quòd hoc Sacramentum est quid transiens, & consistens in actione; & non in vinculo permanente. Cùm igitur contractus ille præteritus infidelium non fuerit tunc inter baptizatos, non potest evadere Sacramentum, quando baptizantur, quia tunc actu non existit, & Sacramento tunc tantùm fiunt, dum applicatur eorum Materia, Forma, & Intentio physicè, quæ quidem Materia, & forma cùm sit consensus conjugum (ut infra docebimus *Decis. V.*) non applicatur physicè contractui, dum baptizantur, quia jam antea contraxerant. Ergo tempore Baptismi præteritus contractus non potest evadere Sacramentum. Ita Vasquez, Coninchus, Silvius, Caspensis, Hurtadus, & Hiqueus, quos citat, & sequitur Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 32. *& seqq.* ubi insistit in hac opinione, & eam aliis rationibus confir-

confirmat ; ac illam amplexus est etiam Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol.* 126. existente in veteri *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 252. ubi respondet rationibus duarum præcedentium opinionum, dicendo, quòd novus consensus post baptismum in idem Matrimonium nihil valet, cum jam non sint amplius suæ libertatis, sed illa se privaverint tempore contractus, quo etiam dederunt sibi potestatem suorum corporum ; adeò ut cùm nihil proprii habeant ad contrahendum, novum contractum Matrimonii inire non possunt ; & sic deficiente contractu *in fieri*, deficit ratio Sacramenti, quæ suum effectum operatur, & gratiam confert in ipso primo actu contrahendi. Quò verò ad congruentiam, ut concedantur infidelibus conjugatis, dum baptizantur, opportuna auxilia ad onera Matrimonii ferenda, subdit Mastrius *ubi prox. n.* 33. quòd Deus attenta fide, conversione, & baptismo illorum supplet gratiam, & auxilia, quæ conferuntur fidelibus in contractu Matrimonii virtute Sacramenti. Nam illi ea consequuntur, non ex vi hujus Sacramenti, sed ratione Fidei, ac Baptismi suscepti.

Tertium dubium est : An Matrimonium fidelis cum infideli sit Sacramentum saltem ex parte
20 ipsius Fidelis ? Sumi potest exemplum ex Clodoveo Rege Francorum, qui Anno Christi 494. cùm esset Paganus, captus amore pulcherrimæ Clotildis filiæ Principis Burgundiæ, eam duxit in Uxorem, ut narrat S. Gregor. Turonensis *lib.* 2.
21 *de Reb. Franch. cap.* 28. & 29. Eminen. Cardin. Baronius ad *d. Annum* 494. & *ibidem* ejus Summator Spondanus *num.* 5. Novissimè P. Antonius Foresti in *Mappamundo Histor. tom* 4. *lib.* 6. *de Regib. Franc. pag.* 162. circa quod Matrimonium supponendum est interveniisse Apostolicam dispensationem, quia cultus disparitas est impedimentum dirimens, ut suo loco dicetur. Igitur quod ad resolutionem attinet hujus dubii ; certum est, non esse Sacramentum ex parte conjugis infidelis, quia iste ex defectu Baptismi incapax est aliorum omnium Sacramentorum, & sic Clodoveus Rex nullam gratiam sanctificantem potuit percipere ducendo Clotildem in uxorem. & quo ad ejus personam Matrimonium non potuit esse Sacramentum. Verùm quo ad Clotildem Reginam duæ sunt opiniones Prima affirmat, quia ita videtur institutum à Christo Domino hoc
22 Sacramentum, ut semper sit Sacramentum, quando Matrimonium contrahitur ab aliquo baptizato capace Sacramentorum. Tanto magis quia fidelis contrahens cum infideli eget magna ope, ac auxilio spirituali, ex gratia sanctificante proveniente, ad ferendum illud onus cum infideli, & illum ad fidem convertendum, ut fecit Regina Clotildis post spatium decem annorum. Confirmatur quia si duo fideles Matrimonium contrahant, & unus sit in mortali, & incapax gratiæ Sanctificantis à
23 Sacramento provenientis ; alter qui obicem non habet peccati, recipit gratiam, & effectum Sacramenti. Ergo idem est dicendum si unus sit fidelis, licèt alter sit infidelis. Ita tenent Sotus, Catherinus Echius, Rebellus, Aversa, Hiqueus, Pontius, ac ipsemet Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 13. *de Matrim. art.* 10. in quo ulteriùs *num.* 163. id probat ex paritate Baptismi, qui ministratus ab infideli animo faciendi, quod faciunt fideles, est verum Sacramentum.

Altera opinio negat, tale Matrimonium esse Sacramentum etiam quo ad contrahentem fidelem, ea ratione, quia essentia hujus Sacramenti 24
consistit in mutuo expresso consensu utriusque conjugis, & non unius tantùm. Sed dum alter est infidelis, atque incapax hujus Sacramenti non potest adhibere consensum aptum ad essentiam ipsius Sacramenti. Ergo tale Matrimonium neque respectu conjugis fidelis est Sacramentum. Confirmatur, quia Christus Dominus constituit hoc Sacramentum in solo contractu integro, qui talis evadit, quando illum ineunt duo baptizati. Ergo si unus tantùm contrahens sit baptizatus, non sortitur naturam Sacramenti ; siquidem sicut Matrimonium est unicus contractus duorum ; sic etiam debet esse unicum Sacramentum in ambobus conjugibus. Ita sentiunt Henriquez, Vasquez, Coninchius, Isambertus, Hurtadus, & alii apud Sanchez *d. lib.* 2. *de Matrim. disp.* 8. cum quibus ipse tenet ; & iisdem adhæret Tannerus apud Gobatum *d. tract.* 10. *num.* 390. atque Mastrius *d. disp.* 7. *à num.* 36. & *seqq.* ubi lato calamo hanc opinionem negativam confirmat, & resolvit rationes contrarias.

Cæterùm Becanus *de Matrim. cap.* 44. *quæst.* 4. *num.* 8. ait pendere decisionem hujus dubii ab illa quæstione, quam Theologi faciunt, U 25
trum Matrimonium sit tantùm unum Sacramentum, vel duo Sacramenta partialia, ex quibus unum perfectum integratur ? Qui tenent, esse duo partialia Sacramenta, concedunt quoque esse validum Sacramentum in conjuge baptizato, etsi nullum sit in infideli, prout gratia sanctificans recipitur à contrahente non ponente obicem peccati ; non autem ab illo, qui contrahit existens in peccato. At qui docent, esse unum tantùm Sacramentum, quia est unus tantùm contractus inter Virum, & Fœminam, cui contractui innititur ratio Sacramenti, concludunt, cùm non possit esse Sacramentum ex utraque parte, ex neutra parte posse fieri Sacramentum. Eligat Studiosus Lector opinionem sibi magis gratam, cùm pro utraque militent eximii Theologi, ac Doctores. Certum est Clotildem sanctissimam Reginam, & Uxorem Clodovei Regis Francorum copiosa Divinæ gratiæ munera obtinuisse ; 26
dum adhuc conjuge suo infideli filios sacro baptismi lavacro potuit regenerare ; & eumdem Regem etsi ferocissimum, ac bellicosum ad fidem Christianam convertere ; in cujus solemni baptismate *Ampulla Chrismatis, ore columbæ* (*figura est* 27
hæc Spiritus Sancti) *cœlitùs advenientis allata est ; qua tum fons more solito, tum etiam Rex ipse sacratus est : cujus exemplo successores Francorum Reges ejusdem cœlestis Ampullæ perenni, nec unquam deficiente Sacro Oleo hactenus consueverunt inungi.* Verba sunt ipsius Spondani in Annalibus *ad Annum Christi* 499. *num.* 5.

Quartum dubium est : An inter fideles fieri possit Matrimonium, quod non sit Sacramentum ? Exemplificant Theologi hoc dubium, si Sponsi in contrahendo Matrimonio essent in peccato mortali, & dicerent in animo suo, volo facere con- 28
tractum validum Matrimonii, sed nolo facere Sacramentum, quia nolo committere novum peccatum. Vel si adinvicem paciserentur ita :

Faciamus contractum; non autem Sacramentum, In hoc pariter dubio, alii negant, dari posse Matrimonium validum inter baptizatos, quod non sit Sacramentum; alii affirmant. Negantium hæc sunt fundamenta. 1. Quia Matrimonium validum inter fideles elevatum est à Christo Domino ad statum Sacramenti. Ergo dari non potest Matrimonium inter illos, quod non
29 sit Sacramentum. 2. Quia cùm hæretici, & præcipuè Lutherus, & Calvinus dicerent, Matrimonium non est Sacramentum; Ecclesia contra eos definivit, Matrimonium est Sacramentum; ut in Concil. Trid. *de Matrim. sess.* 24. *can.* 1. Ergo non potest dari Matrimonium validum in Ecclesia, & inter fideles, quod non sit Sacramentum. 3. Non est in potestate Ministri ponere materiam, & formam validam, ac cum illis intendere facere, quod fieri potest cum illis, & non facere Sacramentum; quia non ipse, sed Deus dedit talibus sensibilibus rationem Sacramenti. Ergo conjuges dantes materiam, & formam, cum intentione faciendi contractum Matrimonii, qui contractus habet à Christo rationem Sacramenti, non possunt hanc rationem impedire. 4. A Sacramento Matrimonii non potest separari ratio contractus. Ergo neque à contractu ratio Sacramenti. 5. Non potest homo invertere ordinem rerum à Deo præfixum. Igitur cùm statuerit Deus, ut posito contractu Matrimoniali valido, insurgat relatio Sacramenti; si ponatur contractus, ponitur etiam Sacramentum. 6. Positis substantialibus pro Sacramento, non potest impediri effectus Sacramenti. Sed contractus validus Matrimonii inter fideles est totum id, in quo stat substantia Sacramenti. Ergo posito prædicto contractu adesse debet ipsa substantia, tanquam inseparabilis ab ipso contractu. Hanc opinionem tenent Ledesma, Coninchus, Aversa, & Sanchez *de Matrim. d. lib.* 2. *disput.* 10 *num.* 6. ac ipsemet Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 13. *art.* 11. *per totam.*

Alii affirmant, dari posse Matrimonium validum inter fideles, quod non sit Sacramentum, si illi intendant facere solum contractum, non
30 autem Sacramentum. Probant opinionem hanc ita. 1. Sine intentione Ministri nullum sit Sacramentum. Sed contrahentes Matrimonium sunt Ministri hujus Sacramenti; Ergo deficiente eorum intentione, deficiet Sacramentum. 2. Si quis adultus velit baptizari, & nolit Sacramentum baptismi, sed solam illam ablutionem exteriorem, non recipit Sacramentum. Ergo idem de conjugibus dici potest. 3. Contractus Matrimonii inter infideles est validus, quia volunt eum valere. Ergo etiam inter fideles habentes eamdem voluntatem. 4. Licèt Votum Castitatis sit annexum Ordini Sacro, si quis velit ordinem suscipere, & non se obligare ad Votum castitatis, suscipiatque ipsum Ordinem, est validè ordinatus, etsi non sit obligatus ad castitatem ex voto; ut diximus *in Decis.* 7. *de Sacramento Ordinis num.* 63. Ergo idem in præsenti dubio de volente contractum Matrimonii, & non volente Sacramentum. Ex his præcipuè argumentis stant pro hac opinione Vasquez, Hurtardus, Caspensis, Rebellius, & alii apud Dianam Coordinatum *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 118. excerpta ex veteri *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 254. qui quidem Diana hanc ipsam amplectitur opinionem, & Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 41. ad eamdem inclinat; relinquens Studiosis decernere, quænam sit magis probabilis, quod & nos facimus, cùm potiùs videatur quæstio metaphysica.

Duo tamen veniunt notanda pro majori dilucidatione hujus dubii. Unum est, quòd si aliqui fideles cum hac intentione non recipiendi Sacramentum contraherent, magnum Sacrile- 31
gium committerent contra reverentiam Sacramento debitam; quia tenentur habere intentionem non solùm conficiendi simplicem contractum, sed contractum cum esse Sacramenti, prout à Christo est institutum; ita enim obligati sunt omnes ministri aliorum Sacramentorum habere intentionem faciendi id, quod Christus instituit. Ita Mastrius *d. disp.* 7. *n.* 41. *in fin.* Alterum notandum est, quòd si cum prædicta intentione non faciendi Sacramentum, aliqui 32
conjuges fideles contraherent, estò non facerent Sacramentum, facerent tamen validum contractum Matrimonii; ita ut eorum vita durante, neuter posset alteri nubere, neque nullitatem Matrimonii prætendere; ut ex Pontio, ac ex Vasquesio advertit Diana Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 118. §. 3.

Quintum tandem Dubium est, Utrùm Matrimonium sit Sacramentum, si contrahatur per Procuratorem, vel per Epistolam? Supponere 33
oportet Matrimonium tanquam contractum iniri posse nomine alterius per illum, qui mandatum Procuræ speciale receperit ab aliquo; cùm enim omnis contractus fieri possit per Procuratores alieno nomine, idem admittendum est etiam in Matrimonio, prout contractus est, ut docent Theologi, ac canonistæ, quos citat, & sequitur Sanchez *de Matrim. d. libr.* 2. *disp.* 11. *per totam*; & habentur *texx.* expressi *in cap. fin. de Procurator. in* 6. in *cap. Honorantur.* 32. *q.* 2. & in *l. Sufficit. ff. de Sponsal.* Et hoc idem fieri posse per Epistolam est asseverandum ex traditis per eundem Sanchez *d. lib.* 2. *disp.* 12. & in utroque casu etiam post Concilium Tridentinum, quia satis est, quòd Procurator præstet consensum nomine sui Principalis coram proprio Parocho alterius conjugis, ac duobus testibus; seu quòd coram iisdem Parocho, & testibus Epistola legatur: juxta omnes Canonistas, ac Theologos cumulatos per ipsum Sanchez *ubi supra*; per Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 249. quæ sedet in Coordinati ejus operis *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 60. & latè per Barbosam in Votis Decisivis *lib.* 3. *Vot.* 85. Igitur etiam in hoc dubio, An sit Sacramentum? alii negant, alii affirmant. Ratio 34
negativæ opinionis est, quia sicut collatio Sacramenti est actio personalis, ita ejus receptio est passio personalis; quamvis autem tanquam contractus iniri possit ab absente per Procuratorem; nihilominùs tanquam Sacramentum requirit præsentiam contrahentis principalis, ut minister applicet formam ad materiam in subjecto præsente; ad similitudinem absolutionis Sacramentalis, quæ requirit Rei confitentis præsentiam, etsi in humanis omnis reus etiam absens possit absolvi. Ita Estius, Sylvius, Victoria, Canus, & alii apud Dianam *d. part.* 3 *tract.* 4. *resol.* 249. §. 1.

Affirmativæ opinionis fundamenta sunt. 1. Quia in Matrimonio contractus, & Sacramentum

tum sunt duo inseparabilia. 2. Quia ex Concil. Florentin. ac Tridentin. omnia Matrimonia fidelium sunt Sacramenta. 3. Quia aliàs nulla esset differentia inter Matrimonia contracta per Procuratorem, vel per Epistolam ab infidelibus, & inter illa sic contracta per baptizatos. 4. Quia Concilium Tridentinum circa Matrimonia nil aliud de novo requisivit, nisi publicitatem, idest præsentiam Parochi, & duorum testium. Igitur sicut antè Concilium fieri poterant Matrimonia per Procuratorem, ac etiam per Epistolas; ita & nunc possunt iniri; quia Procurator præstat assensum coram Parocho, & testibus; & coram iisdem legi possunt Epistolæ contrahentium. Quare hanc opinionem amplectuntur Valentia, Pontius, Villalobos, & alii, quos citat, & sequitur Diana Coordin. *d. tom.* 6. *tract.* 6. *resol.* 60. §. 2. inter quos ipse Sanchez *de Matrim. d. lib.* 2. *disp.* 11. per totam, necnon *disp.* 12. quibus novissimè adhærent Barbosa *d. lib.* 3. *Vot.* 85. *n.* 15. ubi alios cumulat; necnon Mastrius *de Matrim. disp.* 7. *n.* 62. ubi appellat hanc opinionem communiorem, ac probabiliorem; atque Emin. Card de Lauræa *eod. tract. disp.* 13. *art.* 12. & 13. qui respondet rationi contrariæ dicendo, speciale esse in Sacramento Matrimonii, ut possit fieri inter absentes, quia ejus essentia innititur contractui; & quandocunque contractus fit validè à baptizatis, etiam Sacramentum statim perficitur; nihilque obest, quod effectus Sacramenti, scilicet gratia recipiatur ab absentibus; nam etiam ad intuitum suffragiorum, quæ pro animabus Purgatorii fiunt super terram, Deus pœnas relaxat iisdem degentibus subtus terram. Similitudo autem absolutionis Sacramentalis non stringit, quòd dari non possit absentibus; Sacramentum enim Pœnitentiæ requirit præsentiam Rei confitentis ob ruborem illum, quem sentit in confitendo, & ob actus necessarios contritionis, vel attritionis; qui actus non sunt necessarii in contractu Matrimonii.

Hoc unum Studiosus Lector dignetur notare, quod ex Villalobos advertit Diana *ubi proximè* §. 4. videlicet, bonum esse ad tollendos scrupulos, quando contingat Matrimonium contrahi
36 per Procuratorem inter absentes, (ut fieri solet inter magnos Principes) bonum esse, inquam, quòd quando simul conveniunt, & Uxor ad Statum, Civitatemque Mariti, vel Maritus ad Civitatem Uxoris ingreditur, statim se præsentent coram proprio Parocho, & testibus; ac coram ipsis renovent consensum, & præsentialiter Matrimonium contrahant, recipiendo benedictionem à Parocho, & alias Ecclesiæ Cæremonias Sacras observando; ut certi sint de inito Sacramento, & de effectibus ejus; qui sunt gratia sanctificans, ac alia auxilia cœlestia ad ferenda onera Matrimonii. Ita fecisse Augustissimum gloriosæ memoriæ Imperatorem Leopoldum Anno 1665. narravit Nobilis Vir Nicolaus Sagredo, Orator Venetus apud eamdem Cæsa-
37 ream Majestatem Serenissimæ suæ Reipublicæ Venetæ, ut legitur in ejus Epistola *diei* 12. *Decembris* 1665. inter illas Antonii Bulifon Typis impressas *Puteoli Anno* 1685. *ad pag.* 222. & *seqq.* Cùm enim ipse Cæsar contraxisset Matrimonium per Procuratorem cum Serenissima Margarita Theresia filia Regis Hispaniarum Philippi IV. cùmque ex Madrito Viennam advenisset hæc nova Uxor, sic prædictus Orator Sagredo retulit.

Serenissimo Prencipe

Seguì Domenica 5. del corrente l' ingresso dell' Augustissima Sposa in questa Città di Vienna. Fece l' Imperatore alzare un superbo Padiglione da guerra, meza lega distante dalla Città, e dentro una capace stanza di terssissimi christalli ricevè la Sposa all' arrivo, che vi fece da Ebestorf. Omissis Aulicorum Militum phalangum, Ducum, Principum, Magistratuum, ac aliorum associantium ingressum in Civitatem narrationibus, subdit Orator: *Arrivate poi le loro Maestà alla Chiesa di Sant' Agostino de Riformati, smontate di cavalso, e di cocchio, baciarono ginocchioni con pietosa humiltà la Croce, che gli porse Monsignor Nunzio del Pontefice assistito dal Clero, e da molti Vescovi, e Prelati con Mitre. L' Imperatrice Madre con tutte le Dame, Cardinale d' Arrach, ed Ambasciatori delle Corone l' attendea alla porta: e dopò gl' Hinni, e Canti, Monsignor Nuncio si accostò alle Maestà loro, e fece à parte l'interrogatione, se intendevano approvare, e confermare il Matrimonio in faciem Ecclesiæ, stabilito per Procuratorem in Madrid? Ed havutane la vicendevole confermazione, benedì in nome del Signore, & in Virtù di speciale Delegazione Pontificia gli Sposi, e le Augustissime Nozze, impetrando loro con breve Orazione Prole numerosa, e felicissimi Successi. Così si passò alle stanze dell' Imperadore, poi alla cena con bell' ordine disposta, appartata in una gran Sala trà concerti di Musica, ed allegrezza, &c.* En igitur servatum in praxi monitum Dianæ Coordinati *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 60. §. 4. ita dicentis: *Undè sic faciendo, si fortè non receperunt Sacramentum, postea illud recipiant.*

DECISIO V.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, Quænam sit Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii? Referuntur octo opiniones diversæ; quarum tres ultimæ tanquàm magis probabiles commendantur. Videlicet, quòd Materia vel sit contrahentium corpora; Forma eorum traditio per verba, aut nutus æquivalentes. Vel quòd consensus Conjugum sit Materia: Ejusdem verò consensus expressio verbalis sit Forma Vel quòd Materia, & Forma sint Verba contrahentium sub diverso tamen respectu: nempè Materia dum traditionem corporum: Forma, dum eorumdem corporum receptionem exprimunt. Tandem ostenditur, An Muti, & Surdi à nativitate possint contrahere Matrimonium; seu in Religione profiteri?

SUMMARIUM.

1 *Theologorum varietas circa Materiam, & Formam Matrimonii.*

2 *Consensus mutuus an sit Materia Matrimonii. Forma verba illa :* Derelinquet homo patrem, & matrem suam, &c.

3 *Forma Matrimonii an sint Verba Sacerdotis :* Conjungo Vos &c.

4 *Verba priora unius contrahentis an sint Materia : posteriora alterius an sint Forma Matrimonii?*

5 *Consensus an sit Forma ; actus verò præcedentes an sint materia Matrimonii?*

6 *Conformitas ad legem an sit Forma Matrimonii?*

7 *Corpora contrahentium Matrimonium an sint ejus Materia ? Forma verò Verba exprimentia consensum ?* & num. 16.

8 *Materia remota non facit Sacramentum ; sed proxima.*

9 *Traditio corporum in Matrimonio est Materia proxima.*

10 *In Matrimonio idem est Materia, & Minister.*

11 *Consensus mutuus est Materia : ejus expressio est Forma Matrimonii.* & num. 17.

12 *Materia Sacramenti debet esse sensibilis.* & num. 15.

13 *Dolor internus peccatoris quomodo sit Materia Sacramenti Pœnitentiæ?*

14 *Verba utriusque conjugis quomodo possint esse Materia, & Forma Matrimonii?* & num. 18.

15 *Materia debet esse transiens in Sacramento transeunte.*

19 *Muti, & Surdi à nativitate an possint contrahere Matrimonium? Quòd non ; rationes tres.*

20 *Quòd sic? Et quare?*

11 *Æthiopes non voce, sed nutibus loquentes.*

22 *Mutus, ac Surdus, si etiam sit cœcus à nativitate, non potest contrahere Matrimonium.*

23 *Mutus, & Surdus simul an possit facere Professionem Regularem?*

24 *Contrahentes Matrimonium an faciant duo, vel unum Sacramentum?*

CUm itaque Matrimonium sit Sacramentum conferens gratiam sanctificantem, ex opere operato, illud dignè suscipientibus, ut supra comprobavimus ; & omne Sacramentum constet ex materia, & forma, ac intentione Ministri, & suscipientis, ut ex Decreto Eugenii IV. *de Unione Armenor.* docent omnes Theologi, & nos diximus in nostris Decisionibus *De Sacrament. in genere decis. 1. n. 8.* idcircò in præsenti inquirendum venit, *Quæ sit Materia, & Quæ Forma Sacramenti Matrimonii?* Sed quia ipse Eugenius IV. in Concilio Florentino in supradicto Decreto, materiam, & formam aliorum Sacramentorum assignavit ; non etiam hujus Sacramenti Matrimonii ; idcircò Theologi de hac re disputant, & adeò variè discurrunt, ut teste Mastrio *disp. 7. de Matrim. n. 44.* hic verè locum habeat adagium, *Quot capita, tot Sententiæ ;* siquidem circa Materiam, & Formam Sacramenti Matrimonii, plurimæ reperiuntur opiniones, quas referunt Sanchez *eod. tract. de Matrim. lib. 2. disp. 6.* Layman *lib. 5. tract. 10. punct. 1. cap. 2.* & alii allegati per Dianam *in part. 3. tract. 4. resol. 250.* reposita in ejus opere coordinato *tom. 2. tract. 6. resol. 97.* & præcipuè sunt sequentes.

Prima est Catherini *in Opuscul. de Matrim. quæst. 1.* asserentis Sacramenti Matrimonii Materiam esse utriusque Conjugis consensum mutuum, verbis, vel nutibus sufficientibus expressum : Formam verò esse verbum Dei, de quo in *Genes. 2. 24.* & Christi *in Matth. 19. 5.* sanctificans omne Matrimonium, quamvis semel tantùm fuerit prolatum, nempè : *Propter hoc relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Sed hæc opinio est improbabilis, quo ad formam, quia omnia Sacramenta dum conficiuntur, requirunt suam materiam, & formam præsentem, quæ tunc moraliter proferatur in eodem tempore, toties quoties fit Sacramentum, quapropter verba supradicta semel prolata ab initio mundi, & semel à Christo Domino repetita, non possunt esse Forma pro omnibus, & singulis Matrimoniis usque ad finem mundi celebrandis.

Secunda opinio est Cani *lib. 8. de locis Theologic. cap. 5.* dicentis : Materiam quidem hujus Sacramenti esse consensum contrahentium verbis, vel signis expressum, at Formam esse verba, quæ profert Sacerdos conjungens ipsos contrahentes in Matrimonio, dum dicit : *Ego conjungo Vos in Matrimonio in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen ;* subdens Auctor prædictus, quòd si desit Sacerdos, & Matrimonium fiat sine Sacerdotis præsentia, est quidem validus contractus, non tamen Sacramentum. Sed hæc quoque opinio communiter rejicitur à Theologis, quia ante Concilium Tridentinum Matrimonium erat Sacramentum, etsi clandestinè factum, & absque præsentia Sacerdotis, ac etiam quia Eugenius IV. in Concilio Florentino *in cit. Decreto de Sacramentis §. 16.* Sacerdotem non requirit, neque illum pro causa efficiente nominat ; sed tantummodo ait : *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Ergo nullo modo verba Sacerdotis possunt obtinere locum Formæ hujus Sacramenti.

Tertia est opinio Richardi *in 4. lib. sent. dist. 26. art. 4. quæst. 2.* scribentis, priora verba ab uno ex contrahentibus prolata esse Materiam Matrimonii ; posteriora verò, quæ ab altero contrahente proferuntur, esse Formam : adeò ut dum Vir dicit : *Ego accipio te N. in Uxorem ;* hæc verba sint materia Sacramenti ; & dum Mulier respondet : *Ego te accipio in Maritum ;* hæc verba habeant vim formæ : idemque fore censendum ; si priùs loquatur mulier, & ei Vir respondeat, videlicet, quòd verba mulieris reputentur Materia ; Viri verò verba posteriùs dicta censeantur Forma. Hæc opinio placet Victoriæ *in Summa n. 245.* Henriquezio *lib. 11. c. 2.* & aliis, sed rejicitur à cæteris Theologis, tum quia Sacramentum Matrimonii non haberet Materiam, & Formam certas, sed vagas ; esset enim in potestate contrahentium ex materia

facere

facere formam, & ex forma facere materiam loquendo priùs, vel posteriùs; tum etiam quia si loquerentur ambo uno & eodem tempore destrueretur Materia, & Forma; quia cognosci non possent, imò non essent verba priora, ac verba posteriora.

Quarta est opinio Viguerii *in Instit. cap.* 16. docentis, Formam Matrimonii esse consensum contrahentium verbis expressum, sivè verba ex- 5 primentia consensum: Materiam verò esse alios præcedentes actus eorundem contrahentium. Porrò nec ista opinio amplectitur ab aliis, quia non ostendit, qui sint tales actus præcedentes expressionem consensus; quia hi vel sunt Sponsalia, vel Instrumentum Dotis, aut Scriptum nuptiale, & similes: At nullus horum potest vocari materia Sacramenti Matrimonii, quia non rarò contrahitur sine illis.

Quinta opinio est Hiquei *in Commentar. disp.* 26. *num.* 71. & Poncii *disp.* 49. *quæst* 5. asseren- 6 tium Materiam hujus Sacramenti esse contractum mutuum; Formam verò esse conformitatem ad legem, seu ad divinam institutionem; à qua provenit gratia. Sed non solùm obscura est hæc opinio, & difficilis intellectu; sed non potest esse vera: quia materia, & forma Sacramenti debet consistere in aliqua re sensibili, à Deo instituta in signum efficax gratiæ conferendæ; talis autem dici non potest neque asserta conformitas legi, neque Divina institutio; neutra enim censetur res sensibilis.

Sexta opinio, quæ inter probabiliores admittitur, est S. Antonini 3. *p. tit.* 1. *cap.* 2. *art.* 1. 7 nec non Vasquezii *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 3. *de Matrim. cap.* 5. & aliorum citatorum à Collegio Salmanticensi *tom.* 12. *De Matrimon. tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 58. & à Laymano *lib.* 5. *tract.* 10. *punct.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. tenentium, Materiam Sacramenti Matrimonii esse corpora contrahentium mutuò tradita, vel tradenda: Formam verò esse verba, vel alia signa externa æquivalentia, quibus exprimitur internus consensus eorundem corporum mutuæ traditionis, & translationis. Probatur hæc opinio ita. Christus Dominus, ut passim repetunt Theologi, in nullo penitùs immutavit contractum Matrimonii; sed solummodò evexit illum ad statum Sacramenti, ut esset gratiæ collativus. Ergo eadem Materia, & Forma est assignanda in hoc contractu, quæ in aliis Contractibus civilibus assignari solent, quæ Sacramenta non sunt. Liquidò autem constat in aliis contractibus Materiam illam esse, de qua contrahitur, ut in venditione domus, vel equi, ipsa domus, vel ipse equus; Formam verò esse mutuum contrahentium consensum signis externis, & sensibilibus expressum circa eundem contractum. Igitur cùm eadem sit Materia, & Forma Matrimonii; quatenùs Sacramentum est, & quatenùs contractus; & materia hujus contractus sint corpora mutuò tradenda; forma autem consensus expressio circa eamdem traditionem, concludenter dicitur, Materiam Sacramenti Matrimonii esse corpora tradenda contrahentium; Formam verò expressionem consensus per verba, aut signa, vel nutus æquivalentes circa eamdem corporum mutuam traditionem. Probatur secundò hæc opinio ita. Eugenius IV. *in præcitato Decreto Fidei de Sacram.* dicit: *Omnia Sacramenta tribus perfici Rebus, tanquam Materia; Verbis, tanquam Forma; & Intentione Ministri.* Sed secundùm hanc opinionem corpora tradenda à contrahentibus Matrimonium sunt res, eorumdem consensus expressio stat in verbis; intentio quoque ipsorum concurrit tanquam Ministrorum: Ergo supradicta verè, & propriè sunt Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii. His, & aliis argumentis, quæ brevitatis gratia omittuntur, hæc opinio recensetur inter magis probabiles apud Mastrium *de Matrim. d. disp.* 7. *num.* 53. *in* 4. *sent.*

Nihilominùs Salmanticenses, qui eam laudant, sed non amplectuntur, duo objiciunt contra illam. Unum est, Sacramentorum Materia alia est 8 remota, seu *circa quam*; & alia est proxima, seu *ex qua.* Prima non facit Sacramentum; sed secunda; exempli gratia in Baptismo Aqua est quidem materia remota; sed ipsa non est Sacramentum: at effusio aquæ, seu ablutio baptizando cum aqua, quæ est materia proxima, facit Baptismi Sacramentum. Igitur corpora contrahentium esto, quòd sint materia Sacramenti Matrimonii; tamen sunt materia remota; quæ ex se non facit Sacramentum. Alterum objectum est. In Sacramentis Materia debet esse distincta à Ministro; & Minister non potest esse idem cum Materia. Sed in præfata quarta opinione, Materia, & Minister sunt unum & idem. Ergo non est probabilis opinio.

Cæterùm respondetur, hæc objecta de facili tolli, quia quoad primum; corpora contrahentium sunt quidem materia remota; at eorum tra- 9 ditio, quæ fit in actu contrahendi, & suscipiendi Sacramentum Matrimonii, est materia proxima; prout aqua in Baptismo, tanquam quid materiale, est materia remota, & *circa quam*; ejus verò traditio, per ablutionem, est materia proxima & *ex qua.* Ad secundum respondetur procedere in aliis Sacramentis, non in Matrimonio; & ratio differentiæ est, quia Sacramentum Matrimonii sequitur naturam contractus, hujus autem contractus Matrimonialis natura est, ut idem sit Materia, ac 10 Minister sub diverso respectu; quia qui efficit contractum est ipse contrahens tanquam Minister; & Materia ejusdem contractus est corpus alteri conjugi tradendum, circa quod versatur contractus. Ita Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 58.

Septima est opinio Navarri *in Manuali cap.* 22. *num.* 20. & aliorum Canonistarum docentium, Materiam Sacramenti Matrimonii esse mutuum 11 consensum contrahentium; Formam verò consistere in verbis, quibus ille consensus exprimitur; nam per verba prædictus consensus informatur, & determinatur. Placet hæc opinio Valentiæ *disp.* 10. *de Matrim. quæst.* 1. *punct.* 6. & Averlæ *eod. tract. q.* 2. *sect.* 3. & eam docuerunt Capreolus *in* 4. *dist.* 26. *qu. Unic. art.* 3. & Rebellus *de obl. just. libr.* 2 *q.* 4. *sect.* 3. *num.* 13. & se fundant in doctrina S. Thomæ, qui *in* 4. *dist.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *in solut. ad* 1. dicit, verba conjugum esse formam hujus Sacramenti; & *in solut. ad* 2. habet, actus conjugum esse materiam illius; hi autem actus sunt consensus interni utriusque contrahentis.

Adhuc tamen impugnatur à pluribus hæc opinio ita: Materia Sacramenti debet esse sensibilis; siquidem sensibile signum est omne Sacramentum. At consensus internus non est sensibilis, 12 cùm sit purè spiritualis; non cadens sub sensu hominum, qui necesse habent, ut res cadant

sub

sub sensibus ad hoc, ut eas intelligant; ad differentiam Angelorum, à quibus per conceptus internos percipiuntur. Ergo consensus internus contrahentium Matrimonium non potest esse materia Sacramenti Matrimonii. Respondet Aversa *d. q. 2. sect. 3.* quòd licèt consensus internus in se non cadat sub sensu, tamen fit sensibilis, & deducitur ad notitiam sensus, quando exprimitur per verba, ac nutus sensibiles; & hoc sufficit, ut possit esse Materia Sacramenti exemplo contritionis, quæ est materia Sacramenti Pœni-
13 tentiæ, etsi sit dolor internus, consistens in corde peccatoris; eò quia per ejus manifestationem fit res sensibilis, & deducitur sub sensu, dum peccator confitetur peccata sua; & de eis se dolere asseverat. Quare in definitione Sacramenti docent quidem Theologi de toto Sacramento, quòd sit signum sensibile; sed non ponunt, materiam per se, & formam per se sensibilem esse debere, sed satis esse, si una per alteram fiat suo modo sensibilis. Multi non acquiescunt huic responsioni, negantes paritatem materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, quæ non consistit tota in dolore interno, sed etiam in confessione peccatorum, ac satisfactione, ut diximus in nostris Decisionibus, *de Sacram. Pœniten. Decis. 13. num. 1.* ideò (inquiunt,) non mirum, si dolor internus sit materia sufficiens, cùm sit materia partialis tantùm, quæ suppletur ab aliis partibus materiæ omninò sensibilibus, nempè manifestatione culparum, & satisfactionis. Porrò adhuc responderi potest, dari Sacramentum validum Pœnitentiæ sine confessione, & sine satisfactione in illis, qui amiserunt loquelam; & per aliqua signa tantùm, seu nutus manifestant dolorem iternum culparum suarum; undè idem dici potest de consensu interno conjugum, quem manifestant, dum Matrimonium inter se ineunt; & sic hæc septima opinio inter probabiliores reputatur à Mastrio *in 4. sent. d. disp. 7. num. 49.*

Octava tandem, & ultima opinio est Salmanticensium in *d. tom. 12. tract. 9. de Matrim. cap.*
14 3. *num. 63.* docentium, verba utriusque conjugis, quæ ab eis proferuntur, dum simul contrahunt Matrimonium èsse Materiam, & formam hujus Sacramenti. Materiam, quatenùs exprimunt traditionem corporis sui. Formam quatenùs exprimunt acceptationem traditi corporis alterius. Sic itaque dicunt ibi Salmanticenses: *Verba utriusque conjugis ad invicem sunt Materia, & Forma; nimirùm quatenùs verba unius conjugis exprimunt traditionem illius, sunt Materia: & Verba alterius; ut exprimunt acceptationem, se habent ut Foma, & è converso. Verbi gratia. Quando Vir dicit fœminæ*, Recipio te in conjugem, *duo facit; scilicet exprimit traditionem sui corporis fœminæ; & acceptationem mutuæ traditionis fœminæ ad ipsum. Similiter ex parte fœminæ quando ipsa dicit*, Accipio te in Maritum, *& traditionem sui, & acceptationem alterius explicat. Verba ergo utriusque conjugis, secundùm quod explicant traditionem, sunt materia respectu alterius; cujus verba ut explicant acceptationem illius, se habent ut Forma: & consequenter verba istius ut explicant traditionem sui alteri, se habent ut Materia; & alterius verba, ut explicant acceptationem illius, se habent ut forma. Ac proindè in hoc Sacramento datur duplex Materia, & Forma partialis, neutra tamen perfectè significans, nisi ut conjuncta cum alia.* Huc usque Salmanticenses, qui postea allegant multos Theologos ita autumantes, inter quos S Thom. 3 *p. in addit. q. 42. art. 1. ad 1. & 2.* Suarezium *in tom. de Sacramentis q. 60. art. 8. disp. 2. sect. 1.* Sanchezium *lib. 2. de Matrim. disp. 5. num. 6.* Petrum de Ledesma *eod. tract. q. 42. art. 1. dub. 4. conclus. 7.* & alios plures præcipuè Carmelitas.

Probant autem hanc suam opinionem sequentibus rationibus & argumentis. *Primò*: Materia, & Forma Sacramenti debet esse sensibilis, & quando Sacramentum est transiens, debet & ipsa transiens esse. Sed non datur alia Materia, aut Forma sen- 15
sibilis aptior ad Sacramentum Matrimonii, quàm consensus utriusque conjugis modo dicto explicatus. Ergo. Minor probatur Talis consensus verbis, aut signis, explicatus est sensibilis, & transiens, sicut ipsum Sacramentum. Ergo verba utriusque conjugis exprimentia consensum in traditionem corporum, & reciprocam acceptationem sunt apta Materia, & Forma. *Secundò*: Sacramentum Matrimonii retinet naturam contractus, & pendet ab ejus essentia. Sed natura, & essentia contractus non pendet à re, quæ in contractu deducitur, sed à verbis contrahentium, quibus inter se proprium consensum exprimunt circa ipsum contractum. Ergo etiam in ratione Sacramenti, essentia ejus perficitur in verbis utriusque contrahentis, quatenus, per eorum verba fit corporum traditio, ac reciproca acceptatio. Non desunt tamen objecta, & argumenta contra hanc opinionem, quæ proponuntur, ac evacuantur ab iisdem Salmanticensibus *d. cap. 3. à num. 66. & seqq.* quæ tanquam spectantia ad Scholasticos hic non referuntur, & possunt ibi videri, prout apud Mastrium *in 4. sent. d. disp. 7. num. 52.* nec non apud Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 13. à num. 43. & seqq.*

Debent Studiosi nostri ex hucusque dictis colligere, sextam, septimam, & octavam ex relatis opinionibus, esse magis probabiles; nam pro iisdem stant gravissimi Auctores. Siquidem pro sexta (quæ docet materiam hujus 16
Sacramenti esse corpora contrahentium tradenda, vel tradita; formam verò exprimentia consensum ejusdem traditionis) non solùm stant S. Antoninus, & alii supracitati, sed novissimè eam amplectuntur doctissimus Mastrius *d. disp. 7. num. 53.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disput. 13. num. 46. & num. 67.* Pro septima (tenente, consen- 17
sum esse loco Materiæ, ejus verò expressionem per verba, aut signa vim formæ habere) præter Navarrum stant omnes Canonistæ *in c. Tua nos. 26. de Sponsalib.* ac etiam Emin. Cardinalis Toletus *in Summa lib. 7. cap. 6. num. 2.* Octava autem (quòd Materia, & Forma consistit in Ver- 18
bis conjugum denotantibus traditionem, & acceptationem reciprocam suorum corporum) amplectitur non solùm à Salmanticensibus, & à Theologis ad eam supra citatis; sed etiam à Diana Coordinato *tom. 2. tract. 6. resol. 97. §. 2.* quæ residet in veteri *part. 3. tract. 4. resol. 250.* nec non à Coronio *in Controvers. Celebr. lib. 5. Controv. 1. cap. 1. num. 18.*

Hic autem quæret aliquis, Utrùm Mutus, & Surdus à nativitate possit contrahere Matrimonium? Et prima facie videtur respondendum

dum negative. *Primò*, quia deficiente Materia, &
19 Forma non potest fieri Sacramentum. Sed Verba contrahentium sunt Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii secundum octavam supra relatam opinionem; vel saltem habent vim Formæ secundùm sextam, & septimam. Igitur cùm in Muto, & Surdo deficiant verba, idest Materia, & Forma. non potest ab eo fieri Sacramentum Matrimonii. *Secundò*, quia, ut pluries dictum est, Matrimonium retinet naturam contractus, quæ à Christo Domino in nihilo mutata est, quando illud elevavit ad dignitatem Sacramenti. Sanchez *de Matrim. libr. 2. disput. 11. num. 2.* Sed Muti, & Surdi de Jure Civili Matrimonium contrahere non poterant, ut demonstrat Gonzalez *in Comment. ad cap. Apud Sedem. 23. num. 5. de Sponsalib. tom. 4.* Ergo neque Matrimonii Sacramentum inire. *Tertiò*: Quibus non licet quod minus est, neque quod est majus potest licere; argum. *text. in l. Non debet.* ubi Decius *tom. 2 de Regul. Jur. l. Relegatorum. §. Potest. ff. de Interd. & Releg. l. Qui indignus. ff. de Senatorib. cap. Cum illorum. de Sent. Excomm.* Sed Muti, & Surdi simul non possunt in civilibus stipulari. *l. 1. §. Mutum. 14. ff. de Verb. Oblig.* nec testamentum facere. *l. Hæredis. 21. ff. Qui testamenta fac. poss. l. 6. §. 1. ff. eod.* quæ omnia minora sunt, quàm Matrimonium inire. Ergo Mutus, & Surdus à nativitate non poterit Matrimonii Sacramentum contrahere.

Contrarium tamen est dicendum; ea ratione, quia licèt Surdus, & Mutus verba profer-
20 re non valeat ad suum consensum exprimendum, potest supplere per nutus, & signa, ut ostendi in meis Decisionibus *de Sacram. Pœnitent. Decis. XXII.* ubi de Mutorum mirabili ingenio, ac industria tractavi; nutus autem, & signa sufficiunt pro interno hominis consensu declarando, juxta illud Cassiodori *libr. 4. var. Epist. ult. Homines possunt sine oris affatu suum velle declarare.* Ac illud Divi Augustini *in Jo. 23. Ecce nutu ostende quod vis;* necnon juxta relationem Plinii *lib. 6. Histor. cap. 30.* scribentis: *in Æthiopia nutum, motumque corporis pro sermone fuisse.* Idcircò Mu-
21 tum, & Surdum posse contrahere Matrimonium, respondit Innocentius III. *in d. cap. Cum apud Sedem. 23. de Sponsalib.* & quamvis textum illum intelligendum esse vel de Muto tantùm, vel de Surdo tantùm; non autem de Muto, ac Surdo simul putaverint Ancharanus, Parisius Petrus Bollo, & alii relati à Barbosa *in Collect. DD. ibi*, nihilominùs verius est, Summum Pontificem intellexisse de Muto, ac Surdo simul, ut comprobant Michalorius *de Surdo, & Muto cap. 49.* Barbosa & Gonzalez *in eod. cap. Cùm apud Sedem;* ubi respondet argumentis contrariis dicendo, contractus, ac actus alios verba præcisè requirentes Mutum, & Surdum facere non posse; secus autem illos, in quibus consensus exprimi potest per nutus, seu signa verbis æquipollentia, & talis est contractus Matrimonii; & ideò Mutos, ac Surdos à nativitate posse ritè, ac validè Matrimonium inire, ac Uxorem ducere docent, præter Canonistas citatos ab iisdem Barbosa, & Gonzalez in *d. cap. Cùm apud Sedem*, ac etiam omnes Theologi, quos cumulant, & sequuntur Sanchez *de Matrim. lib. 1. disp. 8. num. 12.* & Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 6. resol. 116. §. 2. & resol. 117.* de-
22 sumptis ex veteri *part. 5. tract. 6. resol. 9. & resol. 10.* ubi tamen limitat, si Mutus, ac Surdus esset etiam Cœcus à nativitate; & prædictis omnibus consentit novissimè Cotonius *libr. 4. Controv. 4. cap. 1. num. 24.* ubi argumentando de Matrimonio carnali ad Matrimonium spirituale bene infert, quòd Mutus, & Surdus simul à nativitate potest esse capax Professionis Regularis, si alioqui ingeniosus sit, & docilis, ut possit signis, & nutibus intelli-
23 gere obligationem vitæ Religiosæ, & suum consensum præstare ad illam amplexandam, ac profitendam; ut scripserunt etiam idem Sanchez *in Summ. libr. 5. cap. 3. num. 2. tom. 2.* & Diana Coordinatus *tom. 7. tract. 1. resol. 142.* quæ exstitit in deordinato, & veteri *part. 5. tract. 6. resol. 34.* in qua alios Theologos, ac Canonistas hoc idem tenentes cumulat; quibus ego addo Bordonum *de Professione Regular. cap. 3. Quæsit. 15. num. 63.* ubi titubat in hac permissione; & idcircò in casu practico non omittendus, sed consulendus.

Tandem notandum venit, quòd licet in Matrimonio duplet sit Materia, & duplex Forma; quæ à duobus Conjugibus contrahentibus in quacunque ex tribus relatis opinionibus proba 24
bilioribus exhibetur; nihilominùs ipsi non faciunt duo Sacramenta; sed unum tantùm Sacramentum Matrimonii Ratio est, quia duplices illæ Materiæ, & Formæ dicuntur partiales, & ex eis integratur Sacramentum ipsum, prout in genere contractus duplex Materia, & Forma in contrahendo proveniens à duobus contrahentibus conficit non duos contractus, sed unum contractum, ut latiùs demonstrat Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 13. art. 5.* ubi *num. 81.* dat similitudinem Eucharistiæ, in qua adhibentur duæ Materiæ, Panis scilicet, ac Vinum; & duæ Formæ in consecratione; & tamen non constituunt duo Sacramenta, quia duæ partiales Materiæ, ac Formæ sunt ex quibus unum integrum completur Sacramentum. Etsi hæc similitudo non multùm quadret; nam una species consecrata est verum Sacramentum sine consecratione alterius, cùm Materia, & Forma Panis non dependeat à materia, & forma Vini; quod secùs est in Matrimonio, in quo consensus, & verba unius conjugis pendent à concursu verborum, & consensu alterius; adeòut Materia, & Forma, quam exhibet unus ex contrahentibus nihil operetur, nisi concomitanter interveniat Materia, & Forma, quam subministrat alter Conjugum in eodem contractu.

DECISIO VI.

ARGUMENTUM.

Agitur de Ministro Sacramenti Matrimonii; & examinatur, An sit Sacerdos, vel ipsi Conjuges? Rationes sex pro Sacerdote, quæ tamen evacuantur. Aliæ septem pro Conjugibus, quæ illos veros esse Ministros hujus Sacramenti comprobant. Sacerdotis autem verba ad solam benedictionem deservire. Conjuges usque ab initio

Ecclesiæ coram proprio Sacerdote solitos fuisse contrahere, ab eo benedici, & in Missa communicari ostenditur. Tandem varii, ac curiosi Ritus Romanorum, Gentilium, ac Hebræorum in eorum Matrimoniis ineundis referuntur.

SUMMARIUM.

1 *Sacræ Res ab Ecclesiasticis tractandæ.*
2 *Simonia est exigere temporale in administratione Sacramentorum.*
3 *Mulieres Sacramenta ministrare non possunt.*
4 *Parochus ex præcepto Concil. Trid. dicit:* Ego vos conjungo &c.
5 *Suscipientes Sacramentum debent esse distincti à Ministrante.*
6 *Sacramentum Ministrans in mortali mortaliter peccat.*
7 *Parochum esse Ministrum Matrimonii, Doctores qui dixerint?*
8 *Ministri Matrimonii sunt ipsi Conjuges, non autem Sacerdos.*
9 *Clandestina Matrimonia erant vera Sacramenta.*
10 *Copula olim transire faciebat Matrimonium de futuro in præsens.*
11 *Parocho nulla verba dicente, Matrimonium est validum.*
12 *Parocho etiam invito, Matrimonium coram eo contractum valet.*
13 *Eugenius IV. non posuit expressè Ministrum Matrimonii.*
14 *Minister Sacramenti ille est, qui applicat Materiam, & Formam.*
15 *Matrimonii contractus in nihilo fuit immutatus à Christo.*
16 *Conjuges sunt ambo unus Minister totalis Matrimonii.*
17 *Dummodo sint baptizati, ac mentis compotes.*
18 *Procuratores aliorum contrahentes Matrimonium non sunt ejusdem Ministri.*
19 *Laici in casu necessitatis possunt baptizare.*
20 *Parochi sunt Ministri benedictionis matrimonialis, non Matrimonii.*
21 *Mulieres ab Eucharistiæ consecratione, & dispensatione arcentur.*
22 *Verba Parochi in Matrimonio non sunt de forma Sacramenti.*
23 *Eucharistiæ, ac Matrimonii idem est Minister, ac Suscipiens.*
24 *Sacerdos consecrans Eucharistiam tenetur etiam eam suscipere.*
25 *Conjuges contrahentes Matrimonium in mortali peccant mortaliter.*
26 *Sed utrùm tanquam ministrantes? an tanquàm suscipientes?* & num. 28.
27 *Laici in peccato baptizantes non peccant.*
29 *Parochorum obligatio monendi Sponsos, ne contrahant in mortali.*
30 *Parochi præsentia non concernit essentiam Matrimonii.*
31 *Matrimonia ab initio Ecclesiæ coram Sacerdote celebrata, & ab eo benedicta.*
32 *Conjuges benedicti primanocte in Virginitate manebant.*
33 *Tertulliani testimonium de Benedictione, Missa, ac Communione contrahentium Matrimonium.*
34 *Ethnici Matrimonia contrahebant cum Sacrificio.*
36 *Romanorum Matrimonia fiebant vel per coemptionem, vel per farreationem.*
36 *Ritus varii nationum gentilium contrahendi Matrimonia.*
37 *Matrimonia Hebræorum benedicebantur, & de aliis eorum Ritibus.*
38 *Julius Maurocenus Neophitus ex Judæo laudatus.*

POst traditam Materiam, ac Formam Sacramenti Matrimonii, sequitur videre, quisnam sit Minister hujus Sacramenti? Et equidem prima facie videtur dicendum, Parochum, vel alium Sacerdotem de ejus licentia, esse hujus Sacramenti Ministrum ex sequentibus rationibus.

Primò, quia personæ Ecclesiasticæ, ac Deo consecratæ tantùm sunt illæ, ad quas spectat ministrare Sacramenta juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*; horum autem Ministrorum gradus unus est Episcoporum, alter Parochorum, alter simplicium Sacerdotum. Ergò horum aliquis tantùm debet esse Minister Matrimonii, quod Sacramentum est. 1

Secundò, quia in *cap. Cùm in Ecclesia, de Simonia* prohibetur Ecclesiasticis aliquid temporale accipere in administratione Sacramentorum, & in benedicendis Nuptiis sub pœna Simoniæ; ibi *Ne in benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur, districtiùs prohibemus.* Ergò Parochus, seu Sacerdos dum benedicit nubentes, iisdem confert Sacramentum Matrimonii, & est ejusdem Sacramenti Minister. 2

Tertiò: Quia per Sacros Canones expressè prohibitum est mulieribus, ne possint, aut valeant Sacramenta ministrare. *cap. Tribus gradibus. 3 dist. 2.* Sed quatenùs Parochus seu Sacerdos non esset Minister Sacramenti Matrimonii, & illud conjuges sibi ministrarent, sequeretur, quòd Fœminæ hoc ministerium sibi assumerent contra prædictam prohibitionem. Ergo: 3

Quartò: Quia Concilium Tridentinum *sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.* determinat verba, quæ proferre debet Parochus in celebratione Matrimonii, ita dicens: *Parochus Viro, & Mulierem interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: Ego vos conjungo in Matrimonium in Nomine Patris &c.* Ergo Parochus est Minister conjunctionis illius, & per consequens Sacramenti Matrimonii. 4

Quinto: Suscipientes Sacramentum debent esse distincti à Ministro idem Sacramentum conferente;

5 ferente; ut patet in Baptismo, & in aliis Sacramentis, in quibus alius est qui baptizat, & alius qui baptizatur; & alius est, qui Sacramenta confert, alius, qui illa suscipit. Sed si Parochus, vel Sacerdos non esset Minister Sacramenti Matrimonii, ipsi autem conjuges essent Ministri, evaderent simul Ministri, & suscipientes, quod fieri non convenit. Ergo Parochus, aut Sacerdos interveniens de ejus licentia in celebratione Sacramenti Matrimonii, est ejusdem Sacramenti Minister.

Sextò: Minister Sacramentorum si illa ministret existens in peccato mortali sacrilegium
6 committit, & mortaliter peccat; quia præceptum est, ut ministrentur ab existentibus in gratia. *Psal.* 100. 6. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*, quod fusè probat Eminentiss. Card. de Lauræa *de Sacramentis in genere disp.* 10. *artic.* 4. ubi refert verba S. Augustini *lib.* 2. *contra Epist. Parmeniani cap.* 10. *Omnia Sacramenta obsunt indignè tractantibus.* Sed quando Parochus, vel Sacerdos non esset Minister Sacramenti Matrimonii; sed illud contrahentes sibi ministrarent, ipsi frequenter committerent Sacrilegia; cùm eorum plurimi Matrimonium contrahant absque præmissa Sacramentali Confessione, & existentes in peccato mortali. Ergo ad hæc mala evitanda, dicendum videtur, Parochum, seu Sacerdotem esse
7 Ministrum hujus Sacramenti; prout ex his rationibus ita dixerunt, ac tenuerunt Melchior Canus *lib.* 8. *de locis Theol. cap.* 5. Gulielmus Estius *in* 4. *Sent. dist.* 26. §. 10. Franciscus Sylvius *in* 3. *p. D. Thom. q.* 42. *art.* 2. *quæst.* 1. quos citat Diana Coordinatus *in tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 96. §. 2. ubi addit, quòd hanc opinionem tanquam probabilem videtur admittere etiam Didacus Nugnus *in* 3. *p. tract.* 1. *quæst.* 64. *art.* 6. *diffic.* 1. *concl.* 2. & quod magis est, eam placuisse Cardinali Toleto, qui in *Summ. libr.* 7. *cap.* 6. *num.* 4. ita loquitur: *Minister ante Concilium Tridentinum non erat necessarius, quia poterat esse verum Matrimonium sine Ministro; at verò sess.* 24. *cap.* 1. *de ref. Matrim. est annullatum Matrimonium clandestinum, & statuitur, ut nisi adsit Ordinarius, vel Curatus, aut Sacerdos de ipsorum licentia, & ad minùs duo testes, tunc nullum sit Matrimonium. Jam ergo pertinet ad essentiam Matrimonii Minister cum testibus, at ante non pertinebat.* Ergo etiam juxta Cardinalem Toletum Parochus, seu Sacerdos est Minister hujus Sacramenti.

Nihilominùs contrarium est tenendum juxta communem Theologorum, ac Canonistarum doctrinam, concorditer docentium, Ministros
8 Sacramenti Matrimonii semper fuisse, & nunc esse ipsos Conjuges contrahentes, quod demonstratur, & probatur sequentibus rationibus, & argumentis.

Primò: Quia ante Tridentinum Concilium Matrimonia clandestina erant vera Matrimonia, simulque Sacramentum; ut patet *ex eod. Concil.*
9 *Trid. sess.* 24. *de ref. Matr. cap.* 1. Sed Clandestina Matrimonia erant illa, quæ fiebant sine præsentia proprii Sacerdotis. *cap. Nullus, & cap. Nostrates.* 30. *q.* 7. Ergo Sacerdos non erat Minister Sacramenti Matrimonii, sed ipsi Conjuges contrahentes.

Secundò: Olim Matrimonium contractum per verba de futuro si sequebatur copula, evadebat statim in verum Matrimonium, tanquam per verba de præsenti factum, & erat indissolu- 10
bile; eò quia præsumebatur, quòd habentes copulam, ne peccarent, mutassent consensum de futuro in præsentem, & sic contaxissent. *cap. Is, qui, & cap. fin. de Sponsal.* Sed in eo casu nullus interveniebat Sacerdos. Ergo Ministri hujus Sacramenti sunt ipsi Conjuges contrahentes.

Tertiò: Quia verba Parochi sunt simplicis benedictionis nubentium, non autem confectionis Sacramenti indicativa. Imò si Matrimonium 11
celebretur à conjugibus coram Parocho nihil dicente cum testibus, est Matrimonium validum. Ergo ipsi conjuges sunt Ministri, non autem Parochus, vel Sacerdos.

Quartò: Ad validitatem Sacramenti requiritur intentio Ministri, & quòd in eo sit voluntas faciendi illud Sacramentum. At conjuges contrahentes coram Parocho, & testibus validè contrahunt, etiamsi Parochus sit invitus, reclamet, dissentiat, ac protestetur in contrarium, ut 12
scribunt omnes DD. quos citat, & sequitur Barbosa *de Parocho cap.* 21. *num.* 47. & *de offic. ac potest. Episc. alleg.* 32. *num* 84. ac pluries decisum fuit à Rota Romana, coram Cardin. Seraphino *Decis.* 1099. *num.* 5. & *part.* 4. *recent. tom.* 2. *Decis.* 431. ubi Paulus Rubeus *in Annotat.* notat alias Rotales Decisiones *num.* 14. & 15. & Sacræ Congregationis Concilii consimiles declarationes *num.* 16. Ergo Sacerdos non potest dici Minister hujus Sacramenti, sed ipsi contrahentes.

Quintò: Si Sacerdos esset Minister Matrimonii, fuisset tanquam talis expressus ab Eugenio IV. in Decreto de doctrina Sacramentorum. Sed in eo Sacerdos non exprimitur; imò in §. 16. dicitur, *Causa efficiens Sacramenti Matrimonii est* 13
mutuus consensus, (idest contrahentium) *per verba de præsenti expressus.* Ergo contrahentes ipsi sunt Ministri.

Sextò: Ille est Minister Sacramenti, qui in eo conferendo applicat Materiam, & Formam. Sed conjuges contrahentes applicant in Matrimonio Materiam, & Formam; sivè illæ sint corpora 14
eorum, ac ipsorum traditio reciproca; sivè sint consensus interior, & ejusdem exterior expressio; sivè verba reciproca, traditionis, ac acceptationis mutuæ significativa. Ergo iidem Conjuges contrahentes sunt hujus Sacramenti veri Ministri.

Septimò, ut pluries dictum est, Christus non immutavit naturam contractus Matrimonii, elevando illud ad dignitatem Sacramenti. Sed in esse contractus Ministri sunt ipsi contrahentes. Ergo etiam in esse Sacramenti contrahentes ipsi sunt Ministri Matrimonii; ac proindè, ut ait Ma- 15
strius *in* 4. *disp.* 7. *n.* 61. uterque efficienter concurrit vel physicè, vel moraliter juxta opinionum varietatem ad gratiam producendam, non solùm in seipso, sed etiam in altero conjuge, & ut docet Scotus *dist.* 26. *sub. Lit.* M. *in* 4. sunt ambo 16
unus Minister totalis integraliter, & duo partiales, quia sic concurrunt ad efficiendum contractum. Quare ita tenent, sentiunt, ac docent Sanchez *de Matrim. libr.* 2. *disp.* 6. *num.* 2. Emin. Card. Bellarminus *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 26. *q.* 2. *art.* 3. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 16. *sect.* 1. *col.* 2. & alii, quos cumulant Adden. ad Cardin. Toletum *d. lib.* 7. *cap.* 6. *sub num.* 4. & Diana Coordinatus

d. tom. 2. tract. 6. resol. 96. quæ residet in Dianæ antiqui, ac inordinati *par. 3. tract. 4. resol. 253.* quibus inter novissimos adhærent Cotonius *in*
17 *Controvers. Illustr. lib. 5. controv. 1. cap. 1. n. 24.* & 25. addens, dummodò sint baptizati, & compotes mentis; Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. d. disp. 13. art. 6. per totum*; ac prædictus doctissimus Mastrius *in 4. disp. 7. art. 2. in*
18 *quo sub n.* 62. advertit, quòd etiam quando Matrimonium fit per Procuratorem, nuncium, aut per Epistolam, ipsi principales contrahentes sunt Ministri hujus Sacramenti, quia ipsi sunt, qui contractum agunt, materiam, ac formam exhibent, ac ministrant.

Nec subsistunt argumenta pro contraria opinione superiùs adducta. Nam respondetur.

Ad Primum: Personas Ecclesiasticas requiri
19 ad dispensationem mysteriorum Dei, quæ egent consecratione; non autem in aliis; alioquin sequeretur, quòd Laicus in casu necessitatis non posset baptizare; siquidem praxis Ecclesiæ habet, non solùm Laicum virum, sed etiam fœminam baptizare posse; imò etiam infidelem, si intendat facere, quod facit Ecclesia. Igitur non est inconveniens, Sacramentum Matrimonii à Laicis ministrari, non autem à Sacerdotibus, quia sic requirit natura hujus Sacramenti, à cujus susceptione cùm ipsi Sacerdotes arceantur, non est mirum, si ejusdem non possint esse Ministri. Ita Mastrius *d. disp. 7. sub n.* 63. & Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 13. n.* 105.

Ad Secundum respodetur ex ipsa lectura textus *in cit. cap. Cùm in Ecclesiæ. De Simonia*, colli-
20 gi, Sacerdotes non esse ministros Sacramenti Matrimonii; sed ab eis benedictionem dari ipsis conjugibus, qui coram illis contraxerunt, ac sibi ipsis Sacramentum ministrarunt. Sunt itaque ministri benedictionis nubentium, non autem ipsius Sacramenti; & eatenùs prohibentur sub pœna Simoniæ aliquid temporale exigere, quia eadem benedictio est res Spiritualis, ac rei Spirituali annexa. Ita Emin. Card de Lauræa *d. disp. 13. num.* 106.

Ad Tertium respondetur; textum *in. cap Tribus. De Consecr. dist.* 2. arcere mulieres à consecratione, dispensatione, & custodia Eu-
21 charistiæ, non autem à ministerio Matrimonii: ideò ubi est opus consecratione, non potest mulier in Sacramentis locum Ministri occupare; secùs autem in aliis, ut hic in Matrimonio, ac in Baptismo, urgente necessitate, ut dictum est supra.

Ad Quartum respondetur; verba illa, quæ profert Parochus super conjuges coràm se contrahentes ex præscripto Concilii Tridentini, ac Ritualis Romani, esse verba simplicis benedictionis,
22 non autem de forma Sacramenti; & sic non censentur formalia, sed deprecatoria; ac ideò mutantur juxta diversitatem regionum, & Rituálium; & ubique verba Sacerdotis conspirant, ut Matrimonium per eosdem conjuges initum, à Deo benedicatur, & donis cœlestibus, ac temporalibus cumuletur. Propterea tantùm abest, verba, quæ Sacerdos profert, esse de forma Sacramenti, ut, etiamsi ab eo omittantur, Matrimonium sit validè initum, & perfectè completum, ut ait prælaudatus Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 13. num.* 107. & dictum est supra *num.* 12.

Ad Quintum respondetur in aliquibus Sacramentis suscipientes debere esse distinctos à ministrantibus; sed non in Sacramentis omnibus: nam in Eucharistia idem Sacerdos est Minister 23
conficiens Sacramentum, ac Suscipiens; & ita in Matrimonio iidem sunt Ministri, ac Suscipientes. Ratio autem de hoc Sacramento est, quia sequitur naturam contractus; ad faciendum verò contractum ipsi contrahentes exhibent Materiam, & Formam; & per consequens sunt ejusdem contractus Ministri; idcircò etiam tales sunt in ratione Sacramenti. Quòd autem in consecra-
tione Eucharistiæ, Sacerdos, qui eam conficit, 24
teneatur etiam eam suscipere, statutum est *in cap. Relatum. & in cap. Peracta. de Consecr. dist.* 2. Quòd si non susciperet, Sacrilegium committeret. *cap. Comperimus. ead. dist.*

Ad Sextum, & ultimum respondetur; conjuges contrahentes Matrimonium in peccato mortali utique peccare mortaliter, & Sacrilegium committere, quia Matrimonium est Sacramentum 25
vivorum, per se statum gratiæ supponens, & ideò peccant, quia ponunt obicem gratiæ ejus. Non sunt autem concordes Theologi in diffiniendo, An conjuges peccent mortaliter, tum tanquam ministrantes, tum tanquam suscipientes hoc Sacramentum, in statu peccati mortalis? Alii volunt, eos peccare utroque modo, & tanquam Ministros, & tanquam Suscipientes, & 26
sic eos eodem tempore committere duo peccata. Ita Pontius *de Matrim. lib. 1. cap. 8. num.* 11. Navarrus *in cap. 1. §. Sacerdos. n.* 10. *de Pœnit. dist.* 6. Alii tenent, etsi utroque modo peccent, eos tamen committere unum peccatum tantùm, quia una, & eadem actione ministrant, & recipiunt Sacramentum. Ita Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 13. de Matrim. num.* 110. Alii verò magis probabiliter docent, eosdem conjuges peccare quidem mortaliter tanquam suscipientes Sacramentum Matrimonii in peccato mortali, quia gratiæ obicem ponunt; sed eos non peccare tanquam Ministros ejusdem Sacramenti, quia solus Minister consecratus tenetur ad illud præ- 27
ceptum *Sancta Sancte tractandi* ex vi ejusdem suæ consecrationis, qua specialiter deputatus est ad Sacramenta conficienda; unde Laici, quando baptizant in casu necessitatis, non adstringuntur illo præcepto juxta S. Thomam *3. p. quæst. 64. art. 6. ad 3.* Ita astruunt Sanchez *de Matrim. d. lib. 2. disp. 6. num.* 4. Guttierez *eod. tract. cap. 41. num* 3. Layman *lib. 5. tract. 1. cap. 5. num.* 9. & alii, quos numerat, & sequitur Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 6. resol.* 113. desumpta ex veteri *part. 3. tract. 4. resol.* 198. quibus consentit Mastrius *ead. disp. 7. sub. num.* 64. Igitur quoad prædictum sextum argumentum contrarium, in nihilo officit, quin ipsi conjuges possint, ac debeant esse Ministri in Sacramento Matrimonii quod conficiunt; etsi enim peccent mortaliter, 28
& sacrilegium committant, si extra statum gratiæ, ac in mortali scienter, existant; onerantur hoc gravi piaculo tanquàm Suscipientes; non tanquam Ministri. Et hic advertant Parochi, quanta sit eorum obligatio monendi Sponsos, ac Sponsas, ut confiteantur peccata sua, antequam ad contrahendum Matrimonium accedant, & ut illud Sacramentum piè, sanctè, & in gratia recipiant; quod utinam omnes Rectores animarum adverterent, & operarentur, ne ipsi

sint

sint Deo rationem reddituri tot Sacrilegiorum, quæ à contrahentibus Matrimonium in peccato mortali, ob eorum incuriam, committuntur.

Hucusque deducta nos monitos faciunt, ac certos reddunt, præsentiam proprii Sacerdotis
30 in contractu Matrimonii, ejusque benedictionem super conjugibus contrahentibus, non spectare ad essentiam ejusdem contractus, qui ante Tridentinum Concilium etiam sine proprio Sacerdote validè fiebat; sed ad Ritum, ac solemnitatem ejusdem contractus, tantique Sacramenti venerationem: siquidem ab initio Ecclesiæ statutum fuit, ut Matrimonia coram Sacerdote celebrarentur, & solemnem ab eo Conjuges benedictionem obtinerent, ut legitur in
31 Epistola prima S. Evaristi Papæ creati Anno 112. *in tom. 1. Concilior. pag. mihi* 311. cujus hæc sunt verba, relata etiam *in cap. Aliter.* 30. *quæst.* 1. videlicet: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & suo tempore Sacerdot aliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à Sacerdote benedicatur*, &c. Similiter in Concilio Carthaginensi IV. quod celebratum fuit *Anno* 390. sub Siricio Papa, (& habetur *in eodem tom. 1. Concilior. pag.* 757. ita fuit dispositum, ut refertur etiam in *cap. Sponsus* 30. *q. 5. Sponsus, & Sponsa cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à Parentibus suis, vel à Paranymphis offerantur; qui cùm*
32 *acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in Virginitate permaneant.* Imò Tertullianus, qui per integrum sæculum cum dimidio ante hoc Concilium florebat, *Anno scilicet* 230; de hoc solemni ritu, & Sacerdotali conjugum benedictione, aliisque piis actionibus sic scriptum reliquit *In lib. 2. ad Uxor. in fin. Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus*
33 *Matrimonii, quod Ecclesia conciliat; & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant?* Quæ verba declarat Emin. Cardin. Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis *ad Annum* 57. *n.* 48. ita dicentes: *Sed hæc singula explicemus; antiquos enim Ecclesiæ mores Annalibus nostris intexere ex instituto suscepimus. Quod igitur ad primum pertinet Ecclesia fidelium conciliat Matrimonium, dum per Sacerdotem contrahentium mutuo elicito priùs consensu, junguntur in unum eorum dexteræ, quibus accedit osculi Sancta libatio, atque velatio; de quibus item Ritibus* idem Tertullian. *de Veland. Virgin. cap.* 11. *in fin.* & S. Gregorius Nazianzenus *Epist.* 57. *Quod addit*: Confirmat oblatio: *Missæ insinuat Sacrificium, quod (ut antiqui Rituales Libri Ecclesiastici tradunt) in Matrimonii confœderatione offerri à Sacerdotibus consuevit. Et quid mirum si hoc facerent Christiani, cùm nec Ethnici sine Sacrificio nuptias contrahere soliti fuerint? Post verò eisdem contrahentibus à Sacerdote solitam Sacram Eucharistiam (ut etiam nunc fit) impartiri, idem Tertullianus alibi docet* (De Monagam. cap. 11) *Illi, Sacerdotes videlicet, sic dabunt viros, & uxores, quomodò bucellas. Quòd præterea idem ait:* Et obsignatum Angeli renunciant: *Per Angelos Tertullianus intelligere Sacerdotes consuevit; Sacerdotes enim Matrimonium inter partes antea pactum in Ecclesia denunciare solent.* Hucusque Emin. Card. Baronius, ex cujus verbis conspicere licet, etiam in primis Ecclesiæ sæculis, Parochos consuevisse denuntiationes Matrimoniorum facere, conjuges contrahentes in Ecclesia Sacerdotali benedictione munire, pro iisdem adstantibus Missam celebrare, ac illos Sacra Eucharistia reficere.

Quòd autem etiam Ethnici (ut supra inquit Baronius) in contrahendis Nuptiis sacrificium adhiberent, ostendunt Bollingerus *lib.* 3. *de Imperat. Roman. cap.* 17. Dempsterus *Addita-*34 *men. ad cap.* 37. *lib.* 5. *Antiquit. Rosini*; & alii, quos citat Sherlogus *tom. 2. in Cantic. Vestigat.* 1. *sect.* 1. *num.* 4. & ex Canonistis Gonzalez *in Commentar. ad cap.* 1. *De Secund. Nupt. num.* 6. *tom.* 4. & præcipuè sub *num.* 18. ubi latè ex Cicerone, Plinio, Valerio Maximo, & aliis de solemnitatibus, ac Ritibus publicis Paganorum in eorum Matrimoniis celebrandis fieri consuetis differit, & concordat Petrus Gregorius Tholosanus in *Syntagmat. Jur. Univ. lib.* 9. *cap.* 5. in quo postquam ostenderit duos præcipuos fuisse modos apud Romanos contrahendi Matrimonium; unum per *Coemptionem*, quo paucis de-35 nariis Vir fingebat emere fœminam, fœmina autem Virum; alterum per *Farreationem*; conjugibus scilicet farre in manibus adinvicem tenentibus; & coram decem testibus sibi promittentibus, sacrificabantur panes farrei; descendit ad indicandos varios alios solemnes ritus diversarum nationum in Nuptiis ineundis, ita *à num.* 42. *& seqq.* scribens: Feruntur & plures di-36 versarum nationum ritus. „Cymbri, ut ajunt, „ubi depactum erat Matrimonium, ungues rese„cabant, & Sponsus Sponsæ, & è contra, Spon„so Sponsa segmenta dono mittebat; quæ si mu„tuò acceptarentur, Matrimonium ratum erat, „atque tunc simul veluti conjuges convenie„bant. Inter Teutonicos Uxor Marito, Maritus „vicissim Uxori capillos reddebat, in quo fa„ciendo consensus Nuptias perficiebat. Apud „Armenios, Sponsus scindebat extremum auri„culæ dexteræ Sponsæ; Sponsa autem Sponso „extremum sinistræ: & hoc solo ritu perfi„ciebatur Matrimonium. Apud Elamitas Sponsi, „& Sponsæ mutuò sibi usque ad sanguinem „pungebant digitum cordis, præsentibus invi„tatis, & ita firmabatur Matrimonium. Apud „Numidas uterque conjugum spuebat in terram, „& luto indè facto in symbolum Matrimonii, „frontes mutuò inungebant. Daci mutuò se „amplectebantur, & iis, qui adstabant, novum „nomen imponebant; quod si hilarè accipe„rent, ratum erat Matrimonium. Apud Hunga„ros Sponsi mutuò sibi imagunculas argenteas „præmittebant, quibus receptis jucundæ Nup„tiæ celebrabantur. Mos apud Sicionitas, ut „futurus Vir calceum pedis dexteri Sponsæ mit„teret; Sponsa autem Sponso sinistri. Apud „Tarentinos, proximis utrinque in convivium „vocatis, perficiebant Matrimonium, manducantibus Sponso, & Sponsa eadem manu. „Scytæ mutuò sibi tangebant primùm pedes, „post genua, dehinc cubitos, frontes, oculos, „aures, & tandem se exosculabantur, eo„que ritu in perpetuum firmabatur Matri„monium. Apud Cardienses, Sacerdotes

„ ad domum Mariti ibant, ubi conveniebat Mu-
„lier, ibique accendebant ignem, qui nunquam
„ extingui, saltem dum viverent, debebat: nam
„si extingueretur, fiebat divortium; & erat in-
„star repudii, nisi simul quadraginta annis vi-
„xissent: indeque abiit in Proverbium, *pro Re-*
„*pudio aquam igni injicere.* Hucusque Tholo-
„ sanus.

Quòd si Gentiles adhibebant solemnes ritus in eorum Nuptiis, non est credendum ab his se
37 abstinuisse Hebræos. Hi enim dum Matrimonium contrahebant, benedicebantur, ut constat in nuptiis Tobiæ junioris, & Saræ, quos Raguel benedixit, ut legitur *Tob.* 4. dicens: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.* Idcircò ipse Petr. Gregor. Tholosanus *d. libr.* 9. *Syntagmat. Jur. num.* 21. hæc subdit: *Inter Judæos habetur benedictio Sponsaliorum, in qua qui benedictioni præpositus est, sumit Calicem, & recitat Orationem:* Qui creas fructus Vitis &c. *& aliam Sponsalibus accomodam; postea bibit vinum, & subindè propinat Sponso, & Sponsæ, implentur & postea septem dies convivii.* Hoc idem servari his diebus à Judæis testatur Julius Maurocenus,
38 olim inter ipsos Rabbinus doctissimus Venetus, sed gratia Dei præventus ad Fidem Christianam conversus, qui Romæ in Collegio de Propaganda Fide Magister linguæ Hebraicæ assumptus, librum composuit, Typis Romæ impressum *Anno* 1683. in quo conatur, Judæos ad viam veritatis vocare, & eos de incredulitate, ac erroribus convincere. Agens autem de eorum cæremoniis in Matrimonio contrahendo *part.* 2. *cap.* 60. *pag.* 985. ita differit:

„ Nel giorno dello Sposalizio ambedue gli
„ Sposi digiunano sinche si faccia la ceremonia
„ della funzione, mà per devozione. Le Don-
„ne Vedove si rimaritano di Giovedi. Nel gi-
„ orno, e nell' hora destinata alla ceremonia và
„ lo Sposo accompagnato da molta gente, e da
„ Rabbini, e Cantarini, che lo vengono à rice-
„ vere, alla Sinagoga dopò mezo di all' orazione
„ *Minchà*, ò *Vespero*, come si disse alla *facc.* 416.
„ Và poi similmente in casa della Sposa, & ivi sotto
„ un baldachino, in presenza di tutti loro, si
„ pone à canto alla Sposa, coprendosi ambe-
„ due col *Taleth*, cioè con quel manto de penda-
„ coli, che si spiegò nel *cap.* 10. All' hora il Rab-
„ bino, ò 'l Cantore, preso in mano un bic-
„ chiero, ò caraffa piena di vino, dice le seguen-
„ ti benedizioni intitolate, *Benedizione de gli Spo-*
„ *salizii detti Irusin; Benedetto tu Signore Dio Rè*
„ *del Mondo, Creatore del Vino &c.* quali finite,
„ assaggiando di quel vino il Rabbino, ò il Can-
„ tarino fà, che lo Sposo, e la Sposa hevano del
„ medesimo. Ciò fatto lo Sposo mette in dito alla
„ Sposa l' anello, Nuziale dicendo: *Ecco, che tu*
„ *sei Sposata à me con questo anello conforme alla*
„ *Legge di Moisè, e d' Israele.* E' quì gl' assistenti
„ gridano ad alta voce: *Mekudeset, Mazal Tou,*
„ *besiman Tou*; che vuol dire: *Santificata, ò*
„ *Sposata con buona ventura, con buon augurio.*
„ Sottoscrive poi lo Sposo la carta dotale, e la
„ sottoscrivono anche i Rabbini, ò altri Testi-
„ monii; e lo Sposo ne giura l' osservanza, toc-
„ cando il lembo della veste del Rabbino, che
„ gliela porge à questo fine.

„ Si fà poi la seconda funzione dal Rabbino
„ medesimamente con un' altra caraffa di vino in
„ mano, e canta altre sette benedizioni, che so-
„ no registrate nel sopradetto Rituale, e tutte in-
„ sieme sono dette *benedizione de Nisceivin, ò Ma-*
„ *trimonii;* Quali finite, il Cantarino assaggia di
„ quel vino, e ne dà allo Sposo, & alla Sposa; e
„ rihavendo in mano la caraffa, la getta in ter-
„ ra col resto del vino, gridandosi di nuovo da
„ tutti: *Con buona ventura*: Dicono poscia *il Sal-*
„ *mo* 65. *Jubilate Deo omnis terra*; e si termina
„ la funzione detta *Le sette benedizioni*, e quella
„ sera lo Sposo fà convito à i parenti, & amici,
„ dalli quali suol anche essere regalato di zucche-
„ ro, e di confezioni, e tal volta d' argento, e d'
„ oro lavorati, conforme l' usanza, e costume del
„ paese, e nel fine del convito si replicano di nuo-
„ vo le riferite sette benedizioni.

Sequitur prædictus Auctor narrare, quòd post convivium fiunt concentus musici, ac saltationes usque dum veniat hora ducendi ad thalamum nuptialem eosdem Sponsos: quæ solemnitates, & gaudia nuptialia non distant à parabola decem Virginum, *quæ accipientes lampades suas exierunt obviam Sponso, & Sponsæ*, ut legitur in Evangelio S. Matthæi *cap.* 25. ubi Cornelius à Lapide *sub Vers.* 1. ita scribit: *Nota. Olim, uti & nunc, Sponso honoris causa addebantur comites juvenes, egregii, & ornati: Sponsæ verò Virgines eæque sæpè decem numero. Porrò nuptias celebrabant noctu; quocirca Sponsus vespere adibat domum Sponsæ, ubi honorificè, & lautè à parentibus Sponsæ exceptus, indè Sponsam in ædes suas, aut, si illæ angustæ forent, in amplam convivii nuptialis domum deducebat; ibique nuptias celebrabat, & consummabat: juvenes autem, & Virgines utrique advenienti honoris causa obviam prodibant, proferentes tædas pronubas, præsertim ex spina alba, easque quinque. Judæi autem non videntur olim habuisse usum ceræ ad lumina, cerearumque tædarum, sed olei, undè in scriptura crebrò est mentio lampadarum, & lucernarum.* Et hæc satis sint ad innuendos Studiosis ritus antiquos, ac solemnitates Gentium in Matrimoniis contrahendis, occasione benedictionis, ac cæremoniarum, quas faciunt Parochi super Sponsis in Ecclesia, non tanquàm hujus Sacramenti Ministri, sed uti testes necessarii pro ejus validitate post Concilium Tridentinum.

DECISIO VII.

ARGUMENTUM.

Explicatur indissolubilitas Matrimonii; & pro ejus intelligentia repetitur illa divisio, quòd Matrimonium aliud dicitur tantummodò Ratum; aliud verò Ratum, & Consummatum simul. Proponuntur, & solvuntur quatuor curiosa dubia, sed scitu necessaria, circa consummationem Matrimonii. Ostenditur Matrimonium consummatum esse indissolubile, & hanc indissolubilitatem provenire tùm à Jure Divino, cùm à Jure Naturali pluribus rationibus comprobatur. Objecta quatuor contra has rationes.

tiones. Resolvitur objectum primum; aliorum trium ad sequentes Decisiones resolutione dilata.

SUMMARIUM.

1 *Insolubilitas Matrimonii in quo consistat?*
2 *Matrimonium consideratur vel tanquam simplex contractus tantùm, vel tanquam contractus, & Sacramentum.*
3 *Infidelium Matrimonia non sunt Sacramenta.*
4 *Catechumenorum Matrimonia an sint Sacramenta?*
5 *Matrimonia Christianorum alia Rata, alia Consummata.*
6 *Copula carnalis habita ante Matrimonium Ratum an faciat illud esse consummatum?*
7 *Filii naturales geniti ante Matrimonium fiunt legitimi per solum Matrimonium Ratum.*
8 *Cosummatum an sit Matrimonium per solam penetrationem absque seminatione in Vase Uxoris?*
9 *Factum præsumitur, quod frequenter fieri solet.*
10 *Professio Viri in Religione cognita Uxore absque seminatione, an dissolvat Matrimonium?*
11 *Semen mulieris an necessarium ad generationem? & ad consummandum Matrimonium?*
12 *Fœminæ asserenti se non seminasse in copula maritali an sit credendum? & in quibus casibus?* num. 13.
14 *Seminis effusio ad os vasis muliebris sine penetratione, an faciat Matrimonium consummatum?*
15 *Copula habita per vim an faciat Matrimonium consummatum?*
16 *Maritus intra bimestre extorquens copulam per vim ab Uxore peccat mortaliter.*
17 *Uxor cognita per vim à marito intra bimestre potest profiteri in Religione.*
18 *Sed non solvitur vinculum Matrimonii.*
19 *Vir an invitus cogi possit ad copulam carnalem?*
20 *Martyr quidam ligatus, & provocatus à meretrice ad libidinem, quomodo eam expulerit?*
21 *Maritus, si intra bimestre per fraudem ab Uxore trahatur ad copulam, potest Religionem ingredi.*
22 *Heretici docentes Vinculum Matrimonii esse solubile.*
23 *Vinculum Matrimonii est indissolubile, & tale semper fuit.*
24 *Insolubilitas prædicta à quo Jure proveniat?*
25 *Deus ab initio mundi fecit Matrimonium insulubile.*
26 *Materia uniuscujusque Sacramenti significat id, quod Sacramentum operatur.*
27 *Naturali Jure Matrimonium est insolubile.*
28 *Proles Humana non solum indiget nutritione quo ad corpus, sed etiam instructione quoad Animam.*
29 *Fornicatio prohibita Jure naturali, ac Divino.*
30 *Amor nullus vincit paternum.*
31 *Alimenta præstanda filiis à Parentibus de Jure naturali.*
32 *Filii similes esse solent Patri quoad faciem.*
33 *Filii de Jure naturali sunt hæredes instituendi à Patre.*
34 *Animalia irrationabilia habent vagum concubitum.*
35 *Pagani non servant indissolubilitatem Matrimonii.*
36 *Spurius Carbilius dimisit Uxorem ob sterilitatem.*
37 *Judæi dabant libellum repudii Uxoribus suis.*
38 *Imperatores Christiani, qui repudiarunt Uxores.*
39 *Jura naturalia sunt immutabilia.*
40 *Jus naturale duplex, primarium, & secundarium.*
41 *Juris naturalis primarii effectus quinam sint?*
42 *Et quinam Juris naturalis secundarii?*
43 *Animalia non capiunt effectus Juris naturalis secundarii.*

QUoniam tum Canonistæ, tum Theologi Scholastici, ac Morales plura disputant de indissolubilitate Matrimonii, ideò de ipsa in hac, & in tribus sequentibus Decisionibus est agendum, non confusè sed ordinatè, ad clariorem intelligentiam eorum, quæ à pluribus Auctoribus satis obscurè de hac indissolubilitate proferuntur. Porrò ad hunc effectum consequendum tria sunt præmitenda, & à Studiosis observanda.

Primum est, quòd appellatione indissolubilitatis Matrimonii intelligenda venit solutio illius vinculi, quo conjuges ad invicem colligantur, & obligati sunt ad reciprocam unionem & propriorum corporum traditionem, ad finem prolis procreandæ, prout dictum est supra *Decis. II. n.* 8. ubi definitum fuit, Matrimonium esse vinculum indissolubile inter Marem, & Fœminam; quia perpetuum est, & durat usque ad mortem; in quo quidem vinculo indissolubili diximus *ibi n.* 12. consistere totam essentiam Matrimonii in facto esse: cùm enim ad ineundum Matrimonium tria debeant ipsi conjuges contribuere, consensum suum internum, ejusdem consensus manifestationem, & perpetuam propriorum corporum reciprocam obligationem, ac subjectionem; prima duo, (consensus scilicet, ac ejus externa manifestatio) transeunt; ipsa verò obligatio, quæ appellatur *Vinculum*, semper permanet; & ideò hoc vinculum dicitur indissolubile; quia importat

jus

jus perpetuum utriusque conjugis in alterutrum, ac in utroque perpetuam subjectionem, & ligamen; de quo tamen ligamine, ac vinculo videndum est, quo jure sit indissolubile? & an dari possint casus, in quibus solvatur, adeòut unus conjugum, altero vivente, possit cum tertio contrahere Matrimonium?

Secundum præmissum est, quòd Matrimonium dupliciter consideratur, vel tanquam simplex 2 contractus, vel tanquam contractus, ac Sacramentum simul, ut docuimus in prima Decisione hujus tractatus *num.* 1. & *num.* 13. Sub ratione simplicis contractus veniunt omnia Matrimonia Infidelium, quales sunt Pagani, Judæi & Turcæ; horum enim omnium connubia non attingunt dignitatem Sacramenti, sed remanent 3 in qualitate civilis contractus, ut demonstratum est in *Decis. IV. à num.* 8. *& seqq.* ubi examinavimus, utrùm ante Legem Evangelicam Matrimonia in omnibus nationibus essent Sacramenta? Et conclusum fuit, quòd non; tum quia Matrimonium elevatum est ad esse Sacramenti à Christo Domino; tum etiam quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum; & qui non est baptizatus, nullum aliorum Sacramentorum recipere potest, & per consequens neque Sacramentum Matrimonii; quod à solis Christianis percipitur; ut latè tradunt Mastrius *in* 4. *Sent. tom.* 4. *disp.* 7. *num.* 27. *&* 28. Eminentiss. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 13. *art.* 7. *&* 8. ac doctissimi Salmanticenses *eod. tract. de Matrim. cap* 4. *num.* 1. ubi advertunt, adeò esse necessariam Baptismi susceptionem, ad recipiendum Sacramentum Matrimonii, ut non sufficiat Fidei Christianæ professio; idcircò si Catechumeni contrahant Matrimonium, solùm contractum efficiunt; Sacramentum autem minimè recipiunt. Igitur tantummodò Christiani, 4 qui sunt baptizati, dum contrahunt Matrimonium perficiunt contractum simul, ac Sacramentum; & sic Matrimonia tantummodò Christianorum sunt Sacramenta; accipiendo hoc nomen propriè, ac strictè, quatenùs denotat septimum Ecclesiæ Sacramentum, ut plenè exposuimus *in d. Decis. IV. num.* 15. cum Canonistis, ac Theologis ibi allegatis.

Tertium Præmissum est, quòd Matrimonia 5 Christianorum alia dicuntur *Rata*, alia verò *Consummata*. Matrimonium Ratum illud est, quod initum fuit à duobus fidelibus inter se, servatis servandis, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per verba de præsenti, coram proprio Parocho ac testibus; sed inter eosdem contrahentes nulla copula maritalis intercessit; & talia fuerunt Matrimonia illorum Sanctorum conjugum, qui concorditer castè vixerunt, & per nos relati fuerunt supra in *Decis. II. num.* 16. prout etiam Matrimonium, quod intercessit inter DEIPARAM, ac Sanctum JOSEPH, quod verum, & perfectum fuisse, Ratum tamen solummodo, comprobavimus *in Decis. III. num.* 18. Consummatum verò Matrimonium dicitur illud, in quo conjuges copulam maritalem simul expleverunt; postquam Matrimonium ratum inter se 6 contraxerunt; nam si simul copulam habuissent, antequem contraherent, eo postea contracto, non diceretur Matrimonium consummatum absque nova copula; sed tantummodò ratum; ut docet Perez *de Matrim. disp.* 20. *sect.* 6. *num.* 1. & Gobatus *tract.* 10. *num.* 690. quamvis favore prolis, quæ concepta foret ante contractum, diceretur Matrimonium consummatum ad effectum, ut ipsa legitima haberetur, juxta textum *in cap. Tanta. Qui filii sint legitimi*, ut advertit Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 21. *num.* 13. 7 & Castropalaus *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. Cæterùm plura dubia circa veram Matrimonii consummationem promovent Theologi. Primum est; An sufficiat penetratio vasis fœminei per virile instrumentum, ad hoc Matrimonium dicatur consummatum, etiamsi maritus non se- 8 minaverit intra illud? Circa quod DD. respondent negativè in foro poli affirmativè in foro fori. Non est consummatum in foro poli, seu quoad conscientiam, quia requiritur illa copula, quæ sit apta ad generationem, & per quam ipsi conjuges fiant caro, ad repræsentandam unionem hypostaticam Christi cum natura humana in Incarnatione, in qua Deitas, & Humanitas unitæ sunt inseparabiliter in una, ac eadem persona ipsius Christi. Sed talis non est copula, in qua Vir non seminat, cum absque virili semine generatio fieri non possit, nec conjuges dici valeant una caro. Ergo sola penetratio Vasis non facit Matrimonium consummatum in foro poli, nisi detur effusio seminis intra illud. *cap. Lex.* 27. *quæst.* 2. *cap.* 2. *de Convers. Conjugat.* S. Thomas *in* 4. *dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *ad* 2. S. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *cap.* 11. *ante* §. 1. & alii, 9 quos citat Leander *de Matrim. tract.* 9. *disp.* 5. *quæst.* 28. Aliter tamen dicunt in foro Fori, quia in eo non creditur Viro asserenti, se non seminasse; quia, attenta penetratione Vasis, præsumitur seminatio; nam id factum præsumitur, quod frequenter contingit, ac fieri solet. Sanchez *de Matrim. disp.* 21. *num.* 8. & Salmanticenses *d. cap.* 4. *de Matrim. num.* 3. ubi subdunt, quòd si prædictus maritus ad pœnitentiam agendam vellet Religionem ingredi, & in ea profiteri, posset Uxor eum impedire ob damnum passum, & 10 Virginitatem deperditam: ipso tamen in Religione profitente, Matrimonium remaneret nullum; & mulier, tuta conscientia posset alteri nubere, quod est notatu dignum.

Secundum dubium est: An censeatur Matrimonium consummatum, si Vir Vas Uxoris penetret, ac seminet; non etiam ipsa? In hoc duplex est opinio Doctorum: alii enim asserunt, es- 11 se consummatum. Ita Sanchez *d. disp.* 21. *num.* 11. Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 9. *cap.* 20. *num.* 1. Henriquez *cap.* 15. *num.* 3. & Bonacina *eod. tract. quæst.* 3. *punct.* 12. *n.* 12. Horum ratio est, quia ad consummandum Matrimonium sufficit illa copula, quæ satis est ad procreandam prolem. Sed ad hujus procreationem sufficit semen Viri, etsi mulier non seminet, ut tenet Aristoteles *lib.* 1. *de Generat. cap.* 19. quem citat, sed reprobat Zacchias *in QQ. Medicolegal. tom.* 1. *lib.* 7. *tit.* 3. *quæst.* 1. *à num.* 17. *& seqq.* & Aristoteli sequitur ex Theologis S. Thomas *in* 3. *p. quæst.* 31. *art.* 5. *ad* 3. Alii tamen negant, tenentes, quòd quantumvis Vir seminet, nisi etiam Uxor cum eo semen suum emittat, Matrimonium non potest dici consummatum, quia constans est Medicorum doctrina, quòd semen fœmineum necessarium est ad generationem unà cum semine Viri, ut demonstrat Zacchias *d. quæst.* 1. *à num.* 19. *& seqq.* & idem sentire videtur etiam S. Thomas

in 4.

in 4. dist. 41. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ubi *ad 2.* ita scribit : *Vir, & Mulier efficiuntur una caro per commixtionem seminum ; undè quantò quisque alter claustra pudoris frangat, nisi mixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas.* Quam quidem rationem allegat etiam S. Bonaventura *in 4. ead. dist. 41. quæst. 1.* & Durandus *ibid. quæst. 1. art. 1. num. 7.* Sylvester *Verb. Matrimonium. 8. q. 15.* & alii, quos cumulat Diana *part. 3. tract. 5. resol. 19. & d. part. 3. tract. addition. resol. 21.* quæ in ejus Coordinato opere habentur *tom. 2. tract. 6. resol. 237. & resol. 238.* Fulcitur hæc opinio negativa ex doctrina Cajetani *in 2. 2. quæst. 154. art. 12.* Suarezii *in 3. p. quæst. 32. art. 1. disp. 10. sect. 1.* & aliorum scribentium semen mulieris esse omninò necessarium unà cum semine Viri ad procreationem prolis. Collegium Salmanticense, à quo utraque opinio refertur *d. cap. 4. de Matrim. num. 5. & 6.* tenet, tam affirmativam, quàm negativam esse probabilem ob prædictas rationes : sed ego puto hoc dubium esse merè speculativum & metaphysicum, de quo nequaquam agi possit in praxi ;
12 quis enim sententiaret, licitum esse ingressum viri in Religionem, vel mulieris in Monasterium ad dissolvendum Matrimonium tanquam Ratum, & non consummatum, ubi uterque conjux fateretur copulam maritalem inter eos sequutam, ac seminationem viri in Vase Uxoris ; ipsa verò excipere, dicendo, at ego non seminavi ? Deservire posset hæc disputatio pro foro conscientiæ, ubi de facto initum fuisset secundum Matrimonium, credita solutione primi, tanquam rati. & non consummati, per ingressum
13 unius ex iisdem primis conjugibus in Religionem ; vel si ageretur de tolerando secundo Matrimonio contracto cum affine primorum conjugum ; eò quia ob non seminationem mulieris cum Viro, in foro conscientiæ orta non sit affinitas cum ejus consanguineis, juxta doctrinam D. Thomæ requirentis mixtionem seminum ad contrahendam affinitatem *in 4. d. dist. 41. q. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2. supracit.*

Tertium dubium est : Utrùm dici debeat Matrimonium consummatum, si Uxor recipiat semen Viri in utero suo, non per penetrationem Vasis ab ipso Viro factam ; sed vel per immissionem dæmonis ; vel per attractionem ab
14 eadem Uxore factam tanquam effusum ad labia ejusdem Vasis ? cùm utrumque esse possibile doceant DD. quos citavi in meis Decisionibus de Baptismo *Decis. 49. num. 5.* & ex Aristotele, Galeno, & aliis Medicis demonstrat Zacchias in suis *QQ. Medicolegal. tom. 1. lib. 3. tit. 1. quæst. 8.* nec non *tom. 2. lib. 10 consil. 42. à n. 1. & seqq.* ubi tamen *n. 6.* amplectitur opinionem negativam. Et equidem pro consummatione Matrimonii stant Sanchez *d. lib. 2. de Matrim. disp. 21. num. 2.* ubi DD. ob illam rationem, quòd conjuges per commixtionem seminum facti sunt una caro. At pro non consummatione scribit Basilius Pontius *eod. tract. lib. 9. cap. 20. num. 9.* & alii apud Dianam Coordinatum *tom. 2. tract. 6. resol. 237. § 2.* quæ in Veteri opere inordinato habetur *part. 3. tract. 5. resol. 19.* inquientes, ad consummandum Matrimonium requiri conjunctionem corporum utriusque conjugis, quæ fit per actualem copulam, & Vasis pudoris penetrationem. Utramque opinionem probabilem esse ajunt Salmanticenses, quibus tamen magis placet, in hoc dubio, si unquam in praxi accideret, (quod vix fieri posse credo ; quia, ut ait Zacchias *d. cons. 42. num. 6.* Seminis tenuissimi spiritus ne per momentum quidem possunt in aere externo conservari) Matrimonium censeri consummatum. Ita *in d. tract. 9. de Matrim. cap. 4. num. 4.*

Quartum tandem dubium est, An Matrimonium ratum censeatur consummatum, si Maritus per vim, & metum extorqueat copu-
15 lam ab Uxore ; coeundo cum eadem reluctante, & ipsam per violentiam cognoscendo ? Et responsio est affirmativa ; quia copula, ex qua resultat affinitas, & per quam conjuges fiunt una caro, consummat Matrimonium, sed ex copula prædicta, etsi violenta, affinitas resultat, & unitas carnis, ut habetur *in cap. Debitum. De Bigam.* & *in cap. Discretionem. De eo, qui cognov. consanguin.* Ergo per eam Matrimonium consummatum est. Ita Castropalaus *de Matrimon. disp 3. punct. 2. num. 2.* Sanchez *eodem tract. lib. 2. disp. 22. num. 4.* Leander, Ledesma, & alii congesti per eosdem Salmanticenses *d. cap. 4. num. 8.* qui propterea inferunt tria notatu digna. Unum est, quòd maritus extorquens copulam
16 per vim ab uxore intra bimestre, peccat mortaliter, eadem uxore reluctante, & dicente, se velle deliberare circa Religionem eligendam, facit enim ei injuriam ; secùs si transactum esset bimestre, quia tunc maritus utitur jure suo in maritali copula petenda, ac exercenda. Alterum est, quòd Uxor prædicta, etsi deflorata, potest
17 convolare ad Religionem invito Viro, ut tenent contra Sotum, & alios Sanchez *d. libr. 2. disp. 22. num. 6.* Bonacina *quæst. 3. punct. 4. num. 8.* & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *d. cap. 4. num. 10.* eam allegantes rationem, quia Uxor non debet injustè jure suo spoliari ; & marito patrocinari non potest dolus, & fraus, quibus copulam extorsit intra bimestre. Tertium verò notabile est, quòd per dictum ingressum Uxoris in Religionem non solvitur vinculum Matrimonii ; sed illud remanet illæsum, adeò
18 ut separatio horum conjugum fiat quo ad thorum tantùm, & habitationem, ablata omni habilitate ipsi Viro contrahendi novum Matrimonium cum alia muliere, donec vixerit prima Uxor ; prout practicari solet, quando maritus incidit in crimen adulterii, vel hæresis, quo casu Uxor potest ab eo discedere, ac separari quo ad thorum, & habitationem ; non quo ad vinculum Matrimonii, ut bene advertunt iidem Salmanticenses. *d. cap. 4. num. 10.* & DD. ibi allegati.

Sed dicet aliquis ; quid Juris si è converso Uxor intra bimestre per vim, & metum cogeret Maritum ad se carnaliter cognoscendam, & mate-
19 rialem copulam cum ea consummandam ? Respondetur, rarò posse hunc casum accidere ; quia mulieres de facili possunt per violentiam deflorari : undè Virgo S. Lucia judici hanc vim ei minanti respondit : *Si me invitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* At Viros cogere ad carnalem copulam invitos explendam, non videtur factibile, quia Vir si verè nolit libidinosum illum actum exercere, nunquam ab eo invito actus ille reportabitur. Eximium est exemplum, quod narrat Spondanus *Ann. 253. num. 17.* desumptum

ex Eminentiss. Cardin. Baronii Annalib. *ad Annum 253. num.* 112. de quodam Juvene chri-
20 stiano, quem nudum, & alligatum in molli le
cto cùm aggressa esset meretrix, ac oculis, &
impudicis tactibus ad se carnaliter cognoscendam provocaret; impotens eam manibus repellere; linguam dentibus sibi rescissam cum magna sanguinis copia in ejusdem meretricis faciem expuit; quo facto deturpata, ac confusa aufugit, & Juvenem illum pudicum absque ulla luxuriæ labe reliquit. Cæterùm si daretur
21 casus, quòd maritus per vim, & metum cogeretur ad carnalem copulam cum Uxore intra bimestre à die Matrimonii rati habendam; vel per fraudem cum ebrietate, ut fecerunt filiæ Lot cum patre suo, quem inebriaverunt, & sic carnaliter cum eo dormiente coiverunt, ut habetur *Genes.* 17. 35. posset utique maritus ab ea recedere, & in Religione profiteri; indissoluto tamen Vinculo Matrimonii remanente, ob consummatum Matrimonium, & facta inhabili ipsa Uxore ad nubendum alteri, donec primus maritus in humanis viveret, ex doctrina eorundem Salmanticensium. *d. cap.* 4. *num.* 10.

His ita præmissis, devenientes ad materiam indissolubilis vinculi matrimonialis; quamvis plures hæretici negaverint hanc indissolubilita-
22 tem, & voluerint Matrimonium pro libito conjugum posse dissolvi etiam quoad vinculum; ut antiquitùs docuerunt Montanistæ, & ultimis temporibus repetierunt Lutherani, & Calvinistæ, ut notat Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 16. *num.* 4. veritas tamen Catholica est, quòd Matrimonii vinculum est indissolubile, & per-
23 petuum, sivè consideretur ut Sacramentum, sivè ut simplex contractus; prout testantur Sacri Canones *in cap. Usque adeò, in cap. Tantùm;* cum aliis sequentibus, 32. *q.* 7. & respondederunt Summi Pontifices *in cap. Qualis*, 30. *q.* 5. *in cap. Scripsit.* 27. *q.* 2. *in cap. Lotharius.* 31. *q.* 2. ac Bonifacius Papa VIII. *in cap. Unico. De Voto in* 6. ubi expressè dicit, quòd Matrimonium erat insolubile etiam antequam esset Sacramentum; & concordat Concilium Tridentinum *sess.* 24. *in doctrina de Sacram. Matrim. cap.* 1. his verbis: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini Spiritus instinctu, pronunciavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari, & conjungi, Christus Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba tanquam à Deo prolata referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro; statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tantò ante pronunciatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Itaque vinculum Matrimonii fuit semper indissolubile ab origine Mundi, & à primo parente Adam per subsequentia sæcula usque ad Adventum Christi, qui eamdem indissolubilitatem, ac perpetuitatem nexus ipsius confirmavit; ait enim *Matth.* 19. 9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Idemque dixisse referunt S. Marcus *cap.* 10. *Vers.* 11. ibi: *Et ait illis, quicumque dimiserit Uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si Uxor dimiserit Virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Et S. Lucas 16. 18. ibi; *omnis, qui dimittit Uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam à Viro ducit, mœchatur.* Et hanc eandem perpetuitatem, atque indissolubilitatem vinculi Matrimonialis prædicavit Apostolus, ut habetur in 1. *ad Corinth.* 7. 10. in illis verbis: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à Viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut Viro suo reconciliari. Et Vir Uxorem non dimittat.* Adeò ut nefas sit asserere, Matrimonii vinculum esse solubile, vel non esse, ac semper non fuisse perpetuum, ut ex doctrina Scoti *in* 4. *dist.* 26. & S. Thomæ *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. & ex pluribus Conciliis, ac SS. Patrum testimoniis demonstrat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *de Matrimon. à num.* 7. *& seqq.* & latè Salmanticenses *eod. tract. d. cap.* 4. *dub.* 1. *à num.* 11. ubi hanc veritatem pluribus fulciunt auctoritatibus.

Stante igitur hac indissolubilitate vinculi Matrimonialis, quærunt Theologi, quo jure ipsa sit annexa, & insita eidem vinculo, itaut sit perpetuum, & indissolubile? In quo quæsito mul- 24
ti multa dixerunt; alii namque opinati sunt, eam provenire à solo Jure Pontificio, ut ait Glossa *in cap. Ex publico. Verb. Consummatum. De Convers. Conjugat.* quam sequitur Medina *libr.* 5. *cap.* 89. Alii à solo jure divino. Ita Abulensis 1. *Regum cap.* 8. *quæst.* 97. *& quæst.* 103. *ac etiam q.* 112. & cum eo Hispalensis *disp.* 27. *q.* 1. *art.* 2. Alii à solo jure naturali, ut tenet Scotus *in* 4. *dist.* 26. *qu. Unic. sub E. & F.* non tamen rigoroso, aut primario; sed consono, secundario, seu directivo, ut explicat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *de Matrim. art.* 3. *num.* 29. Alii quòd à Jure positivo & à jure naturali simul; à neutro autem horum separato, ut differunt Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 13. *num.* 7. & alii, quos citat Coninch. *disp.* 26. *dub.* 2. *num.* 11. atque Trullench. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 3. Sed his omnibus opinionibus omissis verior, ac probabilior est illa S. Thomæ in 3. *p. q.* 67. *art.* 1. & *in* 4. *sent. dist.* 33. *q.* 2. *art.* 1. videlicet indissolubilitatem inesse Matrimonio tum ex jure Divino, tum ex jure naturali, & hanc opinionem amplectuntur Emin. Card. Bellarminus *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 12. Pontius *eod. tract. libr.* 1. *cap.* 12. & 13. Bonacina *quæst.* 2. *punct.* 11, *num.* 2. Castropalaus *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 6. & alii, quos allegant, & sequuntur Salmanticen. *d tract.* 9. *de Matrim. cap.* 4. *num.* 16.

Probatur hæc opinio quoad Jus Divinum: Primò quia verba prolata ab Adamo *Genes.* 2. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, Christus Dominus retulit dicta à Deo per os ejusdem Adami, dum *Matth.* 19. 6. inquit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Er- 25
go à Deo, & ex ejus præcepto divino promanat indissolubilitas vinculi Matrimonialis, per Adam ex Dei inspiratione publicato; ut etiam statutum est à Concilio Tridentino *d. sess.* 24. *de Matrim. c.* 1. *in princ.* ibi: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu*

instinctu pronunciavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quam ob rem &c. Probatur secundò; quia idem Christus Dominus ubi supra *Matth.* 19. 8. Pharisæis asserentibus esse licitum repudium Uxorum respondit: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic;* quia scilicet Deus indixerat Adamo, & posteris ejus perpetuitatem, & indissolubilitatem Matrimoniorum. Probatur tertiò ex Verbis Apostoli 1. *Cor.* 7. 10. *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à Viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Si ergo Dominus ita præcipit; indissolubilitas Matrimonii est ex Præcepto Divino. Probatur quartò per *cap. Unic. De Voto in 6.* ubi expressè dicitur, Matrimonium esse à Deo institutum, & ab eo accepisse indissolubilitatem; quam propterea à Jure Divino, & ex Dei præcepto procedere fusè probat supradictis, ac aliis rationibus, & fundamentis Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *art.* 4. *per totum.* & Salmanticenses *d. cap.* 4. *dub.* 1. *à num.* 11. *& seqq.* Probatur quintò ex elevatione ad statum Sacramenti, quam Christus Dominus fecit de simplici Matrimonii contractu: siquidem, ut scribunt Salmanticenses *d. cap.* 4. *num.* 21. familia-
26 re est omnibus Sacramentis, quòd in eis assignaverit Christus Dominus pro materia id, quod aptum sit ad significandum quod intendebant, ut in Baptismo ablutionem corporis ad significandam ablutionem animæ; in Eucharistia panem, & vinum ad innuendam spiritualem animæ nutritionem &c. Sic in Matrimonio ad significandum indissolubilem nexum, quem habet Christus cum natura humana per Incarnationem, & per gratiam, & charitatem cum tota Ecclesia, assignavit huic Sacramento pro materia contractum ab intrinseco indissolubilem, ac perpetuum; cujus indissolubilitatem, ac perpetuitatem auctoritate sua Divina confirmavit, constituens illum in esse, ac in ratione Sacramenti, ut in *cap. Quanto de Divortiis.* Et Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 16. *num.* 23.

Quod autem etiam ex jure naturali procedat
27 indissolubilitas Matrimonii probatur *Primò*: Quia illud est de Jure naturali, quod natura bene instituta accepit in sui principio. Sed in principio mundi, quando creati sunt Protoplastæ, & suum esse sortita est natura, Matrimonium factum fuit inseparabile, & indissolubile, ut ex verbis Christi constat *Matth.* 19. 6. Ergo indissolubilitas est de Jure naturæ. Probatur *Secundò*: De Jure naturæ est, quòd homo Deo non contrarietur, ut ait S. Thomas *d. p.* 3. *q.* 67. *in corp. art.* 1. Sed homo esset contrarius Deo, si separaret conjuges, ac dissolveret Matrimonium, quod ipse Deus voluit esse insolubile. Ergo hæc insolubilitas est de Jure naturæ. Probatur *Tertiò*; Sicut de juræ naturæ est procreatio prolis humanæ, ita ejusdem Juris institutio, & bona educatio ipsius prolis. Sed ad hanc institutionem, & bonam educationem à genitoribus faciendam opus est, ut ipsi parentes simul cohabitent, &
28 commaneant; nam, ut scribit S. Thomas *libr.* 3. *contra Gentiles cap.* 122. *col.* 3. *In specie humana proles non indiget solùm nutritione quantum ad corpus, ut in aliis animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam: nam alia animalia habent naturaliter suas prudentias, quibus sibi providere possunt; homo autem ratione vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet; undè necesse est, ut filii à Parentibus quasi jam expertis instruantur.* Igitur de jure naturæ est, ut Matrimonium sit insolubile, ac perpetuum; ut conjuges possint continuò filios, ab eis genitos, instruere, & bene educare. Probatur *Quartò*: Si Matrimonium non esset insolubile de Jure naturali, eodem jure 29
licita esset fornicatio, & vagus concubitus. Sed hic, & illa prohibita est eodem Jure, & ideò *in Deuter. cap.* 23. *n.* 17. dicitur: *Non erit Meretrix de filiabus Israel, neque Scortator de filiis Israel.* prout etiam *Tob.* 4. 13. *Attende tibi à fornicatione:* nec non 1. *Cor.* 6. 18. *Fugite fornicationem.* Ergo perpetuitas, & insolubilitas Matrimonii est de Jure naturæ. Probatur *Quintò*: quia naturale est, ut parentes diligant tenerrimè filios suos; & ex hoc fit, ut censeantur plus diligere eosdem filios, quàm seipsos, & nullus sit amor, 30
qui paternum vincat. *l. Isti quidem ff Quod metus causa l. fin. C. de Curat. furios.* undè scriptum reliquit Baldus *in l.* 1. *C. de his, qui ante aperit. tabul.* quod Pater potiùs cupit ipse mori, quàm moriatur filius; & idem reperit Marc. Mantua Nob. Patavinus *in cons.* 41. *num.* 15. *tom.* 1. Ergo sicut talis amor est à natura; sic insolubilitas Matrimonii, in quo filii generantur, est ejusdem Juris naturalis. Probatur *Sextò*: quia præstare alimenta filiis obligati sunt genitores de Jure naturali. *l.* 1. *§. Jus naturale, ubi DD. ff. de Just. & Jur.* Sed hæc obligatio adimpleri non posset, si parentes adinvicem diverterent, & in 31
perpetuum non conviverent, ac in Matrimonio indissolubiliter non starent. Ergo hæc indissolubilitas est de Jure naturæ. Probatur *Septimò*, quia à natura venit, ut filii repræsentent suos genitores, & horum similitudo conservetur in filiis; undè ut plurimum filii sunt similes Patri in facie. Sed hæc similitudo, & repræsentatio haberi non posset, si Matrimonium esset solubile; & Mater cognosceretur carnaliter modò ab uno, modò ab alio. Ergo insolubilitas Matrimonii est à natura. Probatur *Ultimò*; quia naturale est in parentibus, ac hominibus, qui filios ex Matrimonio susceperunt, thesaurizare pro ipsis, ut ait S. Thomas *d. p.* 3. *q.* 67. *art.* 1. & eosdem relinquere hæredes suarum facultatum. *l. Cum Avus. ff. De Conditionib. & de-* 32
monstrat. l. Cum acutissimi. C. de fideicom. l. si unquam. C. de Revocan. donat. Emanuel Gonzalez *in cap. Nuper. num.* 8. *De donat. inter Vir. & Uxor. tom.* 4. adeò ut, si pater in suo testamento filium præterierit, ac non instituerit hæredem, dicatur operari contra naturam. Rota *part.* 4. *recent. Decis.* 25. *num.* 11. *tom.* 2. Sed ad sic faciendum necessaria est Matrimonii indissolubilitas, nam ea ablata, non daretur successio filiorum ad divitias, facultates, ac possessiones parentum. Ergo ipsa censenda est de Jure naturæ; prout ita censent S. Thomas *in* 4. *dist.* 33. *q.* 2. *art.* 1. & in 3. *p. d. q.* 67. *art.* 1. atque alii Theologi citati supra *num.* 24. *in fin.* quibus adstipulantur Gonetus *de Matrim. disp.* 5. *art.* 1. *num.* 4. qui *sub num.* 7. addit hanc aliam rationem, quòd natura requirit, ut proles habeant certitudinem Patris, & hæc deficeret, si Matrimo-

nium non esset insolubile, & mulier posset cognosci carnaliter à pluribus Viris. Ergo insolubilitas prædicta est etiam de Jure naturæ; ut docent etiam Emin. Card. de Lauræa *de eod. Sacram. Matrim. disp.* 16. *à num.* 38. *& seqq.* Layman *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. atque Azorius *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *quæst.* 3.

Sed contra prædicta insurget aliquis, & objiciendo ita argumentabitur. *Primò:* Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. *lib.* 1. §. *Jus naturale. ff. de Just. & Jur.* Imperator Justinianus *in Instit. lib.* 1. *tit.* 2. *in princ.* Sed non omnia animalia servant insolubilitatem
34 conjugii; quia, ut experientia docet, tam in volatilibus, quàm in quadrupedibus eorum concubitus est vagus, ac liber. Ergo dicta insolubilitas dici non potest de Juræ naturæ. *Secundò:* non solùm animalia irrationabilia, sed neque plures homines eandem insolubilitatem servant; nam Gentiles, Pagani, atque Mahometani, & alii infideles dimittunt uxores ad beneplacitum; & cum aliis contrahunt Matrimonium; prout fecisse legimus Regem Assuerum,
35 qui dissolvit Matrimonium antea contractum cum Regina Vasthi, & de novo contraxit cum Esther Virgine Judæa, Nepte Mardochæi, ut habetur in ejus *libr. Esther. cap.* 1. *num.* 19. Imò multò ante ipse Abraham dimiserat, Agar Uxorem suam cum filio Ismaele, quem ex ea genuerat; & multò post Romani repudium Uxorum deduxerant in praxi, eas dimittentes, ac vinculum Matrimonii solventes, ut testatur Va-
36 lerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 3. *tit. de Repud.* facitatum à Spurio Carbilio, qui Uxorem sterilitatis causa repudiavit; quod notavit etiam Lessius *in* 3. *p. D. Thom. De Sacram. Matrimonii cap.* 5. *Dub.* 2. *n.* 90. & Gonet. *d. disp.* 5. *num.* 23. *Tertiò:* & multò magis dissolubilitas nexus conju-
37 galis practicabatur à Judæis, quibus licitum semper fuit dare uxoribus suis libellum repudii, & alias ducere, ut *in Deuterom. cap.* 24. *num.* 1. *Quartò:* imò etiam inter Christianos videtur hæc eadem solubilitas conjugi deducta ad praxim, ut de Constantino Imperatore filio Irenes scribit Emin. Cardin. Baronius *Anno* 788. De Michaele III. pariter Imperatore, qui hac de causa expulit S. Ignatium Patriarcham, cui suc-
38 cessit Photius; *Anno* 858 De Lothario Francorum Rege *Anno* 862. & de aliis, ex quibus exemplis infertur, insolubilitatem vinculi Matrimonii non posse dici esse de Jure naturæ; attento axiomate vulgatissimo, quòd Jura naturalia sunt
39 immutabilia. *l. Jura sanguinis:* & ibi Decius *de Reg. Jur.* §. *fin. Instit. De Jure natur. gent. & civil.*

His tamen minimè obstantibus, constans est conclusio, quòd nexus conjugalis est indissolubilis etiam de Jure naturæ; & ideò respondetur ad Primam objectionem, quòd Jus natura-
40 le bifariam accipitur, itaut aliud dicatur primarium, aliud verò secundarium. Jus naturale primarium est illud, quod commune reperitur tam hominibus, quàm cæteris animantibus; quibus ex solo instinctu, & inclinatione naturæ indicitur pro proprii individui conservatione; ut seipsum diligere, sese custodire, declinare ea,
41 quæ nocitura videntur, vim vi repellere, quærere, & parare ad vitam necessaria, sui simile procreare, & id genus alia, de quibus Anton. Pichardus *in Commentar. Instit. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 4. Jus verò Naturale secundarium est illud, quod in sola naturali ratione conquiescit, & convenit tantùm hominibus, qui ab eadem natura edocentur ea, quæ rationabiliter sunt vel facienda, vel evitanda; videlicet Religionem erga Deum, amorem erga parentes, & patriam, obligatio- 42
nem antidoralem, idest ut benefacientibus benefaciamus, pactorum observantiam; ut honestè vivamus, alterum ne lædamus, jus suum ut cuique tribuamus, & alia similia, quæ lumine naturali cognoscuntur ab hominibus esse rationi consona, & per ipsam naturam indicata, ac præcepta; & hujusmodi est perpetuitas nexus Matrimonialis, quia jus naturale (ut supra dictum est) docet non solum procreare prolem, sed eam bene educare, & instruere per totam vitam, ac eidem hæreditatem paternam, ac maternam relinquere; ad quæ omnia peragenda, oportet, quòd Matrimonium sit insolubile; ut Maritus, & Uxor simul conviventes usque ad mortem possint huic præcepto Juris naturalis erga filios fatisfacere. Igitur cessat objectio, quòd animalia irrationabilia non servent insolubilitatem conjugii, etsi capacia sint Juris naturalis; nam eorum capacitas se extendit tantummodò ad Jus naturale primarium, non au- 43
tem ad secundarium, quod spectat ad solos homines rationis usum habentes; qui à natura docentur vivere in Matrimonio inseparabiliter usque ad mortem. Jus autem illud primarium dicitur potiùs impetus naturæ, affectus, & inclinatio, quàm Jus, ut notat Laurentius Valla *lib.* 4. *elegant.* Mynsingerius, atque Pichardus *d. tit.* 2. in princ. tituli *num.* 4. Secundæ. Tertiæ, ac Quartæ objectionibus dabitur resolutio in Decisionibus sequentibus.

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Contra indissolubilitatem Matrimonii, quam esse diximus etiam de Jure naturali, adducuntur exempla antiquorum, à quibus eorum Conjugia fuerunt soluta, & Uxores repudiatæ; nempè Agar ab Abrahamo, Philisthæa à Sampsone, Michol à Davide; Vasthi à Rege Assuero, & plurimæ aliæ à Romanis, simulque à Sinensibus, ac à Turcis. Respondetur ad prædicta Exempla, & ostenditur, ea nihil concludere pro Matrimonii solubilitate etiam de Jure naturæ. Tandem quæritur, & resolvitur, An Matrimonia Infidelium, cum facultate repudii inita, sint valida? Et An sic contrahentes peccent.

SUMMARIUM.

1 *Agar Uxor Abrahami ab eo dimissa, & repudiata.*

2 *Sampsonis Uxor Philisthea illum repudiavit, & alteri nupsit.*

3 *Michol filia Saulis, & Uxor Davidis, eo relicto, nupsit Phaltiel.*

4 *Assue-*

4 *Assuerus Rex, soluto Matrimonio per repudium Reginæ Vasthi, ducit Esther in Uxorem.*
5 *Assuerus Rex quis fuerit?*
6 *Repudia Uxorum, ac solutionem Vinculi Matrimonialis permittebat Jus Civile Romanorum.*
7 *Repudia Uxorum apud Romanos alia cum causa, alia sine causa.*
8 *Mima Uxor Antonii repudiata ex Cicerone.*
9 *Claves domus datæ Uxoribus in Matrimonio, ablatæ in repudio.*
10 *Repudium Uxoris, quæ non velato capite exiverat domo.*
11 *Alterius, quæ secretò loquebatur cum quadam libertina.*
12 *Unius, quæ ad Ludos spectandos accesserat.*
13 *Domitia repudiata à Domitiano Imperatore.*
14 *Thurii habebant Legem de repudio Uxorum.*
15 *Ubi esset istorum Civitas?*
16 *Clodia, Cæcilia, Scribonia, & aliæ Matronæ Romanæ repudiatæ à Maritis.*
17 *Nasi humiditas causa repudiandi Uxorem ex Juvenali.*
18 *Sinenses, ac alii Indiani solent repudiare Uxores.*
19 *Mahometani, ac Turcæ repudiant pro libito Uxores.*
20 *Natura repugnat solutioni Matrimonii ante mortem.*
21 *Agar fuit dimissa ab Abrahamo quoad thorum, non quoad vinculum.*
22 *Et ex Dei commissione; cujus providentia Abraham fidit.*
23 *Ismaeli, & ejus Matri Agar necessaria misit Abraham in Desertum.*
24 *Synagogæ repudium significatum in repudio Agar.*
25 *Sampsonis Uxor ab eo divertit jussu Patris sui Pagani.*
26 *Hebræis prohibitum erat ducere Uxores alienigenas.*
27 *Genitorum contra voluntatem Matrimonia inita à filiis infelicia.*
28 *Sampsonis socer an licite ejus Uxorem alteri maritarit?*
29 *Societates cum infidelibus, & hæreticis infelices.*
30 *Saul ex odio contra David dedit alteri in Uxorem filiam suam Micholem.*
31 *David dimissus per fenestram ab Uxore Michole, ut eum salvaret.*
32 *Micholis Matrimonium cum Phalthielo nullum.*
33 *Michol an peccaverit nubens Phalthielo jussu Regis Saulis?*
34 *Sacramenta simulare non licet, neque metu mortis.*
35 *Matrimonium simulare licet ob gravem metum. Et cur?*
36 *Ebrietas judicium rationis offuscat.*
37 *Vasthi Regina an justè recusaverit accedere ad Assuerum?*
38 *Romani in multis contra legem naturæ agebant.*
38 *Philosophi, qui cognoverunt, Unum solum Deum esse.*
40 *Romani Idolis suis Victimas humanas sacrificabant.*
41 *Luxuria Paganorum, & Turcarum offuscat in eis lumen naturæ.*
42 *Infidelium Matrimonia an sint valida?*
43 *Distinctione solvitur dubium.*
44 *Infideles an peccent, dum repudiant Uxores.*

ALtera objectio, in præcedenti Decisione *sub num.* 35. facta ad impugnandum, quòd indissolubilitas Matrimonii sit de Jure naturali; fundatur in eo, quòd plures nationes hominum usque ab antiquissimis temporibus, etsi lumine naturali ditatæ, & secundùm Jus naturæ viventes prædictam indissolubilitatem non servabant, sed quandocunque sibi placebat, nexum Matrimonialem solvebant, Uxores suas dimittentes, ac alias sibi copulabant, prout ex sequentibus Historiis, Scripturis, & Exemplis.

Primò ex facto Abrahami; qui attenta sterilitate Saræ Uxoris suæ accepit sibi in Uxorem etiam Agar Ægyptiam, ut legitur *Genes.* 16. 4. ibi: *Tulit* (Sara) *Agar Ægyptiam ancillam suam, & dedit eam Viro suo* (Abrahamo) *uxorem; qui ingressus est ad eam.* (Quomodò autem licitè potuerit Abraham, habens Saram Uxorem, accipere etiam Agar, & cum eadem Matrimonium contrahere? explicabimus infra in *Decis. XXII.* in qua de Impedimento Ligaminis, ac de Polygamia antiquorum temporum verba faciemus.) Agar itaque nupserat Abrahamo, & facta erat ejus Uxor, ac eidem pepererat filium, ut subdit textus *d. Genes.* 16. 16. *Peperitque Agar Abrahæ filium, qui vocavit nomen ejus Ismael.* Et nihilominùs post tresdecim circiter annos cum Sara quoque concepisset, ac peperisset filium, cui impositum fuit nomen Isaac, ut habetur *Genes.* 21. 1. ipse Abraham ad instantiam ejusdem Saræ solvit Matrimonium initum cum Agar, & eam dimisit de domo sua: nam ut ait textus *d. Genes.* 21. 10. *Cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Ecce factum divortium cum solutione vinculi Matrimonialis: nunquam enim rediit deinceps Agar ad Abrahamum; qui imò post mortem Saræ, *aliam duxit Uxorem nomine Ceturam;* ut ex *Genes.* 25. 1. Ergo insolubilitas Matrimonii non est de Jure naturali; contra quod fecisset Abraham dimittendo Agar uxorem suam, & vinculum Maritale, cum ea antea contractum, solvendo.

Secundò ex exemplo Sampsonis, qui duxit in Uxorem mulierem Philisthinam, ut constat *ex libr. Judic. cap.* 14. ubi narratur, quòd post contractas nuptias, orto dissidio inter eundem Sampsonem, & parentes, ac concives Uxoris ipsa *Uxor ejus accepit Maritum unum de amicis ejus. Judic.* 14. 20. cumque de hoc indolentiam fecisset Sampson cum Socero suo, respon-
2 dit ei, seipsum excusans: *Patavi, quòd odisses eam, & ideò tradidi illam amico tuo: sed habet Sororem, quæ junior, & pulchrior illa est, sit tibi pro ea Uxor. Judic.* 15. 2. Igitur Socer Sampsonis solverat conjugium filiæ suæ, eamque alteri maritarat, etsi priùs eam dedisset illi in Uxorem; unde deducitur, indissolubilitatem Matrimonii non esse de Jure naturali, nam ad ejus observantiam homines illi Philisthei, etsi infideles, erant obligati.

Tertiò ex facto Saulis Regis Judæorum, qui dederat in Uxorem Davidi filiam suam Michol
3 in præmium devicti, ac obtruncati Gigantis Goliathi; & cædis Philisthinorum, sic testante Scriptura Sacra. 1. *Reg.* 18. 27. *Et post paucos dies surgens David abiit cum viris, qui sub eo erant; & percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea Regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam Uxorem.* At non multò post ipse Saul solvit hoc Matrimonium; & fecit ut eadem Michol nupserit alii Viro, nempè Phalthiel filio Lais; undè ait Scriptura, quòd post mortem Saulis, ipse David factus Rex *misit nuncios ad Isboseth filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam desponsi mihi centum præputiis Philisthiim. Misit ergo Isboseth, & tulit eam à Viro suo Phalthiel filio Lais; sequebaturque eam Vir suus plorans usque Baburim.* 2. 2. *Reg.* 3. 14. Ergo indissolubilitas Matrimonii non est de Jure naturæ, quia à viris illis non servabatur.

Quartò ex repudio dato per Assuerum Regem Persarum, ac Medorum Vasthi Reginæ Uxori suæ, eo quia vocata ad ejus convivium
4 recusavit accedere; ut narratur *libro Esther. cap.* 1. ubi *num.* 19. ponitur Regis Edictum, quo sancivit, *ut nequaquàm ultrà Vasthi ingrediatur ad Regem; sed Regnum illius altera, quæ melior est illa, accipiat.* Fuit autem Esther Neptis Mardochei Judæi, quæ, in locum Vasthi repudiatæ Reginæ, accepta fuit in Uxorem à Rege Assuero, ut *d. libr. Esther.* 2. 17. Quis autem fuerit Rex Assuerus, non est concors Scriptorum sententia; alii enim ajunt, eum fuisse Xersem, alii Artaxer-
5 sem Longimanum Xersis filium, alii Darium Hystaspem, & alii Artaxersem Ochum, ut refert Cornelius à Lapide *in Comment. ad libr. Esther in princ.* ubi harum opinionum Auctores refert. Cæterùm quoad rem nostram, si Matrimonium esset insolubile de Jure naturæ, non videtur hac cum facilitate potuisse Regem Assuerum solvere conjugium suum cum Regina Vasthi, & contra Jus naturale eam dimittere, prout fecit.

Quintò ex praxi Romanorum, apud quos licita erat solutio Matrimonii, ut ex Valerio Maximo dictum est *supra in præced. Decis. VII. num.*
6 36. factum fuisse à Spurio Carbilio; & concludenter constat *ex tit. Digestor. de Divortiis*, nec non *ex tit. Codicis. De Repudiis*, in quibus agitur de solutione Matrimonii; quæ fieri poterat tum à Marito, repudiando Uxorem; tum ab Uxore repudiando Maritum, ad effectum contrahendi novas nuptias cum aliis, etsi primus Maritus, vel prima Uxor, post factum divortium seu repudium, viverent; ut notat M. Ant. Peregrinus Eques Patavinus *in tract. Var. libr.* 2. *ad Rubricam de Judiciis num.* 14. & differit Gregorius Tholosanus *Syntagm. Jur. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 15. ubi advertit, quòd talis solutio Matrimoniorum fiebat vel ex mutuo consensu conjugum, vel altero invito: & tunc vel ex aliqua justa causa enunciata in *l. Consensu* 8. *C. de Repudiis*; vel etiam sine causa; sed incurrebatur mulcta amis-
7 sionis dotis, si Uxor solvebat Matrimonium; vel alterius pœnæ, si Maritus dictam solutionem petebat, prout in *d. l. Consensu.* 8. qui ulteriùs aliam Uxorem ducere non poterat intra quinquennium; ut latiùs demonstrat Bart. & Paulus de Castro *in ead. l. Consensu*; & Tholosanus *d. cap.* 15. *num.* 20. Ex his confirmatur, quòd indissolubilitas Matrimonii non videatur provenire à Jure naturali, cujus observantiam profitebantur Romani; sed vinculum conjugii non tenebant indissolubile; prout ulteriùs demonstratur ex Historiis, ac sequentibus Exemplis; videlicet

Sextò ex Cicerone, qui *Orat.* 2. *contra Antonium*, agens de divortio, ac solutione Matrimonii, quam fecerat ipse Antonius dimittens Mimam
8 Uxorem suam, ait, quòd *illam suas res sibi habere jussit, ex duodecim tabularum lege claves ademit, & exegit domo.* Siquidem quando Uxores contracto Matrimonio accedebant ad domum Mariti, ab eo recipiebant claves domus in signum potestatis, quam consequebantur tanquam Matres familias, & dominii rerum domesticarum,
9 juxta *l. Clavibus* 74. *ff. De contraben. Empt.* sic expellebantur domo, soluto Matrimonio, Maritus ab eis claves repetebat.

Septimò ex Valerio Maximo *lib.* 6. *cap.* 3. qui narrat, C. Sulpitium Gallum repudiasse Uxo-
10 rem hanc tantùm ob causam, quia eam capite aperto, & non velato foris versatam cognoverat.

Octavò; nam & Q. Antistius nexum maritalem rupit, teste eodem Valerio Maximo,
11 quia illam semel secretò loquentem viderat cum quadam vulgari libertina.

Nonò; & P. Sempronius Sophus conjugem suam repudii nota affecit nihil ob aliud, nisi quia, se ignorante, ludos spectarat; quam causam legi-
12 timam esse divortii faciendi declarat Jus Civile *in d. l. Consensu* 8. §. *Vir quoque. C. de Repudiis* his verbis: *Vir quoque nullo modo expellat nisi adulteram &c. vel circensibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis, in ipsis locis, in quibus hæc assolent celebrari, se prolubente gaudentem, &c.*

Decimò accedit prædictis aliud exemplum repudii, quod fecit T. Flavius Domitianus Im-
13 perator de Domitia Augusta Uxore sua. relatum à Svetonio *lib.* 8. *in Vita ejusdem Domitiani* his verbis: *Deinde Uxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo Consulatu Filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, eandem Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit.*

Undecimò consonat, quod de Thuriis scribit Diodorus Siculus *lib.* 12. *Bibliothec.* videlicet:

Modisi-

Modificatam fuisse legem, qua jus Uxori permittebatur, à Viro, ubi visum esset, discedere, viroque alteri cuicunque collibuisset, consuescere: edictumque, ut relicto priore Viro, cuicunque collibuisset, non liceret se jungere juniori: pariter nec si Vir Uxorem ejecisset, non liceret sibi juniorem jungere. Thurii ergò solvebant pro libito vinculum Matrimoniale; & hi erant populi habitantes in magna Græcia; ideſt in Calabria, quæ pars est Regni Neapolitani; ibi enim erat Thurium Urbs ampla inter ostia Sybaris, & Cratis fluviorum, in ora sinus Tarentini, quæ nunc diruta jacet, & ejus rudera visuntur, dicta *Sibari rovinata*; & ibi locus dictus *Torre Brodognetto*, ut notat Ferrarius *in Lexic. Geographico Verb. Thurium.*

Duodecimò etiam in Plutarcho legimus, Lucullum repudiasse Clodiam Uxorem suam ob impudicitiæ suspicionem; Syllam verò dimisisse Cæciliam ejus conjugem sub prætextu sterilitatis; & à supracitato Svetonio in Augusto traditur, Augustum ipsum repudiasse Scriboniam uxorem suam, *eò quod pertæsus esset morum ejus perversitatem.* Et in Vita Claudii idem Svetonius refert, eundem licentiasse Æmiliam Lepidam conjugem ob levissimas causas; Neronem quoque dimisisse Octaviam Uxorem, eò quod *conversatione ejus non delectaretur*: & adeò facile factum erat repudium Uxorum apud Romanos, ut Juvenalis Poeta Satyricus cecinerit, ad illud peragendum satis fuisse, si Uxor nasum humidum haberet:

Collige Sarcinulas, dixit libertus, & abi;
Jam gravis es nobis; sicco venit altera naso.

Decimotertiò: Quod in usu fuit apud Romanos tempore infidelitatis, consuetum quoque fuit, & nunc est apud Sinenses infideles, à quibus solvuntur Matrimonia per eos contracta, ut scribit P. Joannes Philippus de Marinis Missionarius Societatis Jesu *in Histor. de Japponib. libr. 1. cap. 7. pag. mihi 176.* ubi ita loquitur: *Passo hora à dire del modo, e ceremonie, con le quali il marito repudia la moglie, e da essa fà divortio. Se il marito è Mandarino di Lettere, per più quiete, e gravità le fà presentare Libello scritto, nel quale dichiara la sua volontà di sciorla, e darle licenza, che cerchi altro marito: e con ciò si pensa, che il vincolo maritale sia in tutto sciolto. Se il marito è persona volgare, e non sà Lettere, alla presenza di altri prende la forchetta di legno, con la quale mangia, e ne fà due pezzi frangendola: il medesimo pure fà d' una moneta di rame, simile al mezo bajocco, che la parte per lo mezzo; e di essa una parte ne tiene per se, siccome della forchetta, e l' altra metà di questa, e di quella la dà alla moglie, che egli rifiuta. A tutto questo si chiamano testimoni, che ne possano far fede in giudicio; e senza questi segni il Repudio non è legitimo. Hò detto, che al marito solo è permesso il repudio della moglie, e non à questa del marito: nientedimeno ove non gionge la legge, supplisce la malitia della Dona; perche quando ella non sia contenta di quel maritò, tante gliene fa, e si strana si mostra in tutto, che il misero, per liberarsi da quel travaglio, si muovè à licentiarla.* Idcircò etiam in Indiis, & apud Sinenses, qui profitentur Litteraturam, & juxta Jus naturale actiones proprias dirigere, & Imperium suum gubernare, non est insolubile vinculum Matrimonii; sed quandocunque sibi bene visum fuerit, illud frangunt, Uxores dimittunt, & alias sibi gratas copulare non desinunt.

Decimoquartò: Hoc ipsum faciunt Mahometani, ac Turcæ, ut referunt omnes, qui eorum statum, & mores observarunt; inter quos *D. Ricaut* Secretarius Oratoris Regis Angliæ ad Sultanum Mahometem IV. Imperatorem Turcarum *in Histor. Imperii Ottomani de Anno* 1681. in qua *lib. 2. cap. 21.* ita differit: *Tre sorti di divortii sono fra' Turchi, li quali tutti si fanno alla presenza del Giudice, ed egli medesimo n' estende gl' atti, e li registra. Il primo è fatto per separare il marito, e la moglie da una stessa casa, e da uno stesso letto, con obligatione al marito di mantenerla à sue spese di tutte le cose necessarie. Il secondo non solo li separa in tal guisa; mà il marito è tenuto di dare la Dote alla moglie, di modo che essa non hà più à pretendere nè quanto alla sua persona, ne quanto alla robba cosa alcuna, e può, se vuole, rimaritarsi con un' altro. Il terzo, che si chiama* Ouch, Talach, *si fà d' una forma più chiara, e con più dure conditioni.* Solubilis est itaque nexus maritalis apud Turcas; quod etiam testatur Jo: Baptista Tavernier *Itinerar. per Turcas, Persas, & Indos* in Relatione *Consuetud. & Rituum Turcarum pag.* 201. ubi art: *Il marito può lasciare tutte le mogli, tornando à vendere le schiave, e pagando ciò che hà promesso à quella, c' hà tolto* à Chebin, *e separandosi dalla legitima. Se la donna hà giusta ragione di fare divortio; il marito è tenuto restituirle la sua dote: mà se egli la ripudia con causa, non le dà niente.* Ex his omnibus hucusque relatis, ac aliis, quæ referuntur à Gonzalez *in commentar. ad cap. 1. de Divortiis n. 7. & seqq. tom. 4.* dicendum videtur, insolubilitatem Vinculi Maritalis non procedere à Jure naturali, nec à natura esse prohibitam, quia ut ait Durandus *in 4. dist. 33. quæst. 1. num. 9.* quem allegat Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 420. *n.* 66. imò irrationabile videtur asserere, quod apud tot, & tantas nationes, etsi infideles, adeò fuerit obumbrata ratio naturalis, & lumen naturæ, ut non cognoverint, Matrimonia cum una Uxore inita non posse dissolvi; & illicitum esse naturali Jure, facere divortium non solùm quoad thorum, & habitationem, sed etiam quoad Vinculum ipsum Matrimonii.

Porrò prædictis omnibus, & singulis non obstantibus constans, & irrefragabilis est conclusio in præcedenti Decisione firmata *sub num. 27. & seqq* quòd ipsa indissolubilitas Matrimonialis nexus provenit tum à Jure divino, tum à Jure naturali; repugnat enim naturæ, quòd Matrimonia fiant ad tempus; & possint dissolvi ante mortem conjugum ob illa gravissima incommoda, quæ resultant ex divortio; & ob importantes utilitates, quæ eveniunt à perpetuitate conjugii, & fuerunt recensitæ *in d. Decis VII. à num.* 28. usque *ad num.* 33 Facilis autem est resolutio objectorum. Nam

Ad Primum circa dimissionem Agar, factam ab Abrahamo, respondetur tripliciter; ideſt legaliter, moraliter, & allegoricè. Responsio prima legalis est, quòd Abraham dimittendo Agar Uxorem suam cum filio Ismaele non dissol-

vit

vit vinculum Matrimonii; sed tantummodò fecit cum illa divortium quoad thorum, & habitationem; siquidem expulit eam de domo tanquam rixosam, incorrigibilem, superbam, & impertinentem erga Saram; ob quos defectus etiam nostris temporibus permissum est divortium prædictum. Sanchez *de Matrim. lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 11. Ità testatur Abulensis, & cum eo Cornelius à Lapide in *Genes.* 21. 14. cujus hæc sunt verba: *Non tamen facta est hic Matrimonii inter Agar, & Abraham dissolutio, itaut liceret Agar alteri nubere. Agar enim non Matrimonio, sed domo tantùm Abrahæ ejecta fuit per divortium ob suas lites, quas habuit cum Sara.* Responsio secunda Moralis est, quòd Abraham dimisit Uxorem Agar obediens Deo, & fidens eam, ac puerum Ismaelem, ab illius Divinâ providentia non derelinquendos: nam cùm Abrahamo dura visa fuisset ejectio Agar, & 22 Ismaelis de domo sua juxta voluntatem Saræ, Deus dixit Abrahæ *d. cap.* 21. *Genesis num.* 12. *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus; quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Undè Theodoretus *quæst.* 71. *in Genes.* ità scripsit: *Verumtamen* (Abraham) *valde diligens puerum, fecit, quod Dominus præcepit, & sic promissionibus Divinis credidit; quia non datis illi servis, ancillis, auro, vel argento, è domo jussit abire puerum, sed matre sola cum panibus paucis, & utre aquæ; jam enim certa erat præcipientis promissio, qua Deus promiserat eis, effecturum se puerum in gentem magnam.* Observat tamen Abulensis, & cum eo opinatur Salianus *ad Annum* 23 *Mundi* 2144. *n.* 8. mox à discessu Agar, & Ismaelis, *Abrahamum eis copiosè necessaria subministrasse, idque propter loci vicinitatem facilè fuisse, & propter naturæ conjunctionem oportuisse.* Responsio tertia allegorica est, quòd ideò Abraham, Deo præcipiente, expulit Agar Uxorem suam cum Ismaele filio retenta Sara, ac filio Isaaco; quia Agar significabat Synagogam à Deo repudiandam cum Judæis ejus filiis, qui repræsentabantur in Is- 24 maele; Sara verò innuebat Ecclesiam, & Isaac populum Christianum à Deo semper custodiendum; ut ait Apostolus Paulus *ad Galatas cap.* 4. *Vers.* 22. ibi: *Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla secundùm carnem natus est: qui autem de libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta.* Et paulò post: *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ; qua libertate Christus nos liberavit.* Undè super iisdem verbis: *Ejice ancillam* sic commentatur Cornelius à Lapide *d. cap.* 4. *Vers.* 30. *Deus hæc verba, & postulata Saræ probat, jubetque Abrahamo, ut Saræ in illis obsequatur, tum quia in se æqua erant, & justa; tum ob typum, & significationem futurorum; volebat enim Deus hac ejectione Agar, & Ismaelis ex domo, & hæreditate Abrahæ, significare pari modo repudiandam à Deo Synagogam cum Judæis, eosque benedictione, justitia, amicitia, Ecclesia, & hæreditate Dei expellendos esse, quia Christum, & Christianos persequuntur. Ita Ambros. Anselm. Hieronym. Rupertus, & alii.*

Ad secundum (Uxoris scilicet Sampsonis, quæ eo relicto alteri nupserat) exemplum respondetur, Primò dissolutionem vinculi Matrimonialis peractam fuisse non à Sampsone; sed 25 ab ejus Socero, qui erat Philisthæus, ac Paganus; ideò nil mirum, si attentavit rem Jure naturali prohibitam; præcipuè ex odio occulto, quod in ipsum Sampsonem Hebræum nutriebat, timens ejus fortitudinem: idcircò se excusavit dicens: *Putavi, quòd odisses eam, & ideò tradidi illam amico tuo. Judic.* 15. 2. Respondetur Secundò, quòd inter Sampsonem, & Mulierem illam Philisthæam forsan non fuit verum Matrimonium ob cultus disparitatem illud impedientem, & dirimentem; nam prohibue- 26 rat Deus filiis Israel mulieres alienigenas, ac infideles accipere in Uxores sibi, ut legitur *Exod.* 34. 16. ibi: *Nec uxores de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in Deos suos.* Ideò genitores Sampsonis eum redarguerunt, dum vellet cum Philisthæa contrahere Matrimonium. *Judic.* 14. 13. *Cui dixerunt Pater, & Mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo tuo, quia vis accipere Uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt?* Et hic notandum, quòd rarò habeant felicem exi- 27 tum Matrimonia, contracta à filiis contra voluntatem suorum genitorum, ut experientia demonstrat. Cornelius tamen à Lapide *ibid.* ait, Sampsonem non peccasse, quòd contra legem petierit Uxorem Philisthinam, quia id fecit Deo impellente, ac proindè in lege sua dispensante. Respondetur Tertiò, Socerum Sampsonis ejus Uxorem alteri nuptui dedisse, quia cùm ab eà recessisset, & sibi odiosam crederet esse factam, putavit, eam repudiasse, juxta morem He- 28 bræorum, quibus licitum erat Uxorum repudium *ex Deuter.* 24. 1. undè ait: *Putavi, quòd odisses eam, & ideò tradidi illam amico tuo. Judic.* 15. 2. Respondetur, Quartò, sic permissum esse à Deo, ut ab hoc exemplo Sampsonis, cui tam gravis injuria à Socero facta fuit, discant fideles abstinere à confœde- 29 rationibus cum infidelibus, & cum hæreticis; eas enim benedictio cœlestis non prosequitur, & præcipuè in conjugiis ineundis, quæ ab Apostolo reprobantur 2. *Cor.* 6. 14. & de eis ità scribit S. Ambrosius *lib.* 3. *epist.* 24. *ad Vigilium: Cave Christiane, gentili aut judæo filiam tuam tradere. Cave, gentilem aut judæam, aut alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua, uxorem accersas tibi.* Hinc prohibita est omnis amicitia, & conversatio cum hæreticis. *cap. Omnis, qui credit.* 24. *quæst.* 1. cum *duob. seqq.* Nam, ut ait S. Paulus 2. *Tim.* 2. 17. *Sermo eorum ut Cancer serpit.*

Ad Tertium exemplum Micholis filiæ Saulis, ab eo desponsatæ Phaltielo filio Lais, etsi antea eam dedisset in Uxorem Davidi, respondetur Primò, id factum esse iniquè, & invalidè ab ipso Saule ingratissimo Rege erga Davi- 30 dem, quem odio intimo persequabatur, timens ab eo sibi arripi Regnum; unde ait Cornelius à Lapide 1. *Reg.* 19. 10. *Vide quàm varium, & inconstans cor hominis, præsertim impii, & invidi, qualis erat Saul; hoc enim cùm felle rancoris, & odii plane sit imbutum, esto ad tempus melle amoris obliniatur, illicò eo evaporante ad felleas suas iras, invidias, & noxas mollitas*

revert

revertitur. Idcircò nil mirum si Saul, qui impiè tentarat pluries vitam auferre Davidi, privaverit eumdem Uxore sua Michole, tradendo illam in conjugem Phaltielo filio Lais. Respondetur secundò, id factum esse à Saule etiam in vindictam, & opprobrium ejusdem filiæ suæ
31 Micholis; siquidem cùm misisset satellites ad domum Davidis, ut illum comprehenderent, & necarent, Michol eum per fenestram dimisit, & sic aufugit, & salvatus est; quod ut rescivit Saul objurgavit illam dicens: *Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum, ut fugeret?* 1. *Reg.* 19. 17. & subindè in specie punitionis coegit illam accipere in maritum alium virum, scilicet Phaltielum filium Lais. Respondetur Tertiò,
32 invalidum fuisse hoc secundum Matrimonium Micholis cum Phaltielo, quia primum cum Davide non fuerat solutum; imò peccasse eamdem Micholem consentiendo huic secundo conjugio scribit Salianus *ad Annum Mundi* 2977. *num.* 51. his verbis: *Itaque non caruit culpa Michol, quæ vivente marito consensit accipere virum alterum; simulque facta est duorum virorum Uxor; quod est contra Legem naturæ, & rationem Matrimonii. Neque potest dici, Davidem à Michol repudiatum, sivè quia id jus mulieribus nunquam fuit; sivè quia Michol di-*
33 *ligebat Davidem; ideoque invita alteri viro à Patre tradita est; sed non debuit assentiri adulterino conjugio, ne morte quidem proposita.* Cæterùm hæc opinio Saliani videtur nimis rigorosa, neque admittitur à Theologis nostrorum temporum, quos allegat Cardenas *in Crisi Theologica Dissert.* 20. *cap.* 7. *à n.* 79. *& seqq.* videlicet Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 11. Henriquez *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 9. Castropalaum *tom.* 4. *disp.* 2. *punct.* 12. & Ægidium Coninch. *eod. tract. disp.* 28. *dub.* 3. qui omnes docent, non peccare mortaliter contrahentem Matrimonium per vim, & metum cadentem in constantem virum,
34 etsi per talem vim, & metum, etiam mortis non liceat simulare Sacramenta ob gravem injuriam, quæ infertur meritis Christi, nam Matrimonium involuntariè contractum cùm sit nullum in genere contractus, est etiam uullum in genere Sacramenti, & sic nulla sit injuria Sacramento, aut meritis Christi, potestque simulari
35 contractum ipsius Matrimonii ad effugiendam mortem, vel aliud grave damnum absque peccato; quapropter verius esse videtur, Micholem non peccasse nubendo secundo Viro Phaltielo ob vim, & metum gravem sibi illatum à Rege Saule patre suo, (tantò minùs, quia à tempore Matrimonium non erat Sacramentum,) & sic nimis severum fuisse Salianum facientem illam ream peccati mortalis.

Ad Quartum exemplum Regis Assueri, repudiantis Vasthi Reginam Uxorem suam, respondetur, non esse mirandum, quòd contra Jus naturale repudium illud fecerit, nam tunc fecit, *cùm esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero. Esth.* 1. 10. At testatur Hugo de Sancto Victore, quòd *Ebrietas judicium rationis offuscat*; & quòd *ubi regnat Ebrietas ratio*
36 *exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur.* Causa repudii fuit, quia Vasthi Regina vocata à marito temulento, ut veniret, & se conspiciendam convivis ebriosis ad convivium transferret, noluit ire. Excusant illam omnes Scribentes, imò jure recusasse accessum ad locum convivii affirmant; ait enim Severus Sulpitius *de Vasthi: Stulto Rege consul* 37
tior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere jussa abnuit. & Josephus Hebræus *lib.* 11. *cap.* 6. subdit: *Voluit ipsa Persarum leges custodire, quæ ab alienis uxores videri prohibebant.* Idcircò inferunt tum Salianus *Ann. M.* 3592. *num.* 10. & 11. tum Cornelius à Lapide *d. cap.* 1. *Esth. Vers.* 11. *in fin. Rectè ergo ex lege naturæ, æquè ac positiva Persarum Vasthi noluit suam speciem ostentare convivis temulentis.* Offendit Jus naturale Assuerus ebriosus in repudianda Vasthi, à qua observante leges naturæ, ac patriæ se esse offensum ob ebrietatem putavit.

Ad Quintum verò, & alia quinque subsequentia exempla Romanorum, Uxorum repudia cum solutione vinculi Matrimonialis permit- 38
tentium, etsi ipsi Jura naturalia profiterentur servare, respondendum est id, quod de eorumdem pluralitate Uxorem respondit celeberrimus Menochius *in tract. de Arbitr. Judic. casu* 420. *num.* 88. his verbis: *Mirum non est, si in hunc errorem inciderint, cum & his commiserint majores, nam Idola coluerunt, & nefandum Sodomiæ vitium, quod legi, rationique naturali repugnare sciebant: & si percurrimus Auctores jam commemoratos, qui de ferinis horum moribus scripserunt, multa certè inveniemus ab illis facitata, quæ nec feræ ipsæ bestiæ,* (ut ita loquar) *fecissent.* De Idolorum multitudine, quæ adorabantur à Romanis superfluum est agere, etsi naturali lumine unum Deum solum conspicere valerent, ut conspexere Aristoteles *lib.* 12. *Metaphysic.* 39
texx. 49. 50. 51. Trimegistus *in Pimandro cap.* 13. Pytagoras teste Antenagora *in Orat. pro Christian.* & præter alios Philosophos ipse Plato, ut probant Cyrillus *libr. in Julian.* Theodoretus *libr.* 2. *contra Græcos*, & Eusebius *lib.* 1. *Præparat. cap.* 9. Imò S. Ambrosius, *lib.* 3. *adverf gent.* demonstrat, Ciceronem ipsum adeo clarè de falsitate Deorum, ac de unius solius Dei veritate scripsisse, ut voluerint Romani ejus libros de natura Deorum, tanquam Idolis injuriosos comburere. Sed quod magis mirandum de Romanis est, eosdem etsi lumine naturali adeò insignitos, & naturali Juri se obsequi profi- 40
tentes, etiam humanas victimas Dis suis sacrificare consuevisse, quod declamat Tertullianus *in Scorpion. cap.* 7. his verbis: *Scytharum Dianam, Gallorum Mercurium, Afrorum Saturnum hominum victimam placari apud sæculum liquit; & Latio* (idest Romæ) *in hodiernum Jovi media in Urbe humanus sanguis inquiratur.* Et concordat Minutius Felix *in Octav. n.* 53. *Romani Græcum, & Græcam; Gallum, & Gallam sacrificio viventes obruere: hodieque ab ipsis Latialis Juppiter homicidio colitur.* Quis inficiabitur, contra Jus naturale fuisse hæc facinora? Et nihilominùs à Romanis perpetrabantur. Igitur nil mirum, si etiam Uxorum repudia inter eos introducta fuerant, quamvis à naturali Jure prohibita, & per sexcentos circiter annos in Romana Republica incognita, teste eodem Tertulliano *in Apolog. cap* 6. ita exclamante: *Ubi est illa fœlicitas Matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos fermè sexcentos*

nulla repudium domus sensit : jam verò repudium votum est, & quasi Matrimonii fructus.

Ad Decimum tertium Exemplum Sinensium, ac Decimum quartum Mahometanorum & Turcarum, repudia Uxorum frequentantium respondetur, eos non attendere Jus naturæ; sed à blanditiis Luxuriæ trahi; 41 nam, ut ait Seneca *in Tragœd. 9. Totum per orbem maximum est exortum malum Luxuries pestis blanda;* & Valerius Maximus *lib. 9. c. 1. Blandum malum est Luxuria, quam accusare aliquantò facilius est, quàm vitare.* Nationes prædictæ carnales motus si cohibere vellent, & juxta lumen naturæ, ac rationis regulam discurrere, cognoscerent utique, Jure naturali insolubilia esse conjugia; ac eidem Juri repugnare repudia, dimissionemque Uxorum. At, ut Claudianus cecinit:

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine mentem.

Et hac de causa non advertunt, se offendere Jus naturale, dum Matrimonia sua faciunt temporanea, ac solubilia; nec eorum perpetuitatem servant, quamvis à natura inditam, atque præceptam.

Sed requiret aliquis. Matrimonia Paganorum, & Turcarum suntne valida, vel invalida? Et iidem, dum illa solvunt, repudiantes, ac dimittentes Uxores suas, peccantne mortaliter? Has esse molestissimas instantias, & quæsita difficillima scribit Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 17. num. 173.* 42 siquidem, quòd eorum Matrimonia sint valida videtur decisum ab Innocentio III. *in cap. Gaudemus De Divort.* ubi hæc ejus sunt verba: *Qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente, licite poterit aliam, ad Christi fidem conversus, habere &c.* Ergo Matrimonia infidelium sunt valida. At è contra Gregorius Nonus in *cap. fin. De conditionib. appos.* sic habet: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si aliter dicat alteri, contrahe tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem &c. Matrimonialis contractus caret effectu.* Sed indissolubilitas Matrimonii est de ejus substantia. Glossa *in d. cap. fin. Verb. contra substantiam conjugii.* Ergo infidelium Matrimonia inita cum facultate illa repudiandi, atque dissolvendi non sunt valida. Pro conciliatione horum textuum, & solutione dubii sic est distinguendum: 43 Vel Pagani contrahunt Matrimonium cum pacto expresso, vel tacito illud dissolvendi per repudium; & tunc invalidè contrahunt, & eorum Matrimonium est nullum juxta *d. cap. fin. de condition. appos.* Vel contrahunt cum sola generali intentione ducendi Uxorem juxta ritum suum, & consuetudinem nationis absque formali, seu actuali voluntate repudii; & tunc eorum Matrimonia sunt valida juxta *d. cap. Gaudemus. de Divort.* prout ita distinguendo respondet Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 17. à n. 176. & seqq.* ubi allegat Sanchezium *de Matrim. lib. 5. disp. 12.* qui alios DD. ita sentientes cumulat; quibus addendi sunt Salmanticenses *in eod. tract. de Matrim. tract. 9. cap. 4. num. 26.*

Ad aliud Quæsitum, An infideles, Pagani, ac Turcæ peccent mortaliter, dum Uxores suas repudiant, ac etiam quo ad vinculum Matrimonii dimittunt? Respondet ipsemet Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. n. 15. in fine*, quòd 44 si invincibiliter ignorent legem insolubilitatis Matrimonii esse divinam, non peccant, secùs si sciant; & idem repetit *eadem disp. 16. n. 27. & n. 52.* quæ doctrina confirmatur ex illo Theologorum principio, quòd ignorantia invincibilis excusat à culpa etiam in lege Divina, & in rebus Fidei. Emin. Card. de Lugo *disp. 13. de Virtute Fidei Divinæ n. 24.* Baldellus in *Theolog. Moral. tom. 1. lib. 1. disp. 26. n. 13.* Suarez *de Legib. lib. 3. cap. 18. n. 11.* Sanchez *in Decalog. lib. 1. cap. 16. n. 21.* & cæteris melius idem Emin. Card. de Lauræa *in tract. de Fide disp. 12. à n. 71. & seqq.* ubi auctoritates, ac probationes plurimæ.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Sex sunt, de quibus differit hæc Decisio circa Libellum Repudii, quo Judæi dimittebant Uxores suas, *ex Deuterom. 24. 1.* Videlicet, Quænam esset Formula ejusdem Libelli? & quibus cæremoniis daretur? An per ipsum solveretur Vinculum Matrimonii? An fieret absque culpa? Quibus de causis Uxores dimitterentur à Maritis? An ipsæ possent Maritos dimittere? Et an in præsenti licitum sit Repudium Uxorum inter Judæos, & alios infideles? Hæc omnia Juribus, Rationibus, Patrum Auctoritatibus, atque Historiis enucleantur.

SUMARIUM.

1 *Judæi per libellum repudii solvebant Matrimonium:* & num. 2.
3 *Deuteronomium est quinta pars Legis Divinæ.*
4 *Lex Divina primùm scripta in uno volumine, postea in quinque.*
5 *Deuteronomium hebraicè* Misnè, *idest reiteratio Legis.*
6 *Deuteronomii liber quando scriptus à Moyse? & cur scriptus?*
7 *Moyses quot annis ante Christum mortuus sit?*
8 *Formula libelli repudii, quam adhibebant Judæi.*
9 *Julii Mauroceni Neophiti liber laudatus.*
10 *Cæremoniæ decem, quas servabant Judæi in dando libello Repudii.*
11 *Libellus repudii solvebat vinculum Matrimonii.*

12 *Uxor hebræa repudiata alteri nubere poterat.*
13 *Adulteria non erant tolerata apud Judæos.* & num. 25.
14 *Uxor repudiata post mortem secundi Mariti non poterat reverti ad primum.*
15 *Sacerdotes Hebraici à quibus fœminis deberent abstinere?*
16 *Uxor repudiata, & alteri nupta cur dicatur* polluta, & abominabilis? & num. 19.
17 *Uxoricidia inter Judæos ex denegato Libello repudii.*
18 *Magistri sententiarum opinio de illicito hebræorum repudio.*
20 *Libellus Repudii an excusaret tam à pœna, quàm à culpa?*
21 *Tolerantia transgressionis legis non scribitur in Libro legis.*
22 *Præceptum est lex, non tolerantia contra legem.*
23 *Scripturæ Sacræ Veritas, ac Auctoritas irrefragabilis.*
34 *Lex Mosayca est Lex Divina data à Deo per Moysem.*
26 *Verba Sacræ Scripturæ in proprio sensu sunt intelligenda.*
27 *Controversia antiqua, & indecisa, quæ fuerint causæ Repudii?*
48 *Rabbinorum discordia circa causas repudiandi Uxores.*
29 *Inhonestas Uxoris sola causa Repudii secundùm aliquos DD.*
30 *Adulterium pœna mortis à Judæis plectebatur.*
31 *Adulterii suspicio poculo zelotypiæ purgabatur.*
42 *Causæ plures pro dando Uxoribus repudio.*
33 *Fœtor mulierum vel ex stomacho, vel ex naribus.*
34 *Polypus intra nasum duplex; & quid sit?*
35 *Turpitudo Moralis in Uxores quænam sit?*
36 *Uxores Judæorum an possent repudiare Maritos?*
37 *Exempla Uxorum quæ dederunt Libellum repudii maritis suis.*
38 *Costobarus Maritus Salomes sororis Herodis ab ea repudiatus. Et lex Juliani, quòd Uxores possent dimittere Maritos.*
39 *Uxoribus non erat concessum repudiare Maritos.*
40 *Æqualitas an semper servanda in contractibus?*
41 *Religiosi Societatis Jesu post Vota biennii non possunt discedere à Religione; sed illa potest eos expellere.*
42 *Salome soror Herodis de facto, & præpotentia repudiavit Maritum,*
43 *Costomari Mariti Salomes infelicissimus finis.*
44 *Uxores genere, aut divitiis elatæ opprimunt Maritos humiles.*
45 *Julianus Apostata hostis Religionis, & Dei.*
46 *Repudii facultas, quam olim Judæi habebant, nunc revocata.*
47 *Lex Mosayca quo tempore cessaverit?*
48 *Christus Dominus abolevit dispensationem repudiandi Uxores.*

TErtia objectio, quæ facta fuit contra indissolubilitatem Matrimonii, dum eam provenire à Jure Divino, ac Naturali diximus supra *Decis. VII. num.* 37. deducta fuit ex repudio Uxorum, quod Judæis licitum erat facere, dimittendo illas per libellum Repudii ad effectum, ut soluto Matrimonio inter eos, ad alias nuptias uterque conjux posset convolare, ut legitur in 1
libro Deuteronomii *cap.* 24. *in princ.* quapropter in præsenti resolvenda est prædicta objectio; & ad hoc ut clarè, etsi compendiosè, Studiosus Lector conspicere valeat ea omnia, quæ sparsim, ac confusè scripserunt Auctores tum antiqui, tum moderni de Libello repudii Judæorum, hic examinabimus.

1 Qualis esset libellus Repudii apud Judæos?
2 An Repudium eorum cum Uxoribus esset quoad thorum, & cohabitationem tantùm? An etiam quo ad Vinculum Matrimonii?
3 An tale Repudium Uxorum esset sola permissio excusans à pœna; non autem à culpa? vel esset vera dispensatio Legis Divinæ excusans tam à pœna, quàm à culpa?
4 Quibus de causis fieri poterat prædictum Repudium ab iisdem Judæis?
5 An Jus dandi libellum repudii competeret tam Maritis ad dimittendas Uxores, quàm Uxoribus ad repudiandos Maritos?
6 An in præsenti duret inter Judæos hoc Jus, & licitè possint ab eis practicari repudia?

Quo ad Primum. Præmittere oportet verba Moysis in libro Deuteronomii *cap.* 24. *in princ.* ubi sic loquutus est ad Hebræos: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam; & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet Libellum Repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior Maritus recipere eam in Uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Per hæc igitur verba populus Hebræus sibi suasum habuit, licere Uxores suas dimittere per libellum Repudii, quandocumque cum eis odium contraxerint; & hanc facultatem sibi concessam à Lege Divina, per eundem Moysem promulgata; siquidem Deuteronomium est quinta pars Pentateuchi, idest totius voluminis ejusdem Legis Di- 3
vinæ, quæ in unico codice primitùs erat conscripta; & per antonomasiam vocabatur Lex: prout

legimus *in Matth.* 12. 36. ibi: *Quod est mandatum magnum in Lege?* nec non *Luc. ult.* 44. ibi: *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Fuit postea integrum illud volumen dissectum in quinque libros, videlicet Genesis, Exodi, Le-
4 vitici, Numerorum, & Deuteronomii; & in hoc quinto Libro fit repetitio, atque major explicatio Præceptorum existentium in libris Exodi Levitici, ac Numerorum; unde à Rabbinis vocatur *Misne*, idest iteratio legis, quæ data fuerat Hebræis à Deo per Moysem in Sina
5 ante annos 38. & ab eodem Moyse fuit repetita, & conscripta in hoc Deuteronomii libro paulò ante ejus mortem; idest anno 40. exitus ex Ægypto, antequam populus transiret Jordanem, & ingrederetur in terram Chanaam, ut
6 notat Cornelius à Lapide *in princ. Comment.* ad eundem Librum Deuteronomii; ubi subdit, causam hujus repetitionis, & novæ Legis conscriptionis extitisse, quia jam mortui erant omnes Senes, qui secum exierant de Ægypto, & audiverant promulgationem ejusdem Legis in Sina; cumque præsens populus ex filiis, ac nepotibus Senum defunctorum conflatus primam promulgationem non audivisset, voluit illam ei repetere, & repetendo in eorum cordibus profundiùs imprimere; tantò magis, quia sciebat Moyses sese brevi moriturum; & ultima Parentum, Principum, ac Doctorum verba tenacius filiorum, ac subditorum mentibus inhærent. Moyses itaque repetiit, & publicavit iterum præcepta Legis, eaque conscripsit in hoc
7 Deuteronomii libro, atque servanda tradidit populo, & Sacerdotibus Anno 120. & ultimo vitæ suæ; qui à creatione mundi erat Annus 2493. post diluvium Annus 836. & ante nativitatem Christi Annus 1456. ut notat Cornelius à Lapide *ubi supra;* cumque Hebræi reperirent *in cap.* 24. hujus libri permissum sibi dare Uxoribus suis libellum repudii, prout in verbis textus supra relatis, utebantur hac facultate; & passim Uxores dimittebant, ac per ejusdem libelli dationem repudiabant.

Hæc autem erat formula, & tenor libelli re-
8 pudii: *Ego Rabbi Simeon filius Rabbi Abraham, filii Rabbi David, filii Rabbi Salomonis, die prima Mensis secundi Anno 5296. à creatione mundi, hic & in hac civitate N. ex animi mei consensu, & sine ulla coactione, repudiavi Rachel filiam Rabbi Moysis filii Rabbi Josephi, filii Rabbi Jacob; & dedi illi libellum Repudii in manu, Schedam abscissionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocunque velit, & nemo possit illi prohibere, juxta Constitutiones Moysis, & Israel.* Hanc formulam ponunt; & referunt Vatablus, Oleaster, & Cornelius à Lapide in *d. cap.* 24.
9 *Deuter.* Maldonatus *in cap.* 19. *Matth.* nec non Pignatellus *Consult. Canonicar. tom.* 8. *consult.* 93. *num.* 21. Julius Maurocenus Neophitus in suo erudito Opere *Via della Fede monstrata à gl' Hebret part.* 2. *cap.* 63. *pag.* 1032. typis impresso Romæ Anno 1683. atque Emanuel Gonzalez *in Commentar. super Decretal. tom.* 4. *ad capit.* 1. *De Divort. num.* 6. *libr.* 4. *tit.* 19. in impressione Veneta *de Anno* 1699. *pag.* 191.

Porrò omittendæ non sunt cæremoniæ, ac
10 ritus, quibus Hebræi utebantur in dimittenda uxore cum supradicto libello repudii; decem enim erant, quas oportebat servare, cæremoniæ; in quibus explendis non parvum consummabatur tempus, & à Rabbinis institutæ fuerunt; ne repudia Uxorum fierent præcipiti animo, & in calore iræ; sed consultò, ac corde tranquillo ob ejusdem non brevis temporis interpositionem, ut ex S. Augustino *libr.* 19. *contra Faustum cap.* 26. ostendit Gonetus *de Matrim. disp.* 5. *num.* 20. *Prima* erat, ut voluntas, ac deliberatio Mariti de Repudianda Uxore manifestaretur Scribis, ac Rabbinis Jus inter Hebræos dicentibus à quibus prædicta formula repudii conscriberetur, & interim Uxor maneret in domo Mariti. *Secunda* erat, ut in exponenda per Maritum voluntate sua de dimittenda Uxore, coram Scribis, & Rabbinis, saltem duo testes adhiberentur, & rogarentur. *Tertia*, ut in libello repudii exprimerentur tres generationes tum viri, tum mulieris. *Quarta*, ut sciberetur ipse libellus litteris rotundis, distinctis, atque perspicuis; itaut una aliam non attingeret, ne de aliquo vitio scriptura redargui posset. *Quinta*, quòd si inter scribendum aliqua atramenti guttula in chartam decideret, libellus nihil valeret; sed alius de novo esset conscribendus. *Sexta*, ut in libello nullum rasuræ vestigium appareret, ne posset esse suspectus de aliquo vitio. *Septima*, ut charta ejusdem libelli esset longior, quàm latior. *Octava*, ut omnes testes, qui rogati interveniebant ad illum actum repudii, suum proprium sigillum in eodem apponerent. *Nona*, ut libellum repudii, ut supra conscriptum in manus Uxoris suæ Maritus ipse poneret, ac consignaret præsentibus iisdem testibus, Scribis, ac Rabbinis. Et *Decima*, quòd in actu ejusdem consignationis Maritus diceret Uxori: *Accipe libellum Repudii, & esto à me abjecta, & cuicunque Viro permissa.* His omnibus peractis censebatur factum repudium, ac Uxor discedebat de domo, & à potestate Mariti, qui nullam amplius in eamdem Uxorem habebat superioritatem seu actionem; ut diffusè narrat supradictus Julius Maurocenus, qui fuerat inter Hebræos doctissimus Rabbinus ante ejus conversionem ad fidem *dict. part.* 2. *capit.* 63. & ex Canonistis Emanuel Gonzalez *ad d. capit.* 1. *num.* 6. *de Divortiis.* Jacobus Pignatellus *d. tom.* 8. *consult.* 93. *num.* 20. & Abbas Pascuccius ejus Summator *in Compend. Consult. part.* 1. *tit. de Judæis pag.* 584.

Quo ad Secundum, in quo Quæritur, Utrum præfatum Repudium, ac dimissio Uxorum, quod faciebant Judæi, esset quoad thorum, & cohabitationem tantùm? vel etiam quoad vinculum Matrimonii? Respondent concorditer Theologi, Canonistæ, ac Scripturistæ infra allegandi, quòd dissolvebat Matrimonium non solùm quo ad co-11 habitationem, ac thorum, sed etiam quo ad vinculum; & hoc probant ex sequentibus rationibus. *Primò*, quia Lex Deuteronomii *in d. cap.* 24. 2. concedebat Uxori repudiatæ, ut posset alteri viro nubere, ibi: *Cumque egressa alterum* 12 *Maritum duxerit &c.* Sed duos Maritos ipsa habuisset eodem tempore, si primum Matrimonium cum primo Marito non fuisset solutum quoad vinculum; id, quod nunquam mulieribus fuit concessum. Ergò solutio fiebat Vinculi Matrimonialis. *Secundò*, quia si prædicta solutio vinculi facta non fuisset per libellum repudii,

pudii, secundum Matrimonium mulieres repu-
13 diatæ fuissent adulterium. Sed Lex Mosayca nec tolerabat, nec admittebat adulteria; imò ea pœna mortis puniebat. *Levit.* 20. 10. Ergo. *Tertiò*, quia si Matrimonium non fuisset solutum etiam quo ad vinculum per libellum repudii, mulieres fuissent deterioris conditionis, quàm Viri; hi enim poterant ducere plures Uxores eodem tempore, ut *Deuter.* 21. 15. Fœminæ autem repudiatæ nulli alteri potuissent nubere, & sic coactæ fuissent continere, & absque marito, tota earum vita durante stare; quod nimis durum, & pœnosum foret; cùm in veteri testamento inusitatum esset, perpetuam servare continentiam, & sine spe conjugii mulieres vivere. *Quartò*, quia secundus maritus, cui nubebat Uxor è primo repudiata, poterat & ipse dare repudii libellum huic mulieri. *Deuter.* 25. 4. Ergo facta erat vera Uxor secundi mariti, soluto in totum primo Matrimonio; siquidem libellus
14 repudii non dabatur nisi veræ Uxori. *Quintò*, quia Lex prohibebat, ne repudiata post mortem secundi mariti revertetur ad primum maritum. *Deuter.* 24. 4. Ergo cum primo marito fuerat solutum vinculum Matrimonii, aliàs si solutum non fuisset, non erat prohibendus regressus, sed potius optandus. *Sextò*, quia in tota Scriptura Sacra non habetur, quòd à Prophetis, vel sanctis viris fuerint reprehensa secunda Matrimonia mulierum repudiatarum à maritis: Sed hoc fecissent, si prima Matrimonia non fuissent quo ad vincula soluta; nam secunda fuissent manifesta adulteria. Ergo per libellum repudii solvebatur vinculum Matrimonii. *Septimò*, Lex
15 vetabat Sacerdotibus, ne ducerent Viduas, aut repudiatas, aut meretrices, sed tantùm Virgines. *Levit.* 21. 13. Ergo repudiatæ tanquam ab omni vinculo Matrimonii solutæ, ac tanquam viduæ poterant cuicunque alteri nubere, exceptis Sacerdotibus. *Octavò*, quia Deus per os Malachiæ commendat hanc dimissionem Uxorum per libellum repudii, odio interveniente; ait enim *Malach.* 2. 16. *Uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.* Ergò hæc dimissio erat quo ad vinculum Matrimoniale. *Nonò*, quia libellus repudii vocatur hebraica lingua *Keritut*, ut observat Cornelius à Lapide in Deuter. *d. cap.* 24. *Vers.* 1. quæ vox *Keritut* significat libellum *excissionis*, seu *abscissionis*, ob hanc scilicet causam, quia vinculum Matrimonii per ipsum scindebatur, abscindebatur, & solvebatur. *Decimò*, quia Christus Dominus loquens cum Pharisæis de hoc libello repudii dixit *Matth.* 19. 9. *Ad duritiam cordis vestri Moyses permisit vobis dimittere Uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Sed ab initio Matrimonium institutum fuit à Deo insolubile quo ad vinculum, ut probatum est supra *Decis. VII. num.* 23. Ergo cùm aliter sit permissum in lege Mosayca per libellum repudii, quàm fuerit ab initio, sequitur dicendum, per ipsum libelli repudium factum esse solubile vinculum Matrimonii. Ita tenent ex Theologis Scholasticis S. Thomas *in* 1. 2. *q.* 102. *art.* 5. & *in Supplement.* 3. *p. q.* 67. *art.* 3. Scotus *in* 4. *Sent. dist.* 33. *q.* 3. Mastrius *eod. libr.* 4. *sent. disp.* 7. *num.* 179. Eminen. Cardin. de Lauræa *disp.* 16. *art.* 5. *per totum.* Gonetus *de Matrim. d. disp.* 5. *num.* 30. Becanus *eod. tract. cap.* 47. *q.* 2. *n.* 3. Ex Theologis autem Moralibus Sanchez *libr.* 10. *de Matrim. disp.* 1. *num.* 7. ubi plurimos alios se antiquiores cumulat. Basilius Pontius *libr.* 7. *de Matrim. cap.* 50. Collegium Salmanticense *tract.* 9. *pariter de Matrim. cap.* 3. *num.* 30. ubi alios Theologos juniores ita sentientes allegat. Ex Juristis, & Canonistis Jo: Andreas, Cardinalis, Buttius, Ancharanus, Abbas, Præpositus, & alii in *cap. De infidelibus. De Consanguin. & affinit.* quos citat, & sequitur Jacobus Pignatellus *d. tom.* 8. *consult.* 93. *num.* 4. & *ibidem* Baldus *cons.* 428. *per totum libr.* 5. Tiraquellus *de Primogen. q.* 66. *n.* 25. & Natta *cons.* 621. *num.* 8. Ex Scripturistis verò Maldonatus *in cap.* 19. *Matth.* ac Abulensis *ibid. num.* 49. & 50. Cornelius à Lapide, atque Tirinus *in Comment. ad idem cap.* 24. *Deuteron. Vers.* 1. & 2. nec non Barradius *in Concord. Evangelist. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 19. atque *tom.* 3 *libr.* 5. *cap.* 2.

Huic tamen communi Doctorum opinioni duo obstare videntur. Unum est, quòd mulier repudiata si nupserat alteri viro, vocabatur *in Deuter.* 24. 4. *polluta, & abominabilis coram Domino.* Cur ita? Scilicet quia ejus secundum 16
conjugium erat illicitum, & adulterinum. Ergo primum per libellum repudii non fuerat solutum quo ad vinculum, sed solummodo quo ad thorum, & cohabitionem. Alterum est, quòd talis libellus repudii permissus fuit Judæis à Moyse ob eorum cordium duritiam. *Matth.* 19. 9. ideò est ad majus malum evitandum, quod evenire solebat ex odio inter maritos & uxores, ideò est Uxoricidia. Ergo ipsa dimis- 17
sio, ac repudiatio Uxorum erat malum, quamvis minus malum; eò quia vinculum Matrimonii per illam non solvebatur. Hinc Divus Hieronymus *in d. Matth. cap.* 19. scriptum reliquit: *Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, cùm aliud jusserit, & sententiam suam novo frangat imperio? Non ita sentiendum est; sed Moyses cùm videret propter disiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quàm odia, & homicidia perseverare.* Ideò Vinculum Matrimonii remansisse insolutum apud Judæos, etsi dato libello repudii, censuit Magister Sententiarum *in* 4. *dist.* 33. cujus *ibi* hæc sunt verba: *Propter duritiam cordis eorum permissum Chri-* 18
stus dicit, non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium. Permisit fieri mala, ne fierent pejora; & hoc permittendo non Dei justitiam demonstravit, sed in peccatore minuit culpam. Quam Magistri doctrinam amplexi sunt S. Bonaventura *in* 4. *d dist.* 33. *part.* 3. *q.* 3 & *ibid.* S. Thomas, atque Glossa *in Matth.* 19. sic dicens: *Permisit Moyses, non Deus; fuit consilium hominis, non Dei imperium.*

His tamen non obstantibus contraria opinio est communior, à qua non est recedendum, & ad Primum argumentum contrarium respondetur, quòd mulier repudiata vocabatur polluta, 19
& abominabilis coram Domino non ex eo, quòd alteri viro nupsisset, sed quia à priori viro per repudium fuerat quodammodò infamara, ut ait Jacobus Pignatellus *d. tom.* 8. *consult.* 93. *num.* 12. vel quia polluta censebatur coram Deo per carnalem copulam, ac semen secundi mariti, ut respondet Cornelius à Lapide *in Deuter. d. cap.* 24. *Vers.* 4. cujus hæc sunt verba:

Repudiatam vocat pollutam, non quòd peccatum admisisset, ineundo secundas nuptias, nam alioqui deberet vetari, ne ulteriùs alicui tertio nuberet: sed quòd ab alio, puta secundo marito, cognita esset, ejusque semine polluta. Ideòque ad priorem redire ei non liceret, quia respectu ejus abominabilis erat: vel ut habet textus Hebraicus, Quia abominatio hoc est coram Domino, *quia scilicet reditus ad maritum, qui eam repudiavit, abominabilis est, & omninò vetitus à Deo: tum quia speciem præsefert adulterini concubitus hic orbicularis nuptiarum regressus, videturque fucatum, & palliatum tantùm fuisse divortium: tum quia alioquin facilior datus fuisset aditus ad divortia, & repudia, si post secundas nuptias licitum fuisset redire ad primas. Jam verò maritus ægriùs repudiabat Uxorem, sciens se eam numquam recipere posse. Ita Cajetanus, & Oleaster.* Hucusque Cornelius à Lapide.

Ad Secundum respondetur: Verum esse, quòd Deus permiserit Judæis repudium propter duritiam cordis eorum, ne scilicet suas uxores, si eas repudiare non potuissent, occiderent: sed indè non sequitur, non dispensasse circa indissolubilitatem vinculi Matrimonialis, quod in casu repudii concessit esse solubile ob illas decem causas supra relatas, quarum vi, & efficacia Theologi, ac Canonistæ non sequuntur opinionem Magistri Sententiarum, ut ait Pignatellus *d. tom. 8. consult. 93. num. 13.* Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 3. num. 32.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. num. 85.* ubi subdit, Glossæ verba posse salvari dicendo, quòd Deus non præceperit id Moysi inter alia præceperit in Libris prioribus Exodi, Levitici, & Numerorum conscripta; sed hoc fuisse à Deo revelatum sivè internè sive externè eidem Moysi ejus præconi, ut registraret in hoc libro Deuteronomii prout fecit ultimis diebus vitæ suæ. Quapropter cùm Liber iste sit Scriptura Sacra, & contra eam impium esset, ac ominò nefas opponere de mendacio, ut legitur *in cap. Si ad Scripturas. dist. 9.* sequitur, esse necessariò asserendum, quòd toto tempore, quo duravit Lex Mosayca dissolvebatur Vinculum Matrimonii inter Judæos per libellum repudii vigore textus *in Deuteron. dict. cap. 24. in princ.*

Quo ad Tertium, in quo inquiritur, An tale repudium Uxorum inter Judæos cum solu-
20 tione vinculi Matrimonialis esset sola permissio excusans à pœna tantùm; non autem à culpa? Vel esset vera dispensatio Legis Divinæ excusans tam à pœna, quàm à culpa? Respondetur, quòd licèt non defuerint DD. Catholici, qui opinati sint, prædictam uxorum dimissionem per libellum repudii fuisse simplicem permissionem, seu tolerantiam, quæ excusaret quidem Hebræos à punitione, prout tunc iidem excusabantur ab exactione Usurarum cum alienigenis, & nunc apud nos tolerantur meretrices; illos tamen non excusabat à culpa; adeò ut quandocunque Judæi dimittebant Uxores, mortaliter peccabant; ut scripserunt Theologi, ac Cononistæ, quos longa manu allegat Sanchez *de Matrim. d. lib. 10. disp. 1. num. 5.* Nihilominòs probabilior est sententia eorum, qui docent, repudia Uxorum, quæ fiebant ab Hebræis, durante lege Mosayca fuisse licita, & immunia à peccato, quia Deus pro tunc dispensaverat legem indissolubilitatis Vinculi Matrimonialis, quod probant: *Primò*, quia nullus Legislator, quando simpliciter tolerat aliquid fieri contra 21
legem propriam, vel superioris, scribit suam tolerantiam per viam Edicti, vel legis positivæ in codice legum. Sed Moyses jussu Dei vel inspirantis, vel alloquentis scripsit in Deuteronomio permissionem libelli repudii. Ergo non fuit simplex tolerantia; at vera dispensatio, quæ faciebat licitum ipsum repudium. *Secundò*, tantò minùs, quia tolerantia transgressionis legis, esto quòd redigatur in scriptis, numquam scribitur verbo præceptivo; nam tali modo transgressio daretur in præceptum. Sed dare libellum repudii habetur per modum præcepti in *Deuteron. cap. 24. in princ.* ibi; *Scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet* 22
eam de domo sua. prout etiam in *Malach. 2. 16. Cùm odio habueris* (Uxorem) *dimittè, dicit Dominus Deus Israel.* Ergò illa dimissio, non erat simplex tolerantia, seu conniventia; sed vera concessio, facultas, ac dispensatio. *Tertiò*, si illa permissio fuisset sola dissimulatio, seu tolerantia, Moyses decepisset populum, & dedisset ansam offendendi Deum per frequentiam repudiorum. Ad hoc nefas est afferere de Sanctissimo Propheta Moyse. Ergo. *Quartò*, si permissio repudii in lege exarata non dicatur vera con-
cessio, ac dispensatio, ruit totius Scripturæ Sa- 23
cræ veritas, ac auctoritas, quia de quacunque re allegabitur textus Sacer, dici potest, contrarium esse credendum. At hoc est absurdum intolerabile. Ergo permissio repudii manifestata in libro Deuteronomii non fuit dissimulatio, vel conniventia; sed vera, & propria concessio, excusans ne dum à pœna, sed à culpa. *Quintò*, totus Pentateuchus licet dicatur Lex Moysis, quia exaratus à Moyse, tamen est Lex Divina, data à Deo loquente per Moysem præconem suum. Ergo permissio libelli repu-
dii est dispensatio Vinculi Matrimonialis con- 24
cessa à Deo, & per Moysem in libro Deuteronomii registrata. *Sextò*, si prædicta Uxorum repudiatio non fuisset licita, sed peccaminosa, Judæi sæpius fuissent de ea reprehensi à Prophetis, quibus mandabatur à Deo, ut legitur in *Isaia cap. 58. Vers. 1. Annuncia populo meo scelera eorum.* At nullus unquam redarguit Hebræos de hac repudiatione. Ergo erat licita, & absque peccato. *Septimò*, si dispensatum non esset super insolubilitate vinculi Matrimonialis, conjugia, quæ contrahebant Uxores repudiatæ, fuissent adulteria. Sed hæc in Lege Mosayca puniebantur pœna mortis, ut dictum est supra *Levit. 20. 10.* & tamen nullibi legitur sta- 25
tuta pœna contra prædicta conjugia Uxorum repudiatarum; imò eadem rata habebantur in *Deuter. d. cap. 24. 4.* Ergo erant licita, & absque peccato, attenta Dei dispensatione. *Octavò*, quia S. Jo: Chrysostomus *Homil. 32. in Matth.* dicit: *A peccato abstulit culpam Legislator, quando permisit repudium. Nonò*, quia ex S. Augustino *lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 10.* Verba Sacræ Scripturæ in sensu proprio, & nativo, quoad fieri potest, sunt intelligenda. Sed in Deuteronomio *cap. 24.* & 26 in Malachia *cap. 1.* verba sunt, ut Uxor odiosa, vel fœda dimittatur. Ergo dimissio debet esse li-

cita,

cita, & absque culpa. *Decimò*, eatenùs potuisset censeri peccaminosa prædicta dimissio, quatenùs per illam remansisset insolutum vinculum prioris conjugii. Sed illud solvebatur per libellum repudii, ut probatum est supra *à num.* 11. *& seqq.* Ergo repudium erat non solùm permissum ad effugiendam pœnam, sed etiam concessum per dispensationem Divinam ad evitandam culpam; prout concorditer tenent omnes Theologi Scotistæ, ac Thomistæ cumulati per Sanchezium *de Matrim. d. libr.* 10. *disp.* 1. *num.* 7. Gonetus *d. disp.* 5. *ejusdem tract. num.* 28. Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 30. 31. Barradius *in Evangel. tom.* 3. *libr.* 5. *cap.* 2. Mastrius *in* 4. *Sent. d. disp.* 7. *num.* 179. Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 16. *de Matrim. art.* 6. *per totum.* Et ante illum Emin. Card. Bellarminus *libr.* 1. *de Matrim. cap.* 17. & alii, quos allegat, & sequitur Emanuel Gonzalez *in cit. cap.* 1. *de Divort. num.* 6. *tom.* 4. cum quibus concordat Barbosa *in collect. DD. ad cap. Cùm in lege.* 23. *q.* 4. *num.* 2.

Quo ad Qartum. Si quærimus, quibus de causis dari poterat libellus repudii Uxoribus Hebræorum? dicendum, hanc semper fuisse quæ-
27 stionem dispurabilem, & indecisam tum apud Scribas, ac Pharisæos, aliosque Legis Doctores tempore Legis Mosaycæ, quàm ea extincta apud Theologos, ac Jurisperitos nostros. Hinc scriptum est ab Evangelista Matthæo *cap.* 19. *Vers.* 13. quòd *accesserunt ad Jesum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?* Quò loci subdit Cornelius à Lapide: *Videtur hæc quæstio de dimissione Uxoris tempore Christi, uti & jam, valdè fuisse controversa, ac cornuta, & captiosa; ideòque eam Christo proposuerunt Pharisæi, ut eum tentarent, caperent, & carperent. Si enim Christus diceret, non licere uxorem dimittere; in multorum divitum, & carnalium, qui contrarium faciebant, invidiam incurrebat. Si verò diceret id licere, suggillassent doctrinam ejus, velut imperfectam, & carnalem; ejus inquam, qui perfectionis, & spiritus volebat esse Magister, quasi Doctor è Cælo missus.*

Præcitatus Julius Maurocenus Neophytus, & antea Rabbinus in d. suo opere *Via della Fede &c. part.* 2. *cap.* 63. *pag.* 1013. refert verba hebraica Libri Talmud, quæ in vulgari hæc sunt:
28 *La Casa di Sciammai, dice, non discacci l' huomo la sua moglie col ripudio, se non quando haverà trovato in essa cosa brutta, ò di bruttezza; perche è scritto: Quando troverà in essa bruttezza di cosa. E quelli della Casa di Hillel dicono: Ancora quella, che da fuoco, & abbruccia il cibo cotto, essenao scritto: Quando troverà in essa bruttezza di cosa. Rabbi Akiba dice: Anche quando troverà un' altra avvenente, & bella, e destra, essendo scritto: E sarà, se non haverà essa trovata gratia ne gl' occhi di lui.* Ex quibus verbis Libri Talmudici deducit ipse Maurocenus, quòd inter Rabbinos sui temporis, prout olim inter Pharisæos, tres erant opiniones circa causas repudii. *Una*, quòd esset licitum tantummodò, si Uxor reperta fuisset inhonesta, quia verbum *Deuteronomii* 24. 1. *Propter aliquam fœditatem*, refertur ad actus inhonestos. *Altera*, quæ extendebat verbum fœditatis ad quoscunque actus incongruos, & servitia domestica per Uxorem malè, ac imprudenter acta. *Tertia*, quæ aditum liberum dabat Maritis repudiandi Uxorem ob quamcunque causam sibi placentem, velut si pulchriorem, vel ditiorem mulierem vellet in novam Uxorem ducere; undè concludit *d. cap.* 63. *pag.* 1034. *Era appresso loro una Quæstione indecisa; onde à capriccio la maggior parte dell' Hebraismo prendeva libertà secondo la sentenza più larga di dare il repudio.*

Cæterùm, Rabbinorum propositionibus relictis, agentes de causis Repudii apud Judæos juxta nostrorum Interpretum, ac Theologorum sententiam duæ sunt opiniones circa causas 29
prædictas. Una est Tertulliani *libr.* 4. *adverf. Marcion. cap.* 3. Pauli Burgensis *in Deut.* 24. *addit.* 1. & Riberæ *in Malac.* 2. qui opinantur, unicam tantùm fuisse causam, scilicet adulterium, vel suspicionem adulterii ob aliquem actum Uxoris impudicum, seu venereum, ea ratione, quia ubi nostra versio vulgaris in *d. cap.* 24. *Deuter.* habet *propter aliquam fœditatem*, hebraicus textus ait, quoniam invenit in ea *Guerva Dabar*, quæ verba significant fœditatem provenientem à re venerea, ut notat Barradius *tom.* 2. *in Evang. lib.* 7. *cap.* 19. *col.* 6. dicens eadem verba haberi in *Genes.* 9. ubi Cham vidit virilia Patris sui nudata; & *Levit.* 18. ubi præcipitur, ne quis discooperiat turpitudinem patris sui, vel matris suæ; idest partes pudendas, quarum aspectus modestiam, honestatemque offendit. Hinc subdunt, Christum Dominum respondisse Pharisæis eum interrogantibus de causis repudii. *Matth.* 19. 9. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ex quibus verbis inferunt Burgensis *addit.* 2. *in Deut.* 24. & Ribera *in Malach.* 2. *num.* 36. Christum innuere voluisse, quòd in lege veteri non erat licitum dare libellum repudii, nisi ob fornicationem; quæ in conjugatis dicitur adulterium. Non videtur autem probabilis hæc opinio, quia si adulterium Uxoris erat manifestum, plectebatur pœna mortis *ex Deuter. cap.* 22. *Vers.* 22. ibi: 30
Si dormierit Vir cum uxore alterius, uterque morietur, ideſt adulter, & adultera. Sola verò adulterii suspicio purgabatur haustu populi zelotypiæ juxta Dei ordinationem exaratam in *lib Numeror* 31
cap. 5. *à num.* 12. *& seqq.* ubi *num.* 27. dicitur, *cùm biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea; pertranſibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur; eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia.*

Altera igitur opinio Theologorum, ac Sacræ Scripturæ Interpretum communior, & magis probabilis est, quòd plures erant causæ, ob quas Hebræi dimittebant Uxores per libellum 32
repudii; nam fœditatis nomine, quam ponit Moyses *in Deut.* 24. 1. generaliter intelligebatur omnis turpitudo sivè physica, sivè moralis, quæ à marito reperiebatur in Uxore. Physica turpitudo comprehendebat, quidquid devenustabat uxorem, & illam turpem reddebat, quoad corpus, videlicet lepra, epilepsia, frequens mania, sterilitas, vel frequens alius muliebris morbus, præcipuè fluxus sanguinis, ac oris, & narium fœtor; sæpè enim accidit, ut mulieres stomachum moveant, vel ex 33

fœtore,

fœtore, quem ex ore loquentes exhalant; vel respirantes transmittunt ex naribus, in quibus facta sint ulcera cacoethica, seu carunculæ, aut apostemata, sivè hemorroides, ac (ut ajunt Medici) polypus, idest tumor intra nasum ali-
34 quando simplex, aliquando canceroſus, materiam ita fœtidam deponens, ut à propinquis absque stomacho tolerari non possit, ut differit Zacchias *in QQ. Medicolegal. tom. 1. libr. 8. tit. 1. quæst. 8. num. 7. & 8.* Moralis verò turpitudo amplectebatur malos mores, aut vitia, quibus Uxor erat inclinata; nempè ino-
35 bedientia, pertinacia, dicacitas, ebriositas, jurgia perpetua, furta domesticarum rerum, ac suspicio veneficii, vel alterius gravioris criminis, & quidquid de Jure reddebat Uxorem valdè exosam marito. His omnibus de causis licitum erat Judæis dare libellum repudii Uxoribus suis, & illas dimittere, ut scribunt *in Deuteronom. cap.* 24. Oleaster, Lyranus, Tirinus, Cornelius à Lapide, & alii; nec non Barradius *d. tom. 2. in Evangel. lib. 7. cap. 19. col. 5. & 6.* & ex Theologis S. Thomas *in 3. p. q. 67. art. 6.* Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 4. n. 25.* Gonetus *eod. tract. disp. 5. num. 21.* Ex Canonistis autem easdem causas approbant, & admittunt Emanuel Gonzalez *in d. cap. 1. de Divort. num. 6. tom. 4.* atque Jacobus Pignatellus *d. tom. 8. consult. 93. num. 18. & 19.*

Quo ad Quintum, in quo inquiritur, Utrùm Jus dandi libellum repudii competeret tam Maritis ad dimittendas Uxores, quàm Uxoribus ad
36 repudiandos Maritos? Prima facie videbatur dicendum, tam Maritis, quàm Uxoribus hoc Jus commune fuisse; siquidem inter contrahentes æqualitas est servanda *l. In omnibus. 90. ff. de Reg. Jur.* Bart. *in l. Quintus in fin. & in l. Fidejussor. ff. Quædam. ff. Mandati.* Decius *in l. Si tibi pecuniam ff. Si cert. petatur.* Sed Matrimonium erat contractus. Ergo sicut in illo Jus dabatur Maritis repudiandi Uxores, ita & Uxoribus jus dare oportebat dimittendi maritos. Hinc scriptum legimus in *libro Judicum cap. 19. vers. 1.*
37 quòd *Fuit quidam Vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda; quæ reliquit eum, & reversa est in domum Patris sui in Bethlehem;* quo facto censetur repudiasse maritum, ac illum dimisisse. Hoc idem fecisse Salomen sororem Herodis narrat Josephus Flavius Hebræus *libr. 15. cap. 11.* & ex eo Salianus *ad Annum Mundi* 4028. *num.* 8. scilicet ab eadem Salome repudiatum fuisse Costobarum maritum suum; eumque per dationem libelli repudii à se dimissum esse, ita scribens: *Orto ergo inter Salomen, & Costobarum dissidio, Salo-*
38 *me libellum repudii marito mittit.* Quod muliebre repudium refertur etiam à Cornelio à Lapide *d. cap. 1. vers. 1. Deuteronom.* & à Jacobo Pignatello *d. consult. 93. num. 15. tom. 8.* His accedit quod scribit Spondanus ad *Annum Christi* 362. *num.* 61. Julianum scilicet Imperatorem legem publicasse, qua statuebat liberum esse Uxoribus dimittere maritos, subdens; *qua una lege insanus homo universos homines sub Romano Imperio constitutos, mulierum levitati Subjecit.* Sed his non obstantibus veritas est in contrarium, nam, ut ex Scoto *in 4. dist. 33. q. 3. in cal-*
39 ce observat Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. num. 58.* concessio repudii in lege Moysis non erat mutua, sed viro tantùm competebat, non è contra. Motivum autem, cur non etiam Uxori fuerit concessa potestas repudiandi; illud erat, quia repudium fuit concessum ad vitandum Uxoricidium; si enim quoties uxor fiebat ingrata, & molesta Marito, hic non potuisset se ab ea liberare per repudium, tentasset se liberare per occisionem ejus, & sic frequenter Uxoricidia à Judæis, cor perfidum nutrientibus, patrata fuissent. Hoc autem malum non urgebat ex parte Uxorum, quæ tanquam fœminæ imbelles non poterant facilè committere viricidia. Nec urgent rationes, seu exempla adducta in contrarium. Non Primum
40 de æqualitate servanda in contractibus, quia mulieres hebrææ sciebant se contrahere cum hac inæqualitate, & cum hoc onere, ut ipse possent dimitti à Maritis, dimittere autem illos non valerent; & nihilominùs consentiebant in hoc onus, & in hanc inæqualitatem cum illa nubentes; proterea contra eas stabat regula, *Scienti, & volenti non fit injuria. cap. Scienti 27. de Regul. Jur. in 6.* Exemplum simile allegari potest de Religiosis Societatis Jesu, qui post probationem biennii emittunt vota Religionis, à qua deindè ipsi non possunt ampliùs discedere; at ipsa Re-
41 ligio eos potest dimittere; quod videtur sapere injustitiam, est enim quidam contractus inter eos, & Religionem, & ad justitiam contractus desideratur contrahentium æqualitas, quæ deficit in his votis, cùm obligatio promittentis sit ominò perpetua; non autem obligatio Societatis ea vota acceptantis. Respondet autem Sanchez *libr. 6. in Decalog. cap. 9. num. 64.* quòd in his votis nulla injustitia est, *quia* (inquit) *Scienti, & volenti injuria irrogari nequit. reg. Scienti. de Reg. Jur. in 6. At emittentes prædicta vota norunt eam conditionem; nam ipsis traditur antea legendum totum Societatis institutum, & biennio probationis considerandum; & specialiter hic punctus eis proponitur, quare cùm liberè eam scientes conditionem admittant, nulla est injuria, eò vel maximè quòd quilibet suæ privatæ utilitati valeat renunciare. cap. Ad Apostolicam de Regularib.* Ita Sanchez *d. num. 64.* ubi prosequitur allegando alia exempla inæqualitatis in contractibus, qui tamen in jure sustinentur, ob expressum consensum partium, quæ cum eadem inæqualitate spontè contrahunt.

Non obstat exemplum uxoris illius Levitæ, quæ maritum dimisit, & abiit in Bethlehem ad domum patris sui. *Judic. 19. 1.* quia discessit ab eo ob jurgia, & simultates reciprocas, non ob libellum repudii, quod Uxor miserit marito; & sic separatio fuit quo ad thorum, & cohabitationem temporalem tantùm, ut conspicitur ex lectura totius textus, in quo dicitur, ipsum Levitam maritum paulò post accessisse ad domum Soceri sui, à quo, & ab ejus filia, Uxore sua, fuit benignè exceptus. Non obstat exemplum Salomes sororis Herodis, quæ repudiavit Costobarum Maritum suum: quoniam, ut ait Jose-
42 phus *d. lib. 15. cap. 11.* ita egit contra morem Patriæ, & contra Legem Hebræorum de facto, & de potentia tanquam soror Regis, non ex ipsius legis permissione. Costobarus erat Idumæus, ut notat Salianus *d. Ann. 4028. num. 8.* inferior genere ipsa Salome;

Salome; cujus conjugium infelicissimum ei exstitit; nam, præter divortium sibi ab Uxore da-
43 tum, mortem quoque ab Herode cognato suo recepit, sic instigante, ac accusante eadem Uxore; verissimum est enim, quod scribit Tiraquellus *Connub. leg. 5. n. 35.* affinitatem scili-
44 cet potentiorum nocivam; & Uxores genere, aut divitiis elatas Maritos se inferiores opprimere; quare attendendum in conjugiis contrahendis quod cecinit Ovidius:

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam præclara humili Fœmina nupta Viro.
Non honor est, sed onus: species læsura ferentes,
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Quo ad legem Juliani satis est respondendo
45 dicere, eum fuisse impium Apostatam, hostem Religionis, & Dei.

Quo ad ultimum; in quo petitur, An hodie hoc Jus repudiandi Uxores vigeat inter Judæos; & ab eis licitè possit practicari? Lessius *in 3. part. D. Thomæ De Sacramento Matrim.*
46 *cap. 5. n. 92. dub. 3.* negativè respondet ad hoc quæsitum his verbis: *Respondeo, neque apud Judæos, neque apud Gentiles nunc permissum esse repudium; & si fiat, non solvi vinculum Matrimonii. Ratio est, quia hæc dispensatio, sicut & Polygamiæ, per Legem Evangelicam est sublata, quando Dominus, Matth. 19. Matrimonia revocavit ad primævam institutionem, juxta quam unus uni inseparabiliter adhærere debet. Hinc Judæus, vel Gentilis habens plures Uxores, si ad fidem conversus fuerit, compellitur, cæteris dimissis, dumtaxat primam retinere: etsi fortè illam repudiasset, modò ipsa simul converti velit, ut definit Innoc. III. in cap. Gaudemus. de Divort.* Idem docent, ac tenent Cornelius à Lapide *in d. c. 24. Deuter. Vers. 1. in fin.* Sanchez *de Matrim. lib. 10. disp. 1. n. 9. & 10.* ubi probat, Judæos, ac Gentiles nunc peccare mortaliter, si per Libellum repudii dimittant uxores; & hoc idem confirmat Basilius Pontius *eod. tract. lib. 7. cap. 50. n. 3.* Jacobus Pignatellus *d. tom. 8. consult. 93. n. 23.* Eman. Gonzalez *in d. c. 1. de Divortiis num. 12.* & ibi Transmiera *De Polygamia quæst. 7.* per totam. Concordant doctissimi Salmanticenses *eod. pariter tract. de Matrim. c. 4. n. 26.* quarum verba ne tædeat Studiosum Lectorem audire, sicut me non piget ea tran-
47 scribere, quæ sunt hujusmodi: *Sed talis licentia à Deo concessa Judæis revocata est à Christo Domino vel in morte ejus, in qua finita est Lex Mosis, vel in die Pentecostes, in qua promulgata est Lex gratiæ; vel, quod certius est, Matth. 19. ubi dicitur mœchari, qui uxorem dimiserit, & aliam duxerit, & etiam qui dimissam duxerit; quod pro Lege Evangelica sancitum esse docet D. Thom. 3. part. quæst. 67. art. 4. ad 4. Et ex tunc esse prohibitum Libellum repudii docet jus Canonicum in cap. Gaudemus. 8. de Divort. & latè N. Dominicus tom. 5. c. 23. Undè quia locis citatis reduxit Christus Dominus ad suum propri-*
48 *um statum, & vigorem Matrimonium, non statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem, quæ circa indissolubilitatem Matrimonii fuerat à Deo concessa, relinquendo id in sua indissolubilitate naturali; jam illicitus est libellus repudii etiam infidelibus, qui proindè peccant, si Uxores quacunque de causa repudient. Et ideò quando ad fidem convertuntur, cum priori nubere jubentur, nisi fortè Matrimonium fuisset nullum, sicut plura sunt Matrimonia infidelium, quæ absque legitima forma contrahuntur, maximè si cum hac, vel illa fœmina solùm ad tempus tacitè, vel expressè nupserunt; quod judicandum est, quando inter illos consuetudo dimittendi uxores vigebat; quia cum apponerent conditionem contrariam substantiæ Matrimonii, erat nullum, ut habetur ex cap. fin. De conditionib. appositis.*

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Contra supra firmatam insolubilitatem Matrimonii objiciuntur exempla septem Regum, ac Principum Christianorum, qui dimissis primis Uxoribus, iisdem viventibus, alias sibi conjunxerunt. Item Canones quinque Pontificum, & Lex Justini Imperatoris, in quibus censetur permissa solutio primi Matrimonii quo ad Vinculum. Pariterque Verba Christi, *Matth. 19. 9.* quæ videntur concedere ejusdem Vinculi solutionem. Refutantur supradicta exempla tanquam impia. Declarantur prædicti difficillimi Canones; & ostenditur in Verbis Christi, *Matth. 19. 9.* concedi dimissionem Uxorum, causa fornicationis, quoad thorum, & cohabitationem tantùm, non autem quoad Vinculum Matrimonii, quod in Lege Evangelica est omninò indissolubile; duobus tantùm Casibus exceptis, de quibus in Decis. seqq.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonia inter Christianos an dissolvi possint quoad Vinculum?*
2 *Constantinus Imperator filius Leonis, & Irenes, repudiata Uxore, aliam duxit. An validè?* & num. 50. *Anno 795.*
3 *Barda Patricius Constantinopolitanus aliam Uxorem duxit dimissa prima, Anno 858. An bene?* num 52.
4 *Lotharius Rex Francorum, repudiat Uxorem Theutpergam, & ducit Valdradam Anno 862.* & num. 52.
5 *Carolus Crassus Imperator dimittit Richardam Uxorem, & aliam assumit.* Et num. 57.
6 *Philippus Rex Galliarum repudiat Bertam Uxorem, & ducit Bertrandam, Anno 1094.* & n. 58.
7 *Primislaus cognomento Othocarus Rex Bohemiæ secundam ducit Uxorem vivente*

prima dimissa Anno 1260. Et num. 59.
8 *Fabiola Matrona Romana, dimisso Marito adultero, alii nubit.* Et num. 60.
9 Cap. Uxor. 32. quæst. 7. *relatum, &* num. 62. *declaratum.*
10 Cap. Quod proposuisti, ead. 32. q. 7. *relatum. &* n. 65. *declaratum.*
11 Cap. Concubuisti. d. 32. quæst. 7. *relatum, ac expositum* num. 66.
12 Cap. cum in captivitate. 34. quæst. 2. *refertur, &* num. 67. *declaratur.*
13 Cap. Laudabilem. 1. de Convers. Infid. *relatum, &* num. 68. *expositum.*
14 *Justini Imperatoris Constitutio pro libera solutione Matrimoniorum. Refutatur.* n. 71.
15 *Christi Domini Verba* Matth. 19. 9. *referuntur, &* num. 74. *declarantur.*
16 *Matrimonia in Lege Evangelica sunt indissolubilia, si sint consummata.*
17 *Matrimonia dissolvuntur duobus in Casibus. Et qui sint?*
18 *S. Marci, ac S. Lucæ Verba de insolubilitate Matrimonii.*
19 *D. Pauli Apostoli verba de eadem insolubilitate.*
20 *Apostolorum Canon de eadem.*
21 *Eliberini Concilii de Anno* 320. *excommunicatio in conjugem alii nubentem, vivente primo.*
22 *Eliberis Urbs in Hispania, nunc diruta.*
23 *Milevitani Concilii Decretum, ne conjugati aliis nubant.*
24 *Milevum erat Urbs in Africa.*
25 *Africani Concilii eadem prohibitio A.* 420.
26 *Aurelianum Concilium facit eandem prohibitionem Anno* 533. *Aurelia Urbs ubi sit? ibid.*
27 *Forum Julii Urbs subdita Reipublicæ Venetæ.*
28 *Forojulienſe Concilium Anno* 800. *damnat solubilitatem Matrimoniorum.*
29 *Triburiensis Concilii Canon pro perpetuitate Vinculi Maritalis. Triburia illa ubi sit?*
30 *Nannetense Concilium de eadem. Et Nannete ubi sit?*
31 *Florentinum Concilium super eadem perpetuitate.*
32 *Tridentini Concilii Decreta circa eandem.*
33 *S. Evaristi Papæ de Anno* 110. *sententia de eadem insolubilitate Matrimonii.*
34 *S. Justini M. & Anthenagoræ verba circa eandem.*
35 *Ac S. Clementis Alexandrini.*
36 *Origenis quoque de Anno* 220.
37 *Tertulliani etiam Verba de eadem.*
38 *S. Hieronymus idem docet Anno* 390.
39 *S. Innocentii Papæ I. Verba de eadem insolubilitate.*
40 *S. Augustini doctrina de eadem.*
41 *Ac S. Gregorii Magni de Anno* 590.
42 *Publicis Pœnitentibus olim prohibitæ Nuptiæ.*
43 *S. Anselmi Verba de Matrimonialis Vinculi insolubilitate.*
44 *Alexandri quoque Papæ III. de Anno* 1160.
45 *Innocentii Papæ III. pariter Verba de eadem.*
46 *Cæca est omnis libido.*
47 *Luxuria extinguit lumen rationis.*
48 *Veritas deest in Aulis Principum.*
49 *Consiliarium bonum non habere, est Dei punitio.*
50 *Constantini Imperatoris filii Leonis, & Irenes vitia.*
51 *Tarasius Patriarcha quare non excommunicavit eundem Imperatorem?*
52 *Baraba primus Imperatoris Minister superbus, & impius.*
53 *Photius quomodo, & quando factus sit Patriarcha Constantinopolitanus?*
54 *Lotharius injustè dimisit Uxorem; ut aliam sumeret.*
55 *Nicolai I. sententia contra Lotharium, & Synodum Metensem.*
56 *Lotharii divina punitio. & mors.*
57 *Caroli Crassi vindicta cœlestis ob repudium Uxoris.*
58 *Bertæ Uxoris Philippi Regis Francorum injusta dimissio.*
59 *Primislai Regis Bohemiæ, alias Othocari Matrimonium solutum, quia Ratum, & Uxor ingressa est Religionem.*
60 *Fabioli per errorem nupsit secundo, vivente primo Marito.*
61 *Error non præjudicat Veritati.*
62 Cap. Uxor. 32. quæst. 7. *tripliciter declaratur.*
63 *S. Ambrosius doctissimus etiam in Jure Civili Romanorum.*
64 *Conciliorum decreta prævalent dictis SS. Patrum.*
65 Cap. Quod proposuisti 32. quæst. 7. *quadruplex interpretatio.*
66 Cap. Concubuisti. 32. quæst. 7. *declaratio.*
67 Cap. Cum in Captivitate. 34. q. 2. *exponitur.*
68 Cap. Laudabilem. 1. De Convers. Infid. *interpretatio.*
69 *Theodorus Balsamon inimicus Romanorum Pontificum. Et cur?*
70 *S. Raymundus de Pennafort collegit in unum Canones Decretalium Anno* 1230.
71 *Justini Novella de Divortiis contraria est Veritati Evangelicæ.*
72 *Justini Imperatoris turpis vita.*
73 *Græcorum error circa solutionem Matrimoniorum. Abbas Papadopoli contra eos declamat.* ibid.
74 *S. Matthæi Verba* cap. 19. 9. *declarata circa divortia.*
75 *Card. de Laurea, ac Mastrii interpretatio Verborum* S. Matth. 19. 9.

QUarta Objectio, reposita in *Decis. VII. n.* 38. contra indissolubilitatem Vinculi Matrimonialis (provenientem à Lege Naturali, & Divina) fuit, quòd multi Reges, & Principes Christiani per repudium Uxorum earum, alias mulieres sibi in conjuges assumpserunt, quorum facto deduci videtur, quòd prædictum Vinculum non sit indissolubile; idcircò in præsenti examinanda venit famosa illa quæstio, an in Lege Evangelica, & apud Christianos dentur casus, in quibus Matrimonia non solùm rata, sed etiam consummata solvi possint quo ad Vinculum, itaut liceat Christianis dimittere primas Uxores, easque repudiare, deinde alias Uxores accipere? Prout etiam utrùm Uxores repudiatæ possint aliis Viris nubere? Et videtur affir-

affirmandum tum ex Historiis, tum ex Sacris Canonibus, tum etiam ex Verbis Christi. Quòd vinculum Matrimonii dissolvi possit, videtur probari ex Historiis.

Primò ex facto Constantini Imperatoris 2 Constantinopolitani, filii Leonis, & Irenes piissimæ Imperatricis; ipse enim Constantinus Anno à Nativitate Christi 795. ut scribit Emin. Card. Baronius, & ejus Compendiator Spondanus *ad d. Annum abdicata mense Januario, & Monasterio inclusa Maria legitima conjuge, eo falso prætextu quasi ea vitæ ipsius insidiata esset, Mense Augusto Theodotem cubicularium ducens, Augustam coronavit.* Ergo solutum consebatur vinculum Matrimonii cum Imperatrice Maria prima Uxore. Refert hoc factum etiam Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 16. num. 120.* sed per æquivocum tribuit illud Constantino Copronimo, qui per annos antea viginti obierat, quique Avus fuerat Constantini hujus, Irenes filii, à quo repudiata legitur Maria Imperatrix, & in ejus locum assumpta Theodote.

Secundò, ex repudio, quod fecit Barda Patricius Constantinopolitanus Anno Domini 858 Imperante Michaele III. à quo prædictus Barda summam Imperii administrationem erat 3 assecutus. Is enim Uxorem suam dimisit, & aliam sibi copulavit, ut narrant præfati Emin. Baronius, ac Spondanus *ad d. Ann. 858. num. 4.* etsi ipsemet Emin. de Lauræa repudium hoc attribuat eidem Imperatori Michaeli III. *d. disp. 16. d. num. 20.*

Tertiò, ex Uxore Waldrada, quam, dimissa prima conjuge Theutperga, sibi assumpsit Lotharius Francorum Rex *Anno Domini* 862. 4 ut ibi scribunt Emin. Cardin. Baronius, ac ex eo Spondanus *ibid. num. 4.* qui prædictæ dimissionis, atque repudii causam refert his verbis: *Quòd verò jam legitimo Theutpergæ Reginæ Matrimonii junctus esset, egit cum Episcopis Regni sui, ut convocata Aquisgrani Synodo, octo ex ipsis Theutpergæ causa cognita, (quæ falsò accusata incestus cum proprio fratre, referabatur etiam id scelus publicè confessa) Matrimonium illud dissolverint, ipsique Lothario, se incontinentem profitenti, permiserint aliam Uxorem ducere.* Quidquid fuerit in facto de veritate impacti incestus; exemplum hoc demonstrat, Episcopos illos cognovisse in jure licitum esse Lothario accipere sibi in Uxorem Waldradam, dimissa Theutperga; ejusdem nexum maritalem arbitrantes, ac judicantes solutum.

Quartò ex dimissione Uxoris suæ Richardæ, seu, ut alii eam vocant *Richildis*, Imperatricis Augustæ, quam à se expulit Carolus Crassus Imperator Romanorum, *Anno Domini* 888. ut 5 *ibidem* scribit Spondanus *num. 1.* etsi ex levibus quibusdam suspicionibus incontinentiæ ejus. Carolus Crassus filius fuerat Ludovici Regis Germanorum, Nepos Ludovici Pii, & Pronepos Caroli Magni Imperatorum; & sortitus erat cognomen illud ob superabundantem corporis pinguedinem, qua deformis nimis evaserat. Defuncto Ludovico Balbo Imperatore Prædecessore suo; cùm ex eo non extarent nisi tres filii tenerrimæ ætatis, & ipse Carolus Crassus jam obtineret coronas tres, scilicet Germanorum, Francorum, ac Italorum, quorum omnium Regna ex obitu propinquorum ad se devoluta erant, & ipsorum Rex fuerat ipse constitutus; reportavit etiam Coronam Imperialem à Summo Pontifice Stephano VI. arbitrante ex Principibus Christianis nullum porentiorem illo futurum, ad Ecclesiam Catholicam defendendam, ac Apostolicam Sedem tutandam, ad exemplum Proavi sui Caroli Magni Imperatoris, ut latiùs differunt Historici illorum temporum, ac novissimè P. Antonius Foresti Soc. Jesu *in Mappamundo tom. 2. lib. 23. cap. 7.*

Quintò ex consimili repudio Bertæ legitimæ conjugis Philippi Regis Galliarum, qui *Anno Domini* 1094. ex causis sibi bene visis illam 6 dimisit, & ex consensu plurium Episcoporum Bertradam mulierem sibi in novam uxorem adjunxit, ut ex Ivone Carnotensi *Epist. 13. & 14.* notat Spondanus ad eundem Annum *n. 2.* ac ex Paulo Æmilio *de Rebus Francor. lib. 5. & 6.* aliisque Historicis illorum temporum repetit Emanuel Gonzalèz *in Comment. ad cap. Dilecti filii, 4. de Arbitr. n. 2. tom. 1. pag. 770.*

Sextò, tandem, ex solutione Vinculi Matrimonii per dimissionem primæ Uxoris, ac susceptionem secundæ, vivente prima, quam fecit Primislaus Rex Bohemiæ cognomento *Otthocarus*, 7 de quo ita scribit Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis *ad Annum Christi 1260. n. 21. in Compend. Primislao chiamato ancora Ottocaro ripudiò la moglie, perche si diceva lei havere avanti il Matrimonio fatto Voto di castità, e la mise in un Monastero di Sacre Vergini, prendendo in luogo di lei la sorella di Bela Rè di Ungheria.* Concordat antenominatus P. Ant. Foresti *in Mappamund. tom. 6. libr. 9. pag. 227.* in Vita ejusdem Primislai Tertii Ottocari, Quinti Regis Bohemorum, ita dicens: *Era egli contentissimo per queste glorie guerriere; mà il suo contento non poco restava scemato, vedendosi senza prole à cagione della Regina Margherita infeconda. Onde il Rè per provedersi di Successione, dopò matura consideratione, e con le debite facoltà, fece pacifico divortio con la Regina, che si ritirò in un Monastero; ed esso passò alle seconde Nozze con Cunegonda, nata di Filippo già Imperatore, che à non molto gli partorì Vincislao Quarto di questo nome.* Et de hac Historia loquitur etiam Eman. Gonzalez *in cap. Constitutis. 46. De Test. lib. n. 1. & 2. tom. 2. pag. 342.* En igitur ex hoc, & aliis supra relatis exemplis, quòd etiam in Lege Evangelica nexus maritalis solvi potest, & per repudium primæ Uxoris, saltem ex aliqua urgenti causa, devenire concessum fuit Marito ad secundas Nuptias; & ad alterius Uxoris acceptationem, prima vivente; prout etiam Uxori, vivente primo Marito; ut

Septimò, ex facto Fabiolæ Matronæ Romanæ, de qua scribit S. Hieronymus *tom. 1. ad Oceanum*, quòd *dimisso primo adultero Mari-* 8 *to, secundum sortita erat Matrimonium;* & refert Petr. Gregor. Tholosanus *Syntagm. Jur. p. 2. lib. 9. c. 16. n. 8.*

Octavò: Sed hæc solubilitas vinculi Matrimonialis, & facultas tum Viris, tum Fœminis, eodem Vinculo soluto, ad alias nuptias transeundi, viventibus, primo Marito, ac respectivè prima Uxore, videtur per Sacros Canones probari. 9 Siquidem *in cap. Uxor. 32. quæst. 7.* ita ex Verbis S. Ambrosii *super 1. ad Corinth. 7.* legitur: *Uxor à Viro non discedat, nisi causa fornicationis, quòd si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur Viro suo: & Vir similiter non dimittat Uxorem. Idcò non subdit* (notetur) *de Viro, quod de Uxore præmisit; quia Viro licet ducere aliam.* Si igitur dimissa Uxore ob fornicationem, licet Viro ducere aliam; vinculum prioris Matrimonii fuit per dimissionem Uxoris solutum.

Nonò: in *cap. Quod proposuisti, ead. 32. quæst. 7.* in quo Gregorius Papa Tertius sic re- 10 spondit Bonifacio Episcopo *Epist. 4.* videlicet: *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum Viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnum est; illæ, qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subtrahit ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.* Ergo & ob infirmitatem Uxoris, ea potest repudiari; & post repudium aliam ducere licet; & ita constat, prioris conjugii Vinculum fuisse solutum.

Decimò: confirmatur objectio per textum *in cap. Concubuisti. d. 32. quæst. 7.* ubi Zacha- 11 rias Papa sic ait: *Concubuisti cum sorore Uxoris tuæ? Si fecisti, neutram habeas: & si illa, quæ Uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem, & adultera sine spe conjugii permaneatis; & quamdiù vixeritis, juxta præceptum Sacerdotis pœnitentiam agite.* Itaque marito adulterante, ejus Uxor alteri potest nubere; & sic nubendo solutum est vinculum cum primo marito.

Undecimò: pro ejusdem objectionis fulcimine proponitur textus *in cap. Cum in captivitate. 34. quæst. 2.* in quo proposita instantia 12 Innocentio Papæ Primo per mulierem, cujus Maritus ea in captivitate detenta: aliam Uxorem sibi copulaverat; ita respondit Pontifex *Epist. 9. ad Probum: Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitùs erat gratia divina fundatum; conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum.* Considerentur illa Verba: *Nec divortio ejecta.* Ergo si prima Uxor fuisset *per divortium ejecta*, idest repudiata, vel dimissa à marito, secundum conjugium validum, & legitimum habendum; scilicet ob solutum vinculum primi Matrimonii in divortio.

Duodecimò: prædictis juribus accedit re- 13 sponsum Cœlestini Papæ III. *in cap. Laudabilem. 1. De Convers. Infidel.* in quo, juxta secundam collectionem relatam ab Anton. Augustino *Collect. 1. Decretor. libr. 3. tit. 20. c. 2.* & ab Emanuele Gonzalez *in eod. c. 1. De Convers. Infidel. tom. 3. Decretal. libr. 3. tit. 33. c. 1.* cùm Vir Christianus relicta Uxore apostatasset à fide, & mulierem Paganam sibi copulasset; ipsaque Uxor Christiana ad secundas nuptias convolasset, & filios suscepisset, Pontifex prædictus super hoc casu sic respondit: *Non videtur nobis, quòd si prior Maritus redeat ad unitatem Ecclesiasticam, eadem à secundo debeat recedere, & resignari priori.* Igitur solutum fuerat Vinculum Matrimonii per recessum à Fide Catholica, quem fecerat primus Maritus.

Decimotertiò: adstipulatur præmissis Constitutio Justini Imperatoris per eum lata *Anno Christi 566.* & sui Imperii Anno primo; per quam omnibus hominibus indulsit, ut ad libi- 14 tum propria conjugia, ex quacunque causa sibi bene visa, possent mutuo consensu Mariti, ac Uxoris dissolvere, ad tollendas (ut inquit) altercationes, ac discordias, quæ irreconciliabiles evadebant inter conjugatos ex indissolubilitate Matrimonii. Fuit Justinus Justiniani Imperatoris Nepos, idest Vigilantiæ ejusdem Justiniani sororis filius, & prædicta Constitutio legitur *in Libr. Authenticar.* statim post Novellas Constitutiones ejusdem Imperatoris Justiniani, & ejus Titulus est: *Ut possit ex consensu dissolvi Matrimonium.* De eadem mentionem faciunt Emin. Card. Baronius, nec non Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad *Annum Christi 566. n. 3.*

Decimoquartò, & ultimò: hucusque dicta, objectionis ejusdem favore, videntur omnia inniti verbis Christi Domini ab Evangelista Matthæo *c. 19. n. 9.* relatis: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit Uxorem suam, nisi* 15 *ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Igitur si à Christo Domino prohibita est dimissio Uxoris, nisi ob fornicationem; ubi commissa fuerit per Uxorem fornicatio, (proprio nomine dicta adulterium) licitum erit repudiare illam, solvere vinculum Matrimonii; & aliam Uxorem ducere. Et ita intellexerunt supradicta Verba Evangelii Cajetanus, & Catharinus, ut refert Alphonsus de Castro *Verb. Nuptiæ §. Quinta hæresis.* protestantes tamen se ita tenere, quia tunc nulla aderat Ecclesiæ definitio in contrarium; ut legitur apud Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. n. 86.* subdentem: *& certè fateor, quòd si Ecclesia, & Patres locum illum aliter non intellexissent, verba illa secundum obviam intelligentiam hunc sensum facerent.*

His tamen omnibus, ac similibus minimè obstantibus, firma, & constans est doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quam firmavimus *in d. Decis. VII. à n. 23. & sequentibus*, videlicet indissolubile esse vinculum Matrimonii ejusque 16 indissolubilitatem, ac perpetuitatem provenire à Jure Divino, & Naturali; adeòut post Christi adventum nulla sit collata potestas in terris, seu dispensatio à Deo, ut solvi possit nexus Matrimonialis sivè inter fideles, sivè inter infideles, nisi in duobus casibus. *Primò.* (si Matrimonium sit consummatum) quando alter ex conjugibus infidelibus convertitur ad fidem, alter verò non vult converti, neque vult habitare cum converso absque injuria Redemptoris.

17 ris. *Secundò*, si Matrimonium sit tantummodò ratum, non autem consummatum inter fideles, & Maritus, aut Uxor velit ingredi Religionem, & in ea solemniter profiteri; vel super eo à Papa obtineatur dispensatio ob justam aliquam, ac urgentem causam; de quibus duobus casibus infra separatim, ac plenè verba faciemus, nempè *Decis. XI. Decis. XII. & Decis. XIII. XIV. & XV.* His duobus casibus exceptis, nullus est in toto mundo, qui habeat facultatem solvendi Matrimonia quo ad vinculum; sivè sit Princeps, Rex, aut Imperator; sivè sit Ecclesiasticus Prælatus, Episcopus, aut Papa, ut loquitur prælibatus Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 16. n. 115.* & hæc Veritas, quæ est de fide, probatur (præter ea, quæ diximus *d. Decis. VII. n. 23.*) ex sequentibus.

Primò: ex Verbis Redemptoris nostri
18 *Marc. 10. 11. Quicunque dimiserit Uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si Uxor dimiserit Virum suum, & alii nupserit mœchatur.* Prout etiam ex illis in *Luc. 16. 18. Omnis, qui dimittit Uxorem suam & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à Viro ducit, mœchatur.*

Secundò: ex Verbis Divi Pauli Apostoli 1.
Cor. 7. 10. Iis autem, qui Matrimonio juncti
19 *sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à Viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut Viro suo reconciliari. Et Vir Uxorem non dimittat.* Item ex aliis ejusdem Apostoli Verbis *ad Rom. 7. 2. Quæ sub viro est mulier, vivente Viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit Vir ejus, soluta est à Lege Viri. Igitur vivente Viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio Viro; si autem mortuus fuerit Vir ejus, liberata est à Lege Viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio Viro.*

Tertiò: ex Apostolorum *can. 48.* ubi sic
20 fuit statutum ab initio Ecclesiæ: *Si quis Laicus Uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.* Cur ita? Utique, nam pellens propriam Uxorem ex quacunque gravissima causa non solvit Vinculum Matrimonii. Hoc autem semper verum fuisse in Ecclesia Catholica patet etiam ex sequentibus Conciliis. Siquidem

Quartò: in Concilio Eliberino celebrato sub S. Sylvestro Papa *Anno Domini* 320. sic
21 fuit statutum *in can. 8. Item Fœmina, quæ, nulla præcedente causa, reliquerunt Viros suos, & alteris se copulaverint, nec in fine accipiant Communionem.* Quia, scilicet adulteræ reputabantur, insoluto remanente priore conjugio. Quod manifestiùs habetur in *sequenti can. 9. Item fidelis Fœmina, quæ adulterum Maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non priùs accipiat Communionem, quàm is, quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Erat enim prohibitum alterum ducere, etiam ob repudium fornicationis causa sequutum, sub excommunicationis pœna ex decreto hujus Concilii Eliberini. Illiberis erat Urbs in Hispania, quæ nunc dicitur Granata ex Plinio *c. 1. lib. 3.* etsi alii putent, aliam fuisse, sed pa- 22
rùm distantem à Granata, olim dirutam ob bellorum injuriam, cujus vestigia, & rudera adhuc ostenduntur in loco, seu pago appellato *Elvire;* ut notat Ferrarius *in Lexico Geograph. Verb. Illiberis.*

Quintò ex Concilio Milevitano, quod habitum fuit *Anno Domini* 402. sub Innocentio Papa I. in quo *can. 17.* ita fuit sancitum: *Placuit, ut secundum Evangelicam, &* 23
Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab Uxore, neque dimissa à Marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad Pœnitentiam redigantur. Legitur Canon iste etiam *in cap. Placuit. 32. q. 7.* Milevum erat Urbs Africæ Epi- 24
scopalis, sub Archiepiscopo Carthaginensi, in qua fuit celebratum supradictum Concilium; nunc dicitur *Mela*, teste Ferrario ubi supra *Verb. Milevum.*

Sextò: Supradictus Canon *Placuit &c.* repetitus, ac renovatus fuit iisdem Verbis in Concilio Africano convocato tempore Bonifacii Papæ I. *Anno Domini* 420. ut in ejus *Canone* 25
69. Conciliorum *tom. 1. pag. mihi* 857. Dicitur autem Africanum hoc Concilium, quia habitum fuit Carthagine, tempore S. Augustini, qui in eodem præsens fuit tanquam suffraganeus Episcopus Hypponensis.

Septimò? Ex Concilio Aureliæ (quæ est Galliæ Celticæ ad Ligerim fluvium Urbs Episcopalis, vulgò *Orleans*, condita Anno salutis 278. ab Aureliano Imperatore) in quo quidem 26
Concilio *Anno* 533. tempore Joannis Papæ II. *in can. 11.* sic decretum fuit: *Contracta Matrimonia, accedente infirmitate, nulla voluntatis contrarietate solvantur. Quod si qui ex conjugibus fecerint, noverint, se communione privandos.* Hac utique ratione, quia Matrimonii Vinculum in Lege Evangelica est insolubile quacunque de causa, si consummatum sit, ut dictum est *supra n. 16.*

Octavo: ex Concilio Forojulienst convocato *Anno Domini* 800. *circiter*, in præclara Italiæ Urbe Forum Julii dicta, quæ Serenissimæ 27
Reipublicæ Venetæ est subjecta; & condita fuit post destructam ab Attila Aquileiam; cujus Concilii tempore Sedem Apostolicam regebat Leo Papa III. in cujus *Can.* seu *c. 10.* ita fuit à Patribus statutum: *Item Placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo* (intelligendo quo ad thorum) *non liceat Viro, quandiu adultera vivit, aliam Uxorem ducere, licèt sit illa adultera: sed nec adultera* (quæ pœ- 28
nas gravissimas, vel pœnitentiæ tormentum luere debet) *alium accipere Virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.* Prosequitur Concilium rationem reddendo, & verba Evangelistæ Matthæi *in c. 19. Vers. 9.* declarando; quam declarationem juvabit studiosos legisse pro genuina intelligentia ejusdem Evangelici textus, ac Redemptoris nostri verborum, quæ posita sunt *supra n. 15.* in Decimaquarta objectione.

Nonò: Probatur pariter insolubilitas Matrimonii ex Concilio Triburiensi habito sub Bonifacio Papa VI. & Arnulpho Imperatore *An. Dom. 895.* in quo *cap. 38.* agitur de validitate Matrimonii

cum liberta, ideſt cum ancilla manumiſſa initi; & decernitur: *Ut quisquis liber libertam, legitimè in Matrimonium duxerit, ulteriùs habere debebit tanquàm unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis causa: & quandiù illa vivat, nullam aliam accipiat.* Triburia eſt Villa, quæ Germanica lingua dicitur *Tribur*, & eſt ſita ultra Rhenum propè Moguntium, ut notantur in principio ejuſdem Concilii poſiti *in tom. 4. Concilior. pag. 26.*

Decimò: Præmiſſis Conciliaribus Canonibus adſtipulatur etiam Concilium Nannetenſe,
30 quod ſequitur immediatè poſt Triburienſe, & cenſetur congregatum *Anno Domini* 900. *circiter.* Nannete, quæ eſt Urbs Galliæ Celticæ ad Ligerim fluvium, vulgò *Nantois*, condita à Nannete Rege Quinto Galliæ, Anno poſt diluvium 300. ut notatur *in Lexico Geographic.* Ferrarii *Verb. Nannetes*; in quo Concilio, ſub Pontifice Maximo Stephano VII. *in c. 12.* ſic fuit definitum: *Si cujus Uxor adulterium perpetravit, & hoc à Viro deprehenſum fuerit, & publicatum, dimittat Uxorem, ſi voluerit, propter fornicationem. Illa verò ſeptem annis publicè pœniteat. Vir verò ejus, illa vivente, nullatenus aliam accipiat.* Ratio eſt manifeſta, quia illa dimiſſio ob adulterium eſt quoad thorum, & habitationem, non quo ad ſolutionem vinculi maritalis. Undè concludit ibi Canon: *Similis forma, & in muliere ſervabitur, ſi eam Vir ejus adulteravit.*

Undecimò: Succeſſit Concilium Florentinum *Anno Domini* 1439. in quo Eugenius Papa Quartus præſens fuit, & in eo, in Decre-
31 to Concordiæ Armenorum, publicato *die 22. Novembris* ejuſdem Anni, *Incipien. Exultate Deo &c. in* § 16. ita docuit, ſancivit, & declaravit: *Aſſignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum eſt proles ſuſcipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt Fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium indiviſibilitas Matrimonii propter hoc, quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ. Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere; non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cùm Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum ſit.* Quid manifeſtius, aut ſolidius?

Duodecimò. Et quoniam ſæculo ſubſequenti eidem Florentino Concilio inſurrexerunt Hæretici Lutherani, & Calviniſtæ, qui inhærentes erroribus antiquorum hæreticorum Montaniſtarum, Cathafrigum, Græcorum, & aliorum, quos nominat Emin. Card. Bellarminus *lib. 1. de Matrim. c. 15.* Emin. Card. de Laurea *d. diſp. 16. n. 4.* Salelles *de S. Inquiſit. Reg. 288. & 292.* Coronius *Controv. 2. n. 96. lib. 5.* docere non verebantur, Vinculum Matrimonii eſſe prorsùs ſolubile ad libitum con-
32 jugatorum, contra hoc, & alios eorundem hæreticales errores convocatum fuit Concilium Tridentinum; à quo (*Anno* 1563. *die 21. Novembris*, Pio Papa Quarto in Romana Apoſtolica Sede ſedente) *in ſeſſ. 24. de Doctrina Matrim.* cùm præmiſiſſet in principio, *Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum eſſe*; indè ſic ſententiavit *in can. 5. Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, autem affectatam abſentiam à conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum: Anathema ſit.* Subindè *in can. 7.* multò magis damnavit aſſertores ſolubilitatis ejuſdem vinculi, ita ſanciens: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit: Anathema ſit.* En igitur concors Eccleſiæ Catholicæ doctrina, per quindecim integra ſæcula, in tot Conciliis exarata circa indiſſolubilitatem Matrimonialis Vinculi. At non tædeat Lectorem Studioſum audire nonnulla teſtimonia Sanctorum Patrum, qui ab initio Eccleſiæ per duodecim fermè continua ſæcula, inſolubile eſſe Vinculum Matrimonii in quocunque caſu repudii aſſeruerunt. Nam

Decimotertio: Ut à Patribus Græcis exordiamur, S. Evariſtus Græcus, & ad apicem Apoſtolatus ob eximiam ejus ſanctitatem, & doctrinam evectus *Anno* 110. *in Epiſt. 2.* hæc de conjugii inſolubilitate dicit: *Uxori non li-*33 *cet dimittere Virum ſuum, ut alteri ſe, vivente eo, ſociet Matrimonio, licèt fornicatus ſit Vir ejus; ſed juxta Apoſtolum, aut Viro ſuo reconciliari debet, aut manere innupta.*

Decimoquartò: S. Juſtinus Martyr *in Apolog. 2.* & Athenagoras, coævus cum eodem Sancto, *de Anno ſcilicet* 150. *in Apolog. pro Chriſtianis*, adulterum univerſim appellant eum, qui dimiſſam ab alio ducat; quod refert 34 etiam Abbas Papadopoli in ſuis eruditiſſimis *Prænotionib. Myſtagog. Reſp. 6. Sect. 4. n. 14.*

Decimoquintò: Clemens Alexandrinus, qui floruit circa *Annum* 190. *in libr. 2. Stromat.* hæc ſcripſit: *Quòd autem conſulat Scriptura Uxorem ducere, & nec à conjugio unquam* 35 *permittat diſcedere, legem apertè conſtituit. Non dimittes Uxorem, præterquam propter fornicationem; adulterium autem exiſtimat conjugi Matrimonio, vivo altero ex ſeparatis.*

Decimoſextò: Origenes, ejuſdem Clementis diſcipulus *Anno* 220. fervidus Evangelicæ doctrinæ prædicator *in Tract 7. ſuper Matth. c. 19.* cùm dixiſſet, repudium Uxorum, datum Moyſem Judæis, eſſe revocatum à Chriſto, ſub- 36 dit: *Qua enim ratione adultera eſt mulier, quamvis legitimè nubere videatur viro vivente; eadem ratione & Vir, quamvis legitimè accipere videatur dimiſſam ab aliquo Viro, non accipit legitimè ſecundum ſententiam Salvatoris; ſed magis mœchatur, quaſi alienam accipiens.*

Decimoſeptimo: Tertullianus, *Anno* 230. *libr. 4. contra Marcion. ultra med.* Marcioni objicienti, Chriſtum oppoſita ſtatutis à Moy- 37 ſe docuiſſe, quod permiſſum à Moyſe divortium Chriſtus vetuerit, Reſpondet: *Minimè vetitum à Chriſto divortium factum ex juſta cauſa; ſed vetitum ſanè, poſt ipſum di-*

vortium,

vortium, conjugium alterum. Ex Latinis autem Patribus.

Decimooctavò: S. Hieronymus, qui scribebat *Anno* 390. in *Epist. ad Amandum* ait:
38 *Quandiù vivit Vir, licèt adulter sit, licèt sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, & ab Uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Habentur hæc, & alia ejusdem Sancti Doctoris Maximi Verba in *cap. Dixit* 32. *q.* 1. & in *cap. Omnes causationes.* 32. *q.* 7.

Decimononò: Innocentius Papa I. sedens in Apostolatus apice *Anno* 402. ita scripsit *in*
39 *Epist. ad Exuperium circa finem. De his etiam requisivit Dilectio tua, qui, interveniente repudio, aliis se copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui verò vel Uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque poterunt adulteri non videri; in tantùm ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundùm illud, quod legimus in Evangelio, Qui dimiserit Uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur; similiter, & qui dimissam duxerit, mœchatur: & ideò tales omnes à communione fidelium abstinendos.*

Vigesimò: S. Augustinus Episcopus Hipponensis, Doctor egregius, qui cœpit laborare in Vinea Domini verbo, & scriptis ab *Anno*
40 420 in libro *De bono conjugali c.* 7. sic loquitur: *Interveniente divortio non aboletur illa confœderatio Nuptialis, itaut sibi conjuges sint etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati.* Referuntur hæc verba à Gratiano in *c.* 1. 32. *q.* 7. & ibidem *in* 2. 3. & 4. *cap.* ejusdem sententiæ testimonia prædicti Sancti Doctoris ex aliis ipsius libris collecta habentur, quæ hic non transcribo, cùm facilè sit ea legere in *d.* 32. *q.* 7. *cap.* 2. 3. 4. 6. 10. 26. & 27.

Vigesimoprimò: S. Gregorius Magnus, electus Summus Pontifex *Anno* 590. relatus à Gratiano in *cap. His verò.* 32. *q.* 7. ita docet:
41 *His verò, qui Uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit, nec eum, nec eam aliam Uxorem accipere, vel alium Virum; quamdiu ambo vivunt. Si autem adultera mortua fuerit, Vir ejus, si vult, nubat tantùm in Domino. Adultera verò nunquam, etiamsi mortuus fuerit Vir ejus: omnibus tamen diebus vitæ suæ acerrimæ pœnitentiæ lamenta persolvat* Tunc enim temporis publicam pœ-
42 nitentiam agentibus non solùm interdictum erat Matrimonio antea contracto uti, sed etiam conjuge uno defuncto, novum Matrimonium superstiti pœnitenti contrahere erat prohibitum, ut latè probat Morinus *de Sacram. Pœnit. lib.* 5. *cap.* 21. & *seqq.*

Vigesimosecundò: S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, qui floruit *Anno* 1081. in *Comment. S. Matth.* 5. sic scribit: *Hic præcipit*
43 *non dimittere Uxorem, nisi tantùm excepta causa fornicationis. Si enim ipsa ruperit legem conjugii, potest eam homo à se separare, ut commixtionem illam auferat sibi quam violavit: sed tamen* (notetur) *Sacramentum conjugii remanet, ut non aliam ducat.*

Vigesimotertiò: Alexander Papa III. qui regebat Universalem Ecclesiam *Anno* 1160. sic respondit ad Abbatem S. Edmundi *in cap. Ex parte. De Sponsalib. Nemini licet Uxorem su* 44
am sine manifesta causa fornicationis dimittere; & tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsa vivente continere. Ea ratione quia non est solutum vinculum maritale per dimissionem illam, ideò non potest aliam sibi in Uxorem assumere.

Vigesimòquartò, & ultimò Innocentius Papa III. creatus Pontifex *Anno* 1198. pluribus responsis suis hanc veritatem enunciavit, sed præ-
cipuè ad Tyberiadem Episcopum, ut legitur *in* 45
cap. Gaudemus. De Divortiis, in illis verbis: *Qui autem secundùm ritum suum legitimam repudiavit Uxorem, cùm tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam habere.* Ecce igitur constans, & irrefragabilis doctrina Catholica, ab initio Ecclesiæ usque in præsens, Conciliis, Sanctorum Patrum, ac Summorum Pontificum testimoniis confirmata; quòd nexus Matrimonii legimè contracti est insolubilis, & quamvis ex causa fornicationis, seu adulterii unius ex conjugibus fieri possit dimissio, ac repudium adulterantis, alter conjux innocens, vivente repudiato, ac dimisso, non potest aliud Matrimonium inire, cùm duret prioris Matrimonii Vinculum insolutum inter ipsum, & adulterantem; idque est inconcussum in utraque Schola S. Thomæ, & Scoti ex eorum doctrina *in* 4. *dist.* 35.

Nec obstant Exempla Christianorum Principum, Regum, seu Imperatorum supra *à n.* 2. *&* *seqq.* adducta; ipsa etenim resolvuntur, & evacuantur tum generali, tum particulari responsione. Generaliter respondetur ad ipsa, quòd eorum divortia, ac nova Matrimonia non processerunt à lumine Veritatis, sed è tenebris impudici amoris; hinc S. Ambrosius ajebat, quòd *cæca est omnis libido*, ut notat Cornelius à Lapide in 46
Genes. 19. 11. quo loci habetur, quòd *populos Sodomorum* (qui abuti volebant Angelis hospitantibus in domo Loth) ipsi Angeli *percusserunt cæcitate.* Quare S. Thomas 2. 2. *quæst.* 53. *art.* 5. *ad* 1. ait, quòd *Ira, & Invidia causant inconstantiam, pertrahendo rationem ad aliud; sed Luxuria totaliter extinguendo judicium rationis.* Et Aristoteles *Ethic. lib.* 7. 47
c. 6. *Incontinentiæ concupiscentia totaliter rationem non audit.* Quapropter cùm præfati Imperatores, ac Reges libidine agitarentur, ausi sunt Uxores proprias dimittere, & pellices assumere, contra Christianam Religionem, ac Evangelicam Veritatem. Nec satis est dicere, eis non defuisse Consiliarios optimos; à quibus docerentur Veritatem: Nam replicatur, ut plurimum assertos optimos Consiliarios deesse; unde Ludovicus XI. Rex Galliæ, cùm diceret, rem unam in abundantissima Aula sua sibi deficere, interroganti, Quænam esset? respondit, 48
Veritas, ut refert idem à Lapide in *Exod.* 18. 12. addens quòd Democritus dicebat, *Veritatem in profundo putei delitere.* At estò Consiliarii boni existant, sæpè permittit Deus, ut his Reges non credant, sed assentatoribus, qui *dicunt*

malum

malum bonum, & bonum malum; lucemque tenebras, & tenebras lucem. Isa. 5. 20. & in pœnam culparum, quibus, qui regunt alios, conscientias proprias onerant, finit eos Deus vel non credere veritatem dicentibus, vel eam qui dicant non habere, juxta illud: *Auferam à* 49 *vobis Consiliarium, & Sapientem, & prudentem eloquii mystici. Isa. 3. 3.* Igitur nil mirum, si allegata exempla nullam faciant auctoritatem, cùm processerint vel à Viris à libidine obcœcatis, vel à pravis consiliariis deceptis. Particulariter verò respondendo:

Ad factum *Anno 795.* Constantini Imperatoris Orientalis, ipsum processisse ex manifesta iniquitate: nam, ut scribit *ibidem. n. 1.* Spon- 50 danus: *Ex ejus scelere magnæ sunt in ea Ecclesia, inter Catholicos conflatæ discordiæ; aliis turpi adulatione illud approbantibus, aliis verò magnoperè detestantibus, qui ejus rei causa persecutionem sunt passi. Fuerunt inter istos præcipui magni illi Abbates Plato, & Theodorus Studita, Orientalis Ecclesiæ lumina, &c.* Habuit Constantinus adulatores, qui eum ad injustum illud divortium, & injustas secundas Nuptias inflammarent: habuit & bonos Consiliarios, quibus tamen noluit credere; undè subdit idem Spondanus *n. 2. Restitit quoque Imperatoris conatui viriliter Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, etiam usque ad comminationem Excommunicationis, adeò ut nulla arte adigi potuerit consentire expulsioni Mariæ, & Nuptiis, ac coronationi Theodotes. Verum cùm hæc per alium Presbyterum, Josephum nomine, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomum, peragi curasset Imperator; gravi* 51 *angustia pressus Tarasius, veritus ne nimis exasperando Imperatoris animum (minantis jam se majorum exemplo Sacras Imagines exturbaturum) faceret eum desertorem fidei Catholicæ, & persecutorem Ecclesiæ, sic illum erroris redarguit, ut tamen Ecclesiæ communione non privaverit.* Quis ex tàm scandalosa operatione Imperatoris Constantini, moniti, reprehensi ac à tot Sanctis Viris increpati, & nihilominùs incorrecti, argumentum liciti secundi conjugii, vivente prima Uxore, etsi dimissa, desumet?

Ad repudium Bardæ Supremi Ministri Michaelis III. Imperatoris Constantinopolitani *Anno* 858. patratum eadem responsio datur: Barda enim processit ex superbia ob gradum pri- 52 mi Ministri, quem obtinebat; & ob libidinem, qua agitabatur, repudiavit legitimam Uxorem; & aliam sibi copulavit adulteram; undè à S. Ignatio Patriarcha ejusdem Urbis Constantinopolitanæ excommunicatus fuit, quem Barda tanto odio insequutus est, ut post exilium, ac alias vexationes plurimas, calumniosè accusatum de conspiratione adversùs Imperatorem, è throno impiè depositum, & in ejus Sedem Patri- 53 archalem Photium Eunuchum posuit, qui acerbissimi Schismatis cum Ecclesia Romana, & aliorum malorum plurium auctor fuit; ut latiùs differunt Historici illorum temporum Curopalatus, Cedrenus, & alii, à quibus Emin. Card. Baronius *d. Anno 858.* ac Spondanus *ibid. n. 4.*

Ad Lotharii Francorum Regis consimile scandalosum Theutbergæ Reginæ, ac Uxoris legitimæ repudium *Anno 862.* propositum, ut Waldradam adulterino nexu sibi conjungeret, pari modo respondetur, fuisse actionem. ac di- 54 missionem iniquam, à Nicolao Papa I. repressam, etsi ab iniquis Judicibus in Concilio Metensi laudatam; ut narrat Spondanus *Anno 863. num. 3.* his verbis: *Hoc eodem anno habita est in Gallia, Mense Junio, Metensis Synodus;* 55 *in qua corruptis pecunia Sedis Apostolicæ Legatis, confirmata est expulsio Theutbergæ Reginæ legitimæ Uxoris Lotharii Regis, & Valdradæ pellicis subintroductio.* Sed de his omnibus facta relatione Nicolao Summo Pontifici, revocavit ipse, ac damnavit in Lateranensi Concilio impiè gesta, Episcopos illos communione privavit, *& ipsum illorum conventum non Synodum, sed tanquam adulteris faventem, prostibulum appellavit.* Mox excommunicavit Lotharium, donec Waldradam ejiceret, & reassumeret Theutpergam Reginam; sed dissimulavit ipse obedire; donec morte Nicolai Papæ audita, ac Hadriani II. Pontificis Successoris electione intellecta *Anno 868.* Romam accessit, & eidem Pontifici falsò asseruit, se Waldradam expulisse. At Pontifex sub commina- tione Divinæ punitionis, si ita non esset, Lotharium, ac Nobiles ejus Comites Sacra Communione refecit. Sed quid? *Lotharius latus Roma recedens, morbo in itinere correptus est,* & 56 *Placentiam ægrè perductus Mense Augusto infeliciter Spiritum reddidit; ac cæteri pariter quicunque indignè communicassent, omnes eodem anno miserabiliter interierunt.* Ita Spondanus *Anno 868. n. 4.* Et Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. n. 127.*

Ad repudium Richardæ, seu Richildis Uxoris Regis Caroli Crassi, ac Imperatoris *Anno 888.* peractum, ad illius injustitiam ostendendam satis est innuere celerem punitionem in eundem Imperatorem à Deo immissam, quam P. Antonius Foresti in ejus Vita *libr. 23. c. 7.* narrat his 57 verbis: *Questo ripudio, che scandalizzò il mondo tutto, diè l' ultimo crollo alla fortuna di Carlo Grasso; avvegnache li Tedeschi, & i Franchi sentendo da una parte gl' Italiani à trattare di rimettere in capo ad un Nationale la Corona d'Italia, e scorgendo dall' altra l' impotenza di Carlo, preso il di lui Nipote Arnolfo, naturale di Carlomanno, lo salutano Imperatore; e tratte di dosso al Grasso le insegne Auguste, gli danno per Reggia una cella sotto la tutela di Arnolfo stesso, che fù sì scarso nel fare le spese al Zio infelice, che à pena bastavano à non morire dalla fame. Nè tardò egli più di sei settimane à terminare li suoi giorni.*

Ad dimissionem Bertæ Uxoris Philippi Regis Francorum per eum factam *Anno 1094.* facile est responsum, quòd fuerit injusta, & novum ejus Matrimonium irritum; siquidem ipse Philippus Rex fuit excommunicatus tum in Concilio Gallicano sub Legato Sedis Apostoli- 58 cæ *eodem Anno 1094.* ut ibi narrat Spondanus *n 2.* tum ab Urbano Papa II. in Concilio Claramonti *Anno 905.* ut pariter ibidem advertit Spondanus *n. 3.* donec pœnitentiam agens, ac pellicem pellens ab eodem Urbano II. meruit absolutionem obtinere.

Ad

Ad Repudium, quod fecit Othocarus, seu Primislaus Rex Bohemiæ *Anno* 1260. de propria Uxore, ut aliam duceret, dici potest, quòd ejus primum Matrimonium fuisset ratum, non autem consummatum, attestantibus Historicis, quòd Uxor prima, ante Matrimonium, Votum
59 fecerat Virginitatis, & quòd post Matrimonium ingressa est Monialium Monasterium; ubi profitendo solemniter Religiosam vitam justam causam dedit Othocaro solvendi nexum maritalem, & aliam Uxorem ducendi; quod fieri posse constat *ex cap. Desponsatam. 27. q. 2. ex cap. ex publico. Et ex cap. Ex parte tua. De Convers. Conjugat.* novissimè Concil. Trid. *d. sess. 24. de Matrimon. can. 6.* Vel dicamus, si professionem religiosam non emisit, quòd Othocarus impetravit à Summo Pontifice dispensationem ipsius Matrimonii rati, non consummati, quem dari posse concedunt Theologi, ac Canonistæ, ut demonstrat Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. art. 12. per tot.* & probat Mastrius *d. disp. 7. de Matrim. num. 199.* idcircò subdit Raynaldus ad *d. Annum* 1260. *num. 21.* eundem Othocarum, seu Primislaum Regem se justificasse apud Summum Pontificem Romanum circa repudium prædictum.

Ad repudium Mariti factum per Fabiolam respondet S. Hieronymus *d. tom. 1. ad Ocean.* eam illud fecisse per errorem, ac proindè pœnitentiam egisse. Audiantur Sancti Doctoris
60 Verba: *Fabiola, quæ, dimisso primo adultero marito, secundum sortita erat Matrimonium, quia persuaserat sibi, & putabat, à se jure Virum dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus Viris, fœminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis, & antiquis moror, quærens excusare culpam, cujus pœnitentiam ipsa confessa est.* Igitur Fabiola, dimisso primo marito adultero, eo vi-
61 vente nupserat alteri per errorem. At error non præjudicat veritati. *l. Cum quidam. §. Quod dicitur. ff. de Acquiren. hæred.* Dynus *de Regul. Jur. cap. Beneficium. num. 33.* Et ex his omnibus evacuata remanet quæcunque objectio, quæ ex Historiis, & ex facto hominum videbatur fieri contra insolubilitatem Matrimonii.

Porrò difficiliùs videtur respondere objectionibus deductis ex tenore Sacrorum Canonum supra *à num. 9. & infra* allegatorum. Nihilominùs *ad cap. Uxor. 32. q. 7.* ad illa Verba: *Non subdit de Viro, quod de Uxore præmisit, quia Viro licet ducere aliam*, quæ quidem verba dicuntur esse S. Ambrosii super *Epist. 1. D. Pauli ad Cor. cap. 7.* Triplex datur responsio: Prima est, quòd illa Verba non sunt S. Ambrosii; sed addita ab aliquo hæretico, ut fingeret sibi aliquem Patronum illius opinionis; quod satis probatur ex eo, quia alibi S. Ambrosius scripsit totum contrarium; & docuit, neque Uxorem, neque Maritum, facto inter se repudio, posse alias nuptias contrahere, vivente altero, ut in ejus *Commentar. super S. Luc. cap. 16.* Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. num. 94.* Secunda responsio est, quòd ea verba sunt intelligenda post mortem Uxoris adulteræ; itaut dicere voluerit S. Ambrosius, (si ejus sunt verba illa) licere Viro ducere aliam, præmortua adultera, non licere ipsi adulteræ nubere alii præmortuo Viro, quia antiquitùs in pœnam commissi adulterii, mulier tanti criminis rea non poterat secundum Matrimonium contrahere, quamvis esset præmortuus primus maritus, ut ex Concilio Forojulien. supra *num. 28* & ex Morino *de Sacram. Pœnit. lib. 5. cap. 21.* notatum est *supra num. 42.* Ita Glossa *in d. cap. Uxor. 32. q. 7.* Tertia responsio est, quòd S. 63
Ambrosius retulerit dicta Verba ad concessionem Juris Civilis, cujus erat doctissimus; non autem ad Legem Evangelicam; itaut dicere voluerit de Jure Civili Vir, facto repudio, potest aliam Uxorem ducere; Uxor non potest alii Viro nubere. Ita Barbosa in *Collect. DD. ad d. cap. Uxor. 32. q. 7.* ubi alios DD. hanc interpretationem approbantes citat. Quidquid sit de veritate, aut vero sensu eorumdem verborum dato, licèt non concesso, quòd ea S. Ambrosius protulerit, cùm habeamus tot Con- 64
cilia contrarium docentia, horum diffinitiones amplectere debemus, quia hæ prævalent dictis Sanctorum Patrum. *cap. De libellis dist. 20.* cùm hæ sint infallibiles, illa non. Ita idem Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. num. 94. in fin.*

Ad *Cap. Quod proposuisti. 32. q. 7.* in quo videtur Gregorius III. dissolvere Vinculum Matrimonii ob supervenientem infirmitatem Uxoris; respondetur Primò, ea verba non esse Gregorii III. quia in ejus septem Epistolis, *tom. 3.* 65
Concilior. par. 1. contentis, non reperiuntur. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput. 16. num. 133. & num. 161.* nec non Barbosa *de Jur. Eccles. Univers. libr. 1. cap. 2. num. 60.* ubi dicit, ea esse Beati Gregorii I in Epistola ad Augustinum; sed Eminentiss. Cardin. de Lauræa subdit *d. num. 161.* illam nullibi potuisse reperire. Sed estò sit S. Gregorii Magni, vel Gregorii III. respondetur Secundò, intelligi de Sponsa de futuro, cum qua solvi possunt sponsalia ob supervenientem infirmitatem insanabilem, ut suo loco infra dicemus, agendo de Sponsalibus. Ita Eminentiss. Cardin. Bellarminus *de Matrim. cap. 17.* sed hæc responsio non placet Soto *in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. ad finem*, neque Emin. Card. de Lauræa *d. n. 133.* Respondetur Tertiò, illum textum intelligendum esse de Uxore, quæ ante Matrimonium initum erat inhabilis ad copulam ob infirmitatem insanabilem, puta quia erat arcta, & à marito non poterat carnaliter cognosci; idcircò Matrimonium erat nullum, ut explicabimus infra ad impedimentum Impotentiæ ad copulam, quod dirimit Matrimonium *ex cap. Ex litteris. De frigid. & Maleficiat.* Ita Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 1. punct. 7. Vers. Quintò objicit.* Carranza *in Summ. Concilior. pag. 283.* Menochius *de arbitr. Judic. casu 420. n. 95.* Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 80. n. 16. Vers. ad 5.* Et quia textus videtur loqui de Matrimonio valido, post cujus contractum legiti-

mum infirmitas supervenit respondetur Quartò, intelligendum esse de Matrimonio validò quidem, sed tantùm rato; non autem adhuc consummato, in quo Summus Pontifex potest dispensare, & ob legitimam causam ejus Vinculum dissolvere, ut concedunt omnes DD. in *cap. Ex publico 7. De Convers. Conjug.* Et nos infra docebimus de Matrimonio Rato *Decis. XII.* Ita Barbosa *d. libr. 1. cap. 2. num. 60. in fin.* & in Collectan. DD. *ad d. cap. Proposuisti. 32. q. 7.* qui textus est sanè difficilis, & opus esset, originalem Epistolam, à qua Gratianus illum desumpsit, præ oculis habere, ut ea tota perspecta sensus horum verborum posset veraciter comprehendi; cùm pro certo sit tenendum, Summum Pontificem non respondisse contra Evangelium, aut contra tot præcedentia Concilia, & dicta Patrum, quibus diffinitum erat, Matrimonium consummatum legitimè initum, ex quacunque supervenienti causa, esse insolubile.

Ad *cap. Concubuisti, 32. q. 7.* in quo Zacharias Papa videtur concedere Uxori innocenti, quòd, repudiato Marito adultero, & incestuoso, *nubat in Domino cui vult*; ipso autem Marito, ac adultera absque spe conjugii permanentibus: Respondetur, Pontificem intellexisse de conjugio ab Uxore contrahendo post 66 mortem Viri prædicti adulteri, ac incestuosi. Ita Eminentiss. Cardin. Bellarminus *libr. 1. de Matrim. cap. 17.* & Eminentiss Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. eod. tract. num. 145.* ubi subdit, non esse frustratoriam illam Pontificiam declarationem; quia cùm de Jure prohibitum sit conjugibus incestuosis, soluto primo Matrimonio, per mortem unius ex ipsis, secundas Nuptias contrahere, *cap. Quidam. 27. q. 2. cap. Si quis viduam. & cap. Si quis cum noverca. 32. q. 7.* Zacharias Papa declaravit, Uxorem Mariti incestuosi innocentem non esse comprehensam in illa prohibitione, & ideò post mortem Viri posse alii nubere.

Ad *cap. Cum in captivitate. 34. q. 4.* in quo Innocentius Papa I. dixit, quòd si prima Uxor non fuerit ejecta per divortium, Maritus non potest permanere cum secunda; unde à contrario, si sit ejecta per divortium videtur solvi Vinculum Matrimoniale, & posse permanere cum secunda: Respondet Emanuel Gonzalez *Comment. in cap. 1. de Divort. num. 13.* 67 his verbis: *Dicendum est, ea Verba, nec divortio ejecta, referenda esse ad casum, quo Matrimonium nullum declaratur; quia celebratum fuit in gradu consanguinitatis, vel affinitatis, seu cum alio impedimento irritante, quo casu cùm Matrimonium nullum declaretur, rectè possunt conjuges ad aliud transire: tunc autem latè fieri divortium dicitur, cùm verè Matrimonium nullum fuerit.* Glossa *ibi V. Ejecta*, quam sequitur Turriscremata, *Et hac solutione intelligendi sunt textus in cap. Querimoniam. De Jurepatron. & in cap. 1. hoc. tit. de Divortiis.* Huc usque Gonzalez.

Ad *cap. Laudabilem. 1 De Convers. Infidel.* in quo cùm quidam Maritus apostatasset à fide, ac ejus Uxor postea alteri nupsisset, & demùm cùm primus Maritus iterùm reversus esset ad fidem, ac suam Uxorem peteret, Cœlestinus Papa Tertius, (creatus Pontifex *Anno 1191.*) ait: *Non videtur nobis quòd eadem à secundo debeat recedere, & resignari priori.* Plures dantur à DD. resolutiones. Prima, ac præcipua, quòd illa Verba sint apocrypha, minimè prolata ab illo Summo Pontifice, doctissimo, ac in scientia Sacrorum Canonum versatissimo; sed sint subinserta ab aliquo hæretico, vel inimico ejusdem Pontificis. Duo sunt fundamenta hujus responsionis; Unum quòd tempore Cœlestini Tertii vivebat Theodorus Balsamon hostis accerrimus Romanorum Pontificum, à quo fuerunt canones compilati, & de quo ita scribit P. Antonius Foresti in vita ejusdem Cœlestini Tertii in *Mappamundi tom.* 69 *3. Anno 1196. pag. 527. num. 5. Ai tempi di Celestino fiori Teodoro Balsamone, riputato uno de gran Savii dell' età sua, se l' altro, & il livore contro i Romani Pontefici non havesse di troppo ecclissata la sua gloria. Egli ne' scritti suoi li intitola Patriarca Antiocheno, ma fù solo di nome, perche il Patriarca Latino di essa Chiesa, sedendo come Signore, non permetteva, che vi si accostasse il Patriarca Greco ad inquietarla. Egli però sapendo, ciò essere per ordine de i Romani Pontefici, non lasciò ne i suoi scritti di lacerarli, e renderli odiosi à i Greci, principalmente nella sua compilatione de i Canoni, inserendone alli veri de i falsi, & apocrifi.* Idem observat, & notat Spondanus *ad Annum 1193. num. 5.* Aliud fundamentum est, quod in collectione Canonum in quinque Libris Decretalium facta per S. Raymundum de Pennaforti *Anno 1230.* jussu Gregorii Papæ Noni, 70 prædicta verba, & responsum Cœlestini III. *quòd Uxor illa non debeat à secundo recedere, & resignari priori marito*; non reperiuntur, ut testatur antedictus Eman. Gonzalez *in Comment. ad d. cap. 1. De Convers. infidelium num. 3. pag. 504.* ideò non levis est suspicio, ea ab Hæreticis, vel Schismaticis apposita. Sed estò, ea pronunciasse Cœlestinum III. respondetur secundò, esse intelligenda de Matrimonio rato, non consummato cum Apostata, quod à Papa dispensari potest, ut dictum est supra *num. 59* Respondetur tertiò, Cœlestinum III. non ita definisse tanquam Summum Pontificem, seu ex Cathedra; sed sic opinatum esse uti Doctorem privatum, forsan quia eo tempore nonnulli opinabantur, per hæresim, sivè apostasiam à fide solvi Matrimonium quo ad vinculum, & conjugem fidelem posse alterinubere; quod postea falsum esse declaravit Innocentius III. Successor ejusdem Cœlestini *in cap. Quanto. 7. De Divortiis.* Ita Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. num. 130. & 131.* & nos de eodem Cœlestino diximus de Sacramento Pœnitentiæ *Decis. XIX. sub num. 21. Vers. Ad sextum.*

Ad Novellam Constitutionem Justini Imperatoris de Anno 566. existentem *in Libr. Authenticor.* sub Titulo: *Ut possit consensu dissolvi Matrimonium.* Satis est dicere pro ejus confutatione, contrariare Evangelicæ Veritati; & 71

ante-

antecedenti Novellæ Constitutioni 117. *cap.* 10. Justiniani Imperatoris Prædecessoris, & Avi sui, quæ legitur *in Auth. Quod hodie, C. de Repudiis*, & de qua meminit Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 2. Sed quibus moribus fuerit imbutus Justinus, narrat Spondanus ad *d. Ann.* 566. *num.* 3. his verbis: *Sed ut ad Justinum redeamus, felix planè ipse extitisset, nisi avaritia, & turpi vita fœdasset, quæ ipso sui Imperii exordio laudabiliter peregisset. Ait enim Evagrius, deliciis eum defluxisse, & mollitie, in voluptatibus obscenis voluptatum esse.* Et paulò post: *Atque sensim in deteriora lapsus, hoc item anno, alia promulgata Constitutione, communi conjugum consensu dissolvit Matrimonium posse sancivit; quæ quidem malè inter Justiniani Novellas* 140. *adnumerata habetur, cùm ipse ejus lator Justinus in ea testetur expresse, diversam Justiniani de ea re fuisse sententiam.* Nullius itaque roboris est Constitutio illa, quam Lex Justiniani Cæsaris Prædecessoris reprobat; & tota Ecclesia Catholica anathematizat. Et nihilominùs ex hoc lutulento fonte errorem solubilitatis Matrimoniorum, tanquam putidam aquam, hauriunt, & bibunt Græci Schismatici; contra quos declamat præ- laudatus eruditissimus Abbas Papadopoli hujus nostri celeberrimi Gymnasi Patavini publicus Sacrorum Canonum Professor *in dd. suis Prænotionib. Mystagogic. Resp.* 6. *sect.* 4. *à n.* 12. *& segq.* ubi cumulat innumeros penè Canones, & Patres, potissimùm Græcos, qui ab Ecclesiæ incunabulis, & successivis temporibus semper docuerunt, Vinculum Matrimonii consummati in Ecclesia Catholica fuisse, ac esse insolubile. Hinc quo ad Græcos Catholicos sub Regimine Ordinariorum Catholicorum viventes Clemens VIII. *Anno* 1595. *Constit.* 34. §. 5. ita sancivit: *Matrimonia inter Conjuges Græcos dirimi, seu divortia quo ad Vinculum fieri nullo modo permittant, seu patiantur. Et si qua de facto processerunt, nulla, & irrita declarent.*

Restat, ut respondeamus ultimæ objectioni deductæ ex verbis Evangelii *Matth.* 19. 9. in quibus Dominus noster dixit: *Quicunque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ex quibus deduci posse videtur, *Quicunque dimiserit Uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur.* At hæc deductio est erronea, falsa, & hæreticalis, attentis tot, & tantis Conciliis, dictis SS. Patrum, atque Summorum Pontificum, supra allegatis, quibus definitum est; dimittentem adulteram Uxorem, ut aliam ducat, mœchari; & eum, qui ducit adulteram dimissam pariter mœchari. Igitur vera interpretatio supradictorum Verborum Christi Domini *Matth.* 19. 9. est, eum fuisse locutum, & de dimissione Uxoris quoad thorum, atque habitationem tantùm; & de dimissione quoad Vinculum pro alia Uxore ducenda. In prima dimissione dicit, eam esse licitam, si Uxor commiserit fornicationem, & facta sit adultera. In secunda dimissione dicit, non esse licitam, quia qui dimissa prima Uxore, etiam fornicationis causa, aliam duxerit, mœchatur, & qui illam dimissam duxerit, mœchatur. Ita omnes Scholastici, Moralesque Theologi, ac Canonistæ, S. Thomas *in* 4. *sent. dist.* 35. & *ibidem* Scotus, S. Bonaventura, Durandus, & alii. Gonetus *tom.* 5. *tract.* 8. *disp.* 5. *n.* 49. Sanchez *de Matrim. lib.* 10. *disp.* 2. *sub n.* 3. ubi alios cumulat; Cotonius *d. lib.* 5. *Controver.* 2. *c.* 3. *n* 98. Thomas Tamburinus *de Triplici Jure libr.* 8. *tract.* 5. *cap.* 6. & præter Scripturistas infra citandos, novissimè Emin. Card. de Laurea, ac doctissimus Mastrius, quorum Verba tanquam Magistralia non me piget hic transcribere, pro majori Parochorum, ac Studentium gratificatione.

Itaque Emin. Card. de Laurea *d. disp.* 16. *de Matrim. num.* 93. ita loquitur: *His autem rationibus, ac decretis suppositis manifestè declaret, quinam sit sensus verborum Christi* Matth. 19. 9. Quicunque dimiserit Uxorem suam &c. *Sensus ergo est, quòd cùm Christus repudium in præcedentibus verbis, & omnem aliam dimissionem reprobaverit; concedit, quòd ex causa fornicationis possit quis dimittere Uxorem quoad cohabitationem, & thorum; non tamen quo ad Vinculum; ideòque si dimittens aliam ducit, mœchatur; & qui dimissam ducit, mœchatur, quia vinculum non est solutum. Et sic patet, quòd idem dicit Matthæus, quod Lucas & Marcus.*

Mastrius verò *in* 4. *sent. disp.* 7. *de Sacram. Matrimonii num.* 188. hæc scribit: *Ad fundamentum in oppositum sumptum ex verbis* Matth. 19. 9. Quicunque dimiserit Uxorem suam &c. *respondetur ex doctrina Patrum, Conciliorum, & rescriptis Pontificum in repudio, seu perfecta dimissione quoad vinculum duo esse considerandа, nempè dimissionem unius, & potestatem ducendi aliam. Christus igitur in præfatis verbis hæc duo distinguit; & unum in causa fornicationis concedit, scilicet dimissionem; alterùm verò, scilicet potestatem ducendi aliam, omninò abrogavit: alioquin esset manifesta contradictio cum præcedentibus verbis, quibus repudium, quod erat in Lege Mosayca permissum, & solutionem quoad vinculum omninò reprobaverat. Solùm ergo concedit illis verbis, quòd ex causa fornicationis possit quis uxorem dimittere quoad cohabitationem, & thorum; non tamen quoad vinculum; nec in ullo casu permittit, licere aliam ducere, priore conjuge vivente, quia vinculum non est solutum; & sic patet, quod idem dicit Matthæus, quod Lucas, & Marcus, & in hoc sensu hunc locum exposuit præsertim Augustinus libr.* 2. *de Adult. Conjug. cap.* 9.

Hanc eamdem explicationem faciunt omnes Scripturistæ *in Comment. super Matth. cap.* 19. 9. Nempè Lyranus, Abulensis, Maldonatus, Stapletonius, Cornelius à Lapide, Tirinus, Barradius, Menochius, & novissimè Magrius in fine sui Hierolexici, seu Dictionarii Sacri, in suis apparentibus contradictionibus Sacræ Scripturæ conciliatis *ad d. Verba S. Matth.* 19. *Vers.* 9. à Studiosis videndus. Ex quibus omnibus

mnibus firmatur supra exposita doctrina, quòd in Ecclesia Catholica vinculum Matrimonii legitimè initi, & consummati est prorsùs indissolubile, excepto casu conversionis ad fidem unius conjugis infidelis, si alter conjux nolit se convertere; & excepto casu Matrimonii rati, non consummati, si unus conjux velit ingredi Religionem; de quibus duobus casibus agendum est in sequentibus Decisionibus.

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Etsi Matrimonia Infidelium sint insolubilia; ea tamen, etiam consummata, si unus conjux convertatur ad Fidem, dissolvi posse ex Christi dispensatione, in favorem Fidei concessa, ostendit hæc Decisio. Circa quam solutionem quatuor gravissima Dubia examinantur, & resolvuntur. 1. Quo tempore prædicta solutio fiat? 2. An Conjux infidelis sit priùs monendus, ut se convertat? 3. Quid agendum si infidelis non reperiatur? vel ob nimiam distantiam moneri non possit? 4. An Conjux fidelis teneatur cohabitare cum infideli nolente se convertere, sed offerente secum vivere absque injuria Creatoris, & sine pertractione ad peccatum?

SUMMARIUM.

1 *Infidelium Matrimonia sunt valida, & insolubilia.*
2 *Bigamia an afficiat infideles?*
3 *Infidelium Matrimonia solum à Deo solvi possunt.*
4 *Inferior nihil potest in legem Superioris.*
5 *Infideles an possint mutuo dissensu solvere Matrimonium?*
6 *Christus tanquam Filius Dei concessit, solvi posse Matrimonium infidelis conversi ad fidem.*
7 *Dispensatio prædicta habetur non per Scripturam, sed per Apostolicam Traditionem.*
8 *Traditionibus Apostolicis Ecclesia regitur.*
9 *S. Pauli Apostoli verba circa Matrimonia Infidelium.*
10 *Prædicta verba sunt de consilio, non de Præcepto.*
11 *S. Monica maritum habebat infidelem, patrem S. Augustini.*
12 *Fidelis an teneatur cohabitare cum conjuge infideli?*
13 *Discessus infidelis à fideli conjuge solvit Vinculum Matrimonii.*
14 *Infidelium Matrimonia quando solvantur quoad Vinculum?*
15 *Solutionis eorundem ratio.*
16 *Innocentii III. verba* in cap. Quanto, & cap. Gaudemus. De Divort.
17 *Solutio Matrimonii per conversionem ad fidem, quo tempore fiat.*
18 *Conditiones tres pro solvendo Matrimonio ad fidem conversi.*
19 *Matrimonium conversi ad fidem secundum solvit primum.*
20 Cap. Infidelis. 28. quæst. 2. *declaratio.*
21 *Fidelis conversus monere debet conjugem infidelem, ut convertatur.*
22 *Monitio prædicta an extrajudicialis sufficiat?*
23 *Judex Ecclesiasticus, ac Laicus potest infidelem monere, ut se convertat, alter &c.*
24 *Formula monitionis, & interpellationis Conjugis infidelis.*
25 *Moneri si Infidelis non possit, quid agendum?*
26 *Voluntas declaratur verbis, & facto.*
27 *Dispensatio Pontificia requiritur, si infidelis conjux moneri non possit.*
28 *Gregorii XIII. Bulla pro dispensatione cum conversis ad fidem ad hoc ut nova Matrimonia possint contrahere.*
29 *Dispensatione prædicta quando opus sit, & quando non?*
30 *Fidelis conjux an teneatur cohabitare cum infideli nolente converti? Quod teneatur.* num. 31.
32 *Quod non teneatur rationes plures.*
33 *Judæorum odium maximum in omnes Christianos.*
34 *B. Simoncinus puer excarnificatus vivus à Judæis.*
35 *Conc. Toletani IV. Canon circa conjuges Infideles.*
36 *Mulieres, & Vinum faciunt apostatare Sapientes.*
37 *Drahomira Paganæ Matris S. Wenceslai iniquitas.*
38 *Judæis conversis prohibita conversatio cum aliis Judæis.*
39 *Judæis non licet habitare extra Ghettum.*
40 *Cæsara Reginâ Persarum ad fidem conversa recusat cohabitare cum marito, nisi se convertat.*
41 *Temporum diversitas attendenda circa conversos ad fidem.*
42 *Gentiles sunt minùs infensi, quàm Judæi.*
43 *Consuetudo regionum attendenda circa cohabitationem fidelis conjugis cum infideli.*
44 *Arbitrium Episcopi attendendum circa dicohabitationem.*
45 *Fidelis non tenetur, sed si velit, potest cum infideli conjuge habitare.*

CUm itaque duo dentur casus, in Lege Evangelica, dissolvendi Vinculum Matrimonii antea initi; videlicet si ex infidelibus conjugatis unus convertatur ad fidem, alius verò nolit se convertere; & si ex fidelibus, cùm Matrimonium est ratum, Unus velit ingredi Religionem; ideò in præsenti Decisione de primo casu est differendum.

Pro intelligentia dicendorum tria præmittere oportet. Primum est; quòd Matrimonia infidelium, qui non deducunt in pactum expressè, vel tacitè ejusdem contractus dissolutionem, sunt Matrimonia vera, valida, & insolubilia, ut ostendimus supra *Decis. VIII. num.* 42. & 43. & probatur per *texta in cap. Uni-*

co,

co. *De Voto, & Voti redempt. in* 6. ubi Bonifacius Papa VIII. sic loquitur: *Matrimonii Vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in Paradiso, & in statu innocentiæ instituente, unionem, & indissolubilitatem acceperit.* Item Innocentius III. *in cap. Gaudemus. De Divortiis* sic inquit: *Qui autem secundùm ritum suum legitimam repudiavit Uxorem; cùm tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam etiam ad fidem Christi conversus habere.* Cur ita? Quia primum Matrimonium initum cum Uxore, quam repudiavit, etsi inter Virum, & Fœminam infideles initum, fuit Matrimonium validum, atque insolubile. Et propter eamdem validitatem, si infidelis, mortua prima Uxore, aliam duxerit, bigamus evadit. *cap. Deindè. dist.* 26. 2 *& cap. Debitum. De Bigamis non ordin.* Idcircò cùm Christus Dominus *Matth.* 19. 6. dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* censetur locutus præcisè de insolubilitate Matrimoniorum per infideles initorum; quia tunc Christiani non aderant. *cap. de infidelibus. De Consanguin. & Affin.* Ita notat Emin. Card. de Lauræa *disp.* 16. *de Matrim. n.* 219. loquens de insolubilitate Matrimoniorum, quæ infideles contrahunt inter se ipsos. Idem docent Salmanticenses *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 4. *num.* 33. *&* 34.

Secundò præmittere oportet, quòd prædicta insolubilitas Matrimoniorum etiam inter infideles initorum, est à Deo, itaut ipsorum infidelium Matrimonia sint insolubilia de Jure Divino, ut scripsimus supra *Decis. VII. num.* 25. & constat ex *d. cap. Unico, de Voto in* 6. & ex 3 Concil. Trid. *sess.* 24. *cap. Unic. de Matrim.* ex quo sequitur, quòd prædicta Matrimonia infidelium nulla alia lege possunt solvi, nisi Lege Divina; nam omnis res quascunque causas nascitur, per easdem resolvitur. *cap. Omnis. De Regul. Jur. in* 6. Et nullus inferior potest solvere legem Superioris, neque in ea dispensare. 4 *Clem. Ne Romani. De Elect.* quod si facere præsumat, irritum erit omne factum. *cap. Imperialt. cap. Rescripta. & cap. Decenti.* 25. *quæst.* 2. Hinc sequitur, quòd neque ipsi infideles, dum vivunt in infidelitate, possunt ex proprio consensu sua Matrimonia dissolvere; 5 neque si ambo convertantur ad fidem; aut unus eorum tantùm propria auctoritate; imò secundùm alios neque auctoritate Summi Pontificis, qui non potest solvere Legem Divinam. *cap. Sunt quidam.* 25. *quæst.* 1. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *num.* 218. Quapropter solutio Matrimonii, de qua nunc sumus acturi, quando Unus ex conjugibus convertitur ad fidem, & alter non vult converti, neque vult habitare cum converso absque Creatoris injuria, vel instigatione ad peccatum; prædicta, inquam, solutio Matrimonii procedit ex mera di- 6 spensatione Divina, quam Christus Dominus, Dei filius, *cui omnia dedit Pater in manus. Joan.* 13. 3. Et cui data fuerat *omnis potestas in Cœlo, & in terra: Matth ult.* 18. reliquit in Ecclesia in favorem Fidei; ut testantur omnes Theologi, ac Scripturistæ, quos longa serie allegat Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 74. *num.* 4. Quibus novissimè adstipulantur Salmanticen. *d. cap.* 4. *n.* 36. doctissimus Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 7. *num.* 193. Emin. Card. de Lauræa *ante d. disp.* 16. *n.* 170. *& seqq.* & Gonetus in Clypeo Theologiæ Thomisticæ *tom.* 5. *disp.* 5. *de Matrim. num.* 103.

Tertiò præmittendum est, quòd hæc dispensatio facta à Christo habetur in Ecclesia non per Scripturam, sed per Apostolicam traditionem, quam Apostolus Paulus promulgavit 1. *Cor.* 7. 10. per verba mox referenda; à quibus 7 edocta est Ecclesia, hanc dispensationem, & Privilegium solutionis vinculi Matrimonialis sibi competere, quando conjux infidelis remanet obstinatus in infidelitate, & non vult habitare cum suo conjuge converso ad fidem, nisi cum contumelia Creatoris, vel ut inducat conversum ad peccatum; ut differit S. Augustinus *in cap. Sic enim.* 28. *q.* 1. Innocentius III. *in cap. Quanto;* & *in cap. Gaudemus, de Divortiis;* & advertit Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *num.* 177. ita scribens: *Respondetur, ut supra, ab ipsomet Deo esse dispensatum, ut in eo casu Vinculum solvi possit. Apostolus autem sciens Christi dispensationem, eam promulgavit; & Ecclesia semper eum discessum intellexit de separatione vinculi.* Traditio- 8 nes autem Apostolicæ habentur non solùm scripto, sed verbo; & his Ecclesia regitur *cap. Catholica dist.* 11. & ab omnibus fidelibus sunt credendæ, & observandæ. *cap. Si quis omnem.* 1. *quæst.* 7. Conc. Trid. *sess.* 4. *cap.* 1. Verba Apostoli Pauli 1. *Cor.* 7. 10. sunt sequentia, quorum prima pars dirigitur ad utrosque conjuges fideles; pars verò secunda ad conjugem fidelem, qui ante suam conversionem contraxerat Matrimonium cum infideli, & cujus conjux adhuc vivit infidelis. Ait itaque Apostolus ad ambos Uxoratos fideles: *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam aut Viro reconciliari. Et Vir uxorem non dimittat.* Quando autem unus ex conjugibus est fidelis ad fidem conversus, alter verò est infidelis, subdit Apostolus: *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater Uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo,* 9 *non dimittat illam. Et si qua mulier habet Virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat Virum; Sanctificatus est enim Vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Hucusque Apostolus. In cujus verba Theologi, ac Canonistæ duas faciunt observationes scitu necessarias.

Observatio prima est, quòd Apostolus Paulus dum inquit: *Si quis frater Uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo,* 10 *non dimittat illam &c.* loquitur ex consilio, non ex præcepto; ut patet ex ejus verbis antecedentibus: *Nam cæteris ego dico non Dominus.* Et ideò Dominus non prohibuit fideli converso

dimittere conjugem infidelem volentem habitare cum illo, nec præcepit, ut illum debeat retinere, si nolit baptizari; sed Apostolus Paulus consuluit eidem fideli converso, ne illum dimittat ob spem facilioris conversionis ejusdem infidelis cohabitantis cum conjuge fideli; ut innuit in sequentibus verbis: *Sanctificatus est enim Vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per Virum fidelem*: ut narrat S. Au-
11 gustinus *lib. 9. Confess. cap. 9.* de S. Monica Matre sua, quæ cùm esset Christiana non recusavit, ut secum habitaret Patricius infidelis ejus Maritus; cujus conversionem ad fidem tractu temporis est assecuta. Hinc inferunt Doctores, quòd conjux conversus ad fidem non est obligatus adhærere conjugi suo volenti remanere in
12 infidelitate, etsi velit cohabitare cum ipso converso absque injuria Creatoris, aut Christianæ fidei; ut disputabimus infra *num.* 30. quia hæc obligatio cohabitandi, & non dimittendi urget tantummodò, quando conjux infidelis convertitur & ipse ad fidem, fitque fidelis. *cap. Sic enim. 28. quæst. 1. cap. Si infidelis. 28. quæst. 2.* S. Thomas *in Supplem. 3. p. quæst. 59. art. 3.* Salmanticenses *tract. 9. de Matrim. cap. 4. n. 40.* ubi subdunt hanc rationem: *Quia sicut per adulterium amittit jus Adulter ad cohabitandum cum innocente; & potest iste quò ad thorum separari: etiamsi alter pacificè velit commorari cum eo: sic ratione perseverantiæ in infidelitate, quæ est adulterium spirituale, amittit infidelis Jus ad cohabitandum cum fideli.* Aliam rationem allegat S. Thomas *d. p. 3. quæst. 59. art. 4. in corp.* his verbis: *Qui moritur priori vitæ, non tenetur ad illa, ad quæ in priori vita tenebatur. Et indè est, quòd ille, qui in vita sæculari existens aliquà vovit, non tenetur illa, quando mundo moritur, vitam Religiosam assumens, perficere. Ille autem, qui ad Baptismum accedit, regeneratur in Christo, & priori vitæ moritur, cùm generatio unius sit corruptio alterius, & ideò liberatur ab obligatione, quà conjugi tenebatur.*

Observatio secunda est; quòd per illa verba Apostoli Pauli: *Quod si infidelis discedit, discedat &c.* non est intelligendus discessus
13 tantummodò quoad thorum, & habitationem, sed etiam quo ad Vinculum Matrimonii, quod omninò solvitur. Et hoc probatur tum quia Apostolus ponit differentiam inter separationem fidelium ex justa causa, & separationem infidelium ob conversionem unius ad fidem: de primo asserit, quòd mulier maneat innupta, quando Vir discedit ab ea; sed id non asserit in secundo. Ergo in isto fit solutio Matrimonii quoad Vinculum. Tum quia si solùm loqueretur de separatione conjugum quoad thorum, & habitationem tantùm, non esset dispar ratio inter mulierem fidelem, & mulierem infidelem, quando Viri discedunt ab eis. Siquidem mulier fidelis uxorata cum fideli, si deseratur ab eo, remanet ei alligata quo ad vinculum Matrimonii, nec potest alii nubere. Ergo mulier infidelis uxorata cum infideli conversa ad fidem, si Maritus infidelis discedat ab illa, nolens Christianam fidem amplecti; ultra hoc debet habere, quòd discessus sit quo ad Vinculum; itaut in nihilo maneat subjecta Marito Infideli, & possit cum alio nuptias inire. *cap. Quanto, & cap. Gaudemus. De Divort.* Salmanticenses *d. cap. 4. de Matrim. num. 36.* Mastrius *in 4. Sent. disp. 7. num. 193.* ubi citat S. Thomam, S. Bonaventuram, & Scotum ità docentes *in 4. dist. 39.* nec non S. Ambrosium *in cap. Si infidelis, 28. quæst. 1.* ac S. Gregorium Magnum *in cap. 2. 28. quæst. 2.* Idem scribit Cornelius à Lapide *Commentar. in 1. Cor. 7. 15. Verl. Nota.* Tamburinus *libr. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 5. & 3.* & Emin. Cardinalis de Lauræa *d. disp. 16. de Matrimon. num. 164.*

His ita præmissis, ac prænotatis; Catholicæ Ecclesiæ constans est doctrina, quòd Matrimonia infidelium legitima, & valida quamvis inter eos consummata, solubilia sunt quo ad 14
Vinculum tunc, & quando unus conjugum infidelium amplectitur Christianam fidem, & baptizatur; alter verò recusat baptizari, & vult remanere in sua infidelitate; & hæc vinculi Matrimonialis solutio fit per dispensationem concessam à Christo Domino in favorem fidei, & promulgatam ab Apostolo Paulo in supra relatis Verbis 1. *Cor. 7. 15. Quòd si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* circa quæ verba Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. num. 177.* ita ait: *Ab ipsomet Deo est dispensatum, ut in eo casu vinculum solvi possit; Apostolus autem sciens Christi dispensationem, eam promulgavit; & Ecclesia semper eum discessum intellexit de separatione Vinculi. Patet autem ex Augustino in lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap. 18. & segq. (& habetur diffusè in cap. Sic enim 28. quæst. 1.) Apostolicus traditionibus Ecclesiæ innotuisse ex Christi sermone in monte, quando solvi possint conjugia, & quando non? & proindè id docuisse.* Concordant in docendo hanc solutionem Matrimonii esse ex dispensatione, ac Privilegio Christi, Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 73. sub num. 7.* ubi innumeros DD. numerat. Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. num. 193.* Salmanticenses *tract. 9. de Matrim. cap. 4. num. 36.* Diana *part. 9. tract. 7. resol. 47.* Quæ reposita est, in Coordinati Operis *tom. 2. tract. 6. resol. 125. §. 5.* & Thomas Tamburinus de Triplici Jure *lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 5. §. 3. num. 2.*

Ratio autem hujus Divinæ dispensationis fuit, ne fidelis conversus, quando ejus conjux infidelis permanet obstinatus in infidelitate, & non potest habitare cum illo absque injuria Creatoris, vel periculo subversionis, cogatur 15
ducere vitam cœlibem; siquidem nimis grave esset jugum Domini Nostri JESU CHRISTI, si omnes ejus fidem amplectentes adstringerentur ad castitatem observandam, ipso dicente *Matth. 19. 11. Non omnes capiunt verbum istud.* Idcircò concessit benignus Dominus dispensando, & concedendo dispensavit, ut conjux conversus ad fidem, nolente altero fidem amplecti, possit ad alias nuptias transire; & ad hunc effectum dissolutum censeatur vinculum præcedentis Matrimonii initi in infidelitate, etsi inter eos consummati. Ita Salmanticenses *d. cap. 4. num. 37. & 38.* ubi subdunt,

dunt, huic dispensationi non obstare illud. *Matth.* 19.7. *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* quia hæc separatio non fit ab homine, sed ab ipso Deo in favorem fidei Christianæ; neque obstare illud: *Qui dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, Mœchatur, Matth.* 19.9. nam locutus est Dominus ibi de Matrimonio inter fideles contracto, quod dissolvi non debet quo ad thorum nisi ob fornicationem, ut explicatum est supra *Decis. X. num.* 74. & multò minus quo ad vinculum, ut ibi diximus *à num.* 75. *& seqq.* Præsens autem dispensatio concernit Matrimonia infidelium, quæ voluit Christus Dominus posse dissolvi etiam quo ad Vinculum, quando unus ex conjugibus convertitur ad fidem, & alter recusat fieri fidelis, neque ejus cohabitatio est possibilis absque injuria ejusdem fidei, vel cum pertractione ad peccatum. Porrò plura dubia agitantur à Theologis ac Canonistis circa praxim hujus dispensationis; & ideò eadem singillatim sunt hìc referenda, atque declaranda.

Primum dubium est, *Quo tempore solvatur Vinculum Matrimonii duorum conjugum infidelium, quorum unus convertitur ad fidem, baptizatur, & fit Christianus?* Pro intelligentia præsentis dubii, ac se-
16 quentium transcribenda sunt verba Innocentii Papæ III. quæ leguntur in *cap. Quanta.* 7. *& in cap. Gaudemus.* 8. *De Devortiis.* Ita loquitur Pontifex *in cap. Quantò*, paulò post princ. *Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: Infidelis discedit? discedat. Frater enim, vel soror, non est servituti subjectus in hujusmodi. Et canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit Jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur.* Ejusdem autem Pontificis verba *in cap. Gaudemus*, sunt sequentia: *Qui autem secundùm ritum suum legitimam repudiavit Uxorem; cùm tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere; nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso; aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris; vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum; in quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur; quia secundùm Apostolum, Frater, aut Soror non est in hujusmodi subjectus servituti. Quòd si conversum ad fidem, & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat Uxorem, eam recipere compelletur.*

His attentis Decretalibus reassumendo primum supra propositum Dubium; in eo quæruntDD. *Quo tempore solvatur Matrimonium infidelium conjugum, cujus unus ad fidem*
17 *conversus suscepit Sacrum Baptisma?* Et duplex est opinio: Prima tres esse conditiones servandas à baptizato, & converso ad fidem, ad hoc ut dissolvatur vinculum Matrimonii cum ejus conjuge infideli. *Una* est, quòd ipse conjux infidelis nolit venire ad Christianam Fidem. *Altera*, quòd nolens converti, neque velit cohabitare cum conjuge converso absque injuria Creatoris, & sine contumelia Christianæ fidei. *Tertia*, quòd ulteriùs si velit cohabitare, non sit pertracturus conjugem fidelem ad aliquod peccatum. Hæ tres conditiones habentur in *d. cap. Quanto. De Divort.* ibi: *Altero* (idest infideli conjuge) *vel nullo modo, vel non sine* 18 *blasphemia Divini nominis; vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente.* Et repetuntur hæ tres conditiones in *cit. cap. Gaudemus. De Divort.* ibi: *Nisi post conversionem ipsius illa* (idest Uxor infidelis) *renuat cohabitare cum ipso* (conjuge fideli:) *aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum.* Igitur ubi concurrunt hæ tres conditiones, statim earum vi, ac virtute censetur solutum vinculum Matrimonii, initi in infidelitate inter conjugem conversum ad fidem, & conjugem remanentem in infidelitate Hanc opinionem tenent ex Canonistis Archidiaconus, Hostiensis, & Abbas Panormitanus *in d. cap. Quanto; de Divortiis*, & ibi Glossa *in Verb. Contumelia*, ubi ponit hæc carmina;

Desere spernentem, vel blasphemare volentem;
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem:
Nam sunt absque mora sic Vincula rupta priora.

Ex Theologis autem ita sentiunt Richardus *in 4. sent. dist.* 39. *art.* 2. *quæst.* 2. Astensis *in Summa part.* 2. *lib.* 8. *tit.* 21. *art.* 2. *quæst.* 5. Angelus *in Verb. Matrimonium*, 3. *num.* 3. & S. Antoninus *in* 3. *part. tit.* 1. *cap.* 6. Fundamentum hujus opinionis consistit *in cap. Si infidelis.* 28. *quæst.* 2. in quo S. Gregorius Magnus ait: *Contumelia quippè Creatoris solvit Jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur.* Sed quotiescunque conjux infidelis non vult amplecti veram fidem, neque habitare cum conjuge fideli absque blasphemia in Deum, & pertractione ad mortale peccatum, committit contumeliam in Creatorem. Ergo hæ conditiones faciunt, ut solvatur statim vinculum præcedentis Matrimonii. Militat pro hac eadem opinione etiam Ratio: nam hoc Privilegium solvendi vinculum maritale, inter conjugem conversum, & recusantem converti, datum est à Christo Domino in favorem fidei Christianæ. Sed Fides Christiana suscipitur, ac profitetur in Baptismo juxta initium Ritualis Romani *de Sacram. Baptismi*, ibi: *Quid petis ab Ecclesia Dei? Fidem.* Ergo susceptа Fide per Baptismum, statim debet habere locum Privilegium prædictum: & sic per susceptionem Baptismi solvitur vinculum Matrimonii inter fidelem baptizatum, & infidelem nolentem baptizari.

Altera opinio tenet, quòd prædictum vinculum non dissolvatur, nisi quando conjux baptizatus vel contrahit aliud Matrimonium cum fideli; vel solemnem Professionem emittat

in

19 in Religione, de qua verba faciemus infra in *Decis. XII. num.* 3. Fundamenta hujus opinionis sunt sequentia. Primò, quia Fides non destruit Matrimonium, sed perficit, sicut gratia non destruit, sed perficit naturam. Ergo per hoc præcisè quòd alter fiat fidelis, & baptizetur, altero in sua infidelitate perseverante, præcedens contractus naturalis Matrimonii non dissolvitur. Secundò, quia in *cit. cap. Gaudemus; de Divort.* legimus, *Quod si conversum ad fidem, & illa* (Uxor infidelis) *conversa sequatur, antequam, propter causas prædictas, legitimam ille ducat Uxorem, eam recipere compelletur.* Ergo nondum erat solutum inter eos Vinculum Matrimonii; ut ait Glossa ibi, *in Verb. Compelletur*, his verbis: *Ex hoc videtur quòd contumelia Creatoris non solvit jus Matrimonii ipso Jure: aliàs si solutum fuisset jus Matrimonii, non compelleretur eam recipere.* Idcircò hanc opinionem tanquam probabiliorem tenent S. Thomas *in 4 dist. 39. q. Unic. art. 5. ad 2.* & *in Addit. ad 3. p. q. 59. art. 5. ad 2.* Paludanus, & Major *in ead. dist. 39. q. 1.* Cardin. de Turrecremata *in cap. Simili modo. 28. q. 1. ad 2. argum.* Sylvester *in Verb. Matrimonium, 8. qu. 10. cas. 6.* Summa Tabiena *in Verb. Impedimentum Impedim. 80. num. 3.* Armilla *in Verb. Matrimonium, num. 36.* Navarrus *in Summa c. 22. n. 48.* & pluribus aliis citatis Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 75. n. 4.* quibus ex modernioribus adhærent Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. c. 4. num. 50.* Comitolus *in Resp. Moral. libr. 1. quæst. 126. n. 4.* Vincentius de Justis *in tract. de Dispensationib. Matrim. libr. 2. c. 15. n. 40.* & Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. d. disp. 16. n. 183. & 184.*

Ad fundamentum contrariæ opinionis, quòd *contumelia Creatoris solvat jus Matrimonii*, ut in *cap. Si infidelis 28. quæst. 2.* respondetur,
20 per eam solvi dictum Jus non in actu, sed in potentia; quatenus facit, ut fidelis conjux ad fidem conversus, attenta obstinatione alterius conjugis, in infidelitate perseverantis, potens sit ad novas nuptias transire, & per contractum novi Matrimonii cum alio fideli valeat actualiter solvere vinculum Matrimonii præcedentis, ut fusè disputando de potentia prædicta ad actum differit Comitolus *d. libr. 1. q. 126. n. 6.* Ad rationem adductam in contrarium, quòd hoc Privilegium concessum est Fidei Christianæ, quæ Fides profitetur in Baptismo. Ergo in Baptismo debet applicari hoc Privilegium baptizato. Respondetur applicari quidem in Baptismo; sed effectum ejusdem Privilegii differri usque ad novum contractum Matrimonii, vel Religiosæ Professionis, quia si interim conjux infidelis convertatur, & ipse ad fidem possit manuteneri in suo primo Matrimonio. Ita Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. num. 185.* & Lessius *in 3. par. D. Thomæ cap. 5. de Sacram. Matrim. dub 5.*

Secundum Dubium est, *Quid agere debeat conjux fidelis conversus ad fidem, ut sibi con-*
21 *stet, conjugem suum infidelem obstinatum esse in infidelitate, nec Fidem Christianam velle suscipere, ad hoc ut ipse conjux fidelis possit ad novas Nuptias validè transire?* Respondent DD. infra citandi, quòd instantiam Conjugis fidelis moneatur, & interrogetur infidelis, ut declaret suam voluntatem in termino congruo, an velit se convertere, & ad Fidem Christianam venire. Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 74. num. 12.* ubi plurimos citat. Salmanticenses *d. c. 4. num. 48.* Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol. 121. §. 5.* & Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 16 num. 198.* ubi dicit, quòd si absque hac interpellatione, & non expectata declaratione conjugis infidelis, ipse conjux fidelis ad alias nuptias transiret, nec primum Matrimonium esset dissolutum; nec secundum foret validum. Porrò hanc 22
monitionem, & interpellationem posse fieri tam extrajudicialiter, quàm judicialiter, concedunt supra allegati Auctores, ita tamen, si extra judicium infidelis interpelletur, & moneatur ad se declarandum, ut supra, ajunt Salmanticenses: *Erit sanum consilium, quamvis non necessarium, adhibere testes, ne postea vel conversus, vel ad sanum judicium rediens, reclamet dicens, se admonitum non fuisse, & velit posterius Matrimonium dissolvi.* Et hoc dictum desumptum est à Glossa *in cap. Quanto, in Verb. qui relinquitur d. Divortiis*; ubi inquit: *Debet adhibere testes, quod ille non vult et cohabitare.* Verùm Emin. Cardinali de Lauræa *d. disp. 16. num. 202.* magis placet, ut prædicta monitio, & interpellatio ad instantiam conjugis fidelis fiat judicialiter, & per mandatum Judicis à publico præcone intimandum eidem conjugi infideli, cum præfixione termini congrui, & cum citatione, dicto termino transacto, ad audiendum declarari, posse conjugem fidelem novum connubium cum altero fideli inire, vel ingredi Religionem; sic enim resecantur omnes cavillationes, ac oppositiones, quas infidelis excogitare posset, & falsò adducere contra novum Matrimonium fidelis.

Quòd si quis petat, an talis Judex debeat esse Ecclesiasticus, vel etiam possit recurri ad Judicem Laicum? Respondetur, probabiliter 23
utrumque Judicem posse dictam monitionem, & interpellationem intimari facere conjugi infideli. Potest Laicus Judex, tum quia agitur de dissolvendo Matrimonio infidelium, quod non est Sacramentum, sed simplex contractus civilis; tum quia actor sequitur forum Rei; Reus autem, idest conjux infidelis, non est subditus Ecclesiæ; sed Magistratus Laici. *cap. Experientia 11. q. 1.* Potest & Judex Ecclesiasticus supradicta agere, tum quia jus interpellandi, & monendi conjugem infidelem provenit conjugi fideli à Sacramento Baptismi; tum etiam quia dicta interpellatio fit, ne nullum evadat futurum Matrimonium contrahendum à conjuge fideli, quod est Sacramentum; cujus respectu spectat ad Judicem Ecclesiasticum testes examinare etsi laicos, & alios actus judiciales facere, pro validitate, ac recta administratione Sacramenti, ut fusius scribit Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. num. 207. & 208.* ubi firmat tam per Judicem Ecclesiasticum, quàm per Laicum fieri posse prædictam judicialem interpellationem, ac monitionem. For-

mula

mula autem ejusdem pro praxi erit ista: *Commissione, & Mandato Illustrissimi, ac Re-*
24 *verendissimi D. D. N. N. Episcopi &c. Tenore præsentium, & ad instantiam Mariæ N. Neophitæ, ante Baptismum vocatæ Rachelis, requiritur, interpellatur, ac monetur Isaac Alpronus Judæus Maritus ante Baptismum ejusdem Rachelis, & nunc Mariæ, ut in termino dierum triginta ab intimatione præsenti immediatè decuren. ac numeran. quorum decem pro primo, alios decem pro secundo, & reliquo, decem dies pro tertio, & ultimo termino assignamus, debeat in actis hujus Curiæ se exprimere, ac declarare, an velit se convertere ad Sanctam Fidem Christianam, sectam Judaicam deserere, ac Sacrum Baptisma corde sincero suscipere, prout ipsa Maria, olim Uxor sua fecit, & prout enixè eum facere rogat, pro salute animæ suæ, monet, interpellat, & requirit. Aliàs dictis triginta diebus trans-*
25 *actis, & ad Fidem Christianam non se convertente, & se conversurum non declarante, ipsa Maria ad secundas Nuptias cum alio fideli transibit, vel Religionem ingredietur; prout magis in Domino, pro propria æterna salute, putaverit expedire: & citetur prædictus Isaac Alpronus Judæus, ac citatus intelligatur, eodem termino 30. dierum transacto, coram D. S. Illustrissima, ac Reverendissima ad audiendum ita sententiari; & quodcunque Decretum necessarium, & opportunum super præmissis pronunciari; salvo Jure eidem Mariæ, olim Rancheli petendi, & consequendi Dotem suam; ac alia quæcunque bona sibi de Jure debita. Non solum &c. Verum &c. In quorum fidem &c.*

Datum ex Cancellaria Episcopali N. die &c. Anno &c.

Tertium dubium est: *Quid facere debeat Conjux conversus ad fidem, quando non potest interpellare conjugem suum infidelem, an velit se convertere, & fidem Christianam suscipere, eò quia vel malitiosè latitat; vel adeò distat, ut non solum commodè eum monere non valeat, sed etiam monitio ipsa reddatur impossibilis?* Respondetur, duas esse Doctorum opiniones. Una, quòd non sit opus alia monitione, & quod conjux fidelis potest ad novas Nuptias transire absque scrupulo; ea ratione quia ex illa malitiosa sui ipsius occultatione, prout ex nimia regionum distantia est moraliter certum, nolle ipsum conjugem infidelem se convertere ad fidem, & relinquere suam patriam, ac parentes. Ita Henriquez *libr.* 11. *de Matrim. cap.* 8. *num.* 5. & ibi *Comment. litt.* S. Petrus de Ledesma, Veracrux, & alii quos citat, & sequitur Sanchez *de*
Matrim. d. lib. 7. *disp.* 74. *num.* 14. & 15. ubi
26 subdit, voluntatem declarari verbis. & facto l. *Paulus. ff. Rem ratam haberi.* Menochius *De recuper. poss. remed.* 15. *n.* 124. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 263. quæ reposita est in Opere Coordinato *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 124 §. 3. & ibi Filliucius, Coninchus, & Riccius *in Praxi part.* 1. *resol.* 240. *n.* 2. quibus novissimè adhærent Gonetus *d. tom.* 5. *disp.* 5. *de Matrim. numer.* 99. ac Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 4. *n.* 48. ita dicentes: *Et hinc fit, Indos, aut Mahometanos, aut Japponios apud nos conversos, posse ad novas nuptias transire absque admonitione conjugum in suis regionibus commorantium.* Item Genuensis *in Praxi Curiæ Archiep. Neapol. cap.* 27. *num.* 20. attestans, *quòd pluries fuit in Curia Archiepiscopali Neapolitana servatum, quòd si infidelis convertatur ad fidem, ut possit Matrimonium contrahere, non tenetur requirere conjugem infidelem habitantem in partibus infidelium.*

Opinio altera Theologorum est, quòd ubi conjux infidelis non potest inveniri, requiri, seu moneri, ut se declaret, an velit Fidem Christianam suscipere? tunc opus sit dispensatione Apostolica ad hoc ut fidelis conversus possit no- 27
vum Matrimonium contrahere. Ita Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 48. *num.* 22. his verbis: *Quòd si reperiri non possit* (conjux infidelis) *vel ob difficultatem viæ, & itineris, cum in remotissimis versetur regionibus, ut evenit in his, qui ex Æthiopia captivi, vel servi afferuntur; vel ignoratur, ubi sit alter coniux, adhuc nubere non potest, quidquid dicat Thomas Sanchez, & alii, nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio jure præscripta:* Concordant Nicolius *Lucubrat. Civil. lib.* 1. *tit.* 10. *de Nuptiis num.* 43. ubi refert ita censuisse Sacram Congregationem Concilii, & ideò pro Indis, Japponiis, & Angolanis, aliisque populis Africanis, & Mexicanis prædictam dispensandi facultatem Ordinariis, Parochis, aliisque Confessariis vastissimarum illarum regionum concessisse non solùm B. Pium X. ut testatur Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 74. *num.* 13. sed etiam Gregorium XIII. & Clementem VIII. Idem affirmat Jacobus Pignatellus *tom.* 8. *consult.* 93. ubi ponit Bullam Gregorii XIII. cujus tenor est hujusmodi.

Gregorius &c. Quoniam sæpè contingit, multos utriusque sexus infideles, post contracta gentili ritu Matrimonia ex Angola, Æthio- 28
pia, Brasilia, & aliis Indicis Regionibus, ab hostibus captos à propriis finibus, & propriis conjugibus remotissimas Regiones exterminari, adeò ut ipsi captivi, & qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur, conjuges infideles tam longo intervallo disjunctos, an sine contumelia Creatoris secum habitare velint, ut par est, monere nequeant: vel quia interdum ad hostiles, & barbaras Provincias, ne nunciis quidem accessus pateat; vel quia ignorant prorsùs, in quas Regiones fuerint transacti; vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem. Idcircò Nos attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint; singulis dictorum locorum Ordinariis, & Parochis, & Presbyteris Societatis JESU, ad confessiones audiendas ab ejusdem Societatis Superioribus approbatis, & ad dictas Regiones pro tempore missis, vel in illis admissis concedimus facultatem dispensandi cum quibus-

cunque utriusque sexus Christi fidelibus incolis dictarum Regionum, & serius ad fidem conversis, qui ante Baptismum Matrimonia contraxerant, ut eorum quilibet, etiam superstite conjuge infideli, & ejus consensu minimè requisito, ac responso non expectato, Matrimonium cum quovis fideli, aliàs tamen ritè contrahere, & in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint; remanere licitè valeant, dummodo constet etiam summariè, & extrajudicialiter, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus eadem monitione præfixum, suam voluntatem non significasse. Quæ quidem Matrimonia, etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem justè impeditos declarare non potuisse, & ad fidem etiam tempore transacti secundi Matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida, & firma esse. Non obstantib. &c. Dat. Romæ die 25. Januarii 1585.

Utraque opinio appellatur probabilis à Diana Coordinato *d. tom. 2. tract. 6. resol. 24.* sed mihi videntur concordes tam prima, quàm secunda respectu diversitatis Regionum. Nam si loquamur de Gentilibus, Paganis, ac etiam Mahometanis, qui commorantur in remotissimis regionibus Americæ, Africæ, vel Asiæ; circa
29 illos opus est dispensatione Apostolica, si conjux fidelis transire velit ad secundas nuptias irrequisito primo conjuge infideli, quem vel absolute reperire, & monere non potest; vel non nisi absque magna difficultate; & prædictam dispensationem concedere valent tum Ordinarii, tum Parochi, tum etiam Confessarii Regulares illarum regionum. Si verò casus contingat apud nos in Italia de aliquo conjuge Judæo ad fidem converso, facilè erit monitum facere, ut se convertat ipsum conjugem infidelem; qui si fiat transfuga, aut latitans non sit reperibilis; poterit fidelis novum Matrimonium inire absque alia monitione; cùm per infidelis fugam, vel latitationem satis constare dicatur, nolle se convertere ex doctrina S. Thomæ 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. & ita in terminis varias rationes, & auctoritates allegando concludit Comitolus *d. lib* 1. *quæst.* 124. ad favorem unius Hebreæ baptizatæ; cujus Maritus infidelis amplius reperiri non poterat.

Quartum dubium est, *An conjux fidelis teneatur recipere conjugem suum infidelem dicentem,*
30 *pro nunc nolle amplecti Fidem Christianam, sed velle cohabitare secum absque injuria Creatoris, & absque incitamento ad peccatum? Vel possit, eo repulso, ad alias Nuptias transire?* Digladiantur inter se Theologi circa hoc dubium. Alii respondent, quod tenetur cohabitare cum suo conjuge infideli. Primò, quia id dicit Apostolus Paulus 1. *Cor.* 7. *Si quis frater Uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet Virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa non dimittat Virum.* Secundò, quia Innocentius Papa III. eatenus concedit conjugi fideli converso transire ad alias nuptias *in cap. Quanto, de Divort.* quatenùs *altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum cohabitare volente.* Tertiò, quia ex hac cohabitatione spes est, ut infidelis conjux convertatur ad fidem *cap. Jam nunc. 28. q. 1.* Quartò, quia Privilegium datum à Christo pro dissolvendo Matrimonio infidelis conversi est restrictum ad hos duos casus, si nolit cohabitare sine blasphemia Creatoris, vel sine pernicie animæ ipsius conversi. Quintò, quia sicut gratia non destruit naturam, ita fides conversi conjugis non debet destruere contractum maritalem antea initum cum infideli. Sextò, quia causaretur magna confusio in Republica, si daretur repulsa conjugibus infidelibus volentibus pacificè habitare cum conjugibus suis conversis; & valdè impediretur conversio infidelium, si scirent, se non posse ampliùs cohabitare cum suis conjugibus, & ab eis esse omninò separandos. Ideò hanc opinionem sequuti sunt S. Thomas *in 4. dist. 39. q. Unic. art. 5. in corp. & in Supplem. 3. p. quæst. 59. art. 5.* Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 1. punct. 7.* Ledesma 3. *p. q. 59. art. 4. dub. 2. conclus. Unic.* Eminentiss. Card Toletus *in Summa libr. 7. cap. 7.* Rebellus *part. 2. lib. 3. qu. 10. num. 10.* Castropalaus *de Matrim. disp. 3. punct. 2. num. 6.* Gonetus *eod. tract. disp. 5. n. 99.* & novissimè Emin. Cardin. de Lauræa, qui fortissimè firmat hanc sententiam, *d. disp. 16. de Matrim. art. 11. §. 3. à num. 188. & seqq.*

Nihilominus alii gravissimi Theologi contendunt, non esse cohabitandum cum conjuge infideli, etsi offerat se absque injuria Creatoris, 32
aut instigatione ad peccatum se cohabitaturum. Primò, quia Apostolus Paulus, dum dixit: 1. *Cor.* 7. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat &c.* intellexit non tantùm de discessu physico, quando non vult cohabitare; sed etiam de discessu morali, quando discedit ab Ecclesia, recusans baptizari. Secundò, quia subdens Apostolus *ibid. Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*, innuit solutum esse vinculum, neque ampliùs conjugem fidelem subjectum esse servituti, idest cohabitationi infidelis. Tertiò, quia Privilegium datum à Christo in favorem fidei debet suum effectum operari quando infidelis non vult converti ad fidem. Quartò, quia semper est periculum, ut fidelis subvertatur ab infideli, si cohabitet cum illo: nam si vir sit infidelis ob dominium, & superioritatem in Uxorem, ei infensus erit tum circa animam, tùm circa corpus Quis ignorat odium Judæorum in Christianos? Julius Maurocenus Neophytus, ac primum Rabbinus inter Hebræos in opere suo ab eodem scripto *p. 3. cap. 12. pag.* 1392. ita inquit: *L'amicitia degl'* 33
Hebrei con i Christiani è come quella de i Demonii con gl'huomini, perche questi à' stregoni, & ad altri loro devoti mostrano d'essere amici, e di volerli bene, li fanno cortesie, e carezze, e li ajutano in certe cose; ma il fine che hanno nell' interno, sempre è la ruina di colui, col quale praticano. Et prosequitur narrando sitim, quam habent Judæi sanguinis Christiani, & allegando exempla filiorum fideli
um per eos furtim occisorum; inter quos A. 1475. 34
Beatus Simoncinus de Tridento ab iisdem Judæis

dæis vivus excarnificatus. Quomodo ergo Uxor Judæa conversa ad fidem incolumis esse poterit cum Marito Judæo nolente se convertere, si cohabitet cum illo? Quintò, hinc in Concilio Toletano IV. *Anno Christi* 633. *can.* 63. ita sancitum fuit: *Judæi, qui Christianas mulieres in*
35 *conjugio habent, admoneantur ab Episcopo Civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quòd si admoniti noluerint, separentur: quia non potest infidelis in ejus permanere conjugio, quæ jam in Christianam translata est fidem.* Refertur hic Canon *in cap. Judæi.* 28. *q.* 1. Sextò, nec minus erit periculum, si Maritus sit fidelis, Uxor autem volens cohabitare
36 cum ipso sit infidelis. Scriptum est: *Vinum, & mulieres apostatare facient sapientes. Eccles.* 19. 2. quo loci ait Cornelius à Lapide: *Vina & mulieres Salomonem Regem sapientissimum infatuarunt, ut apostataret, fieretque Idololatra. Eædem infatuarunt Calvinum, Lutherum, Bucerum cæterosque nostri ævi Novatores, eosdemque Apostatas, imò hæreticos, & hæresiarchas effecerunt.* Et de vafritie mulierum, quæ etiam Sanctos Viros traduxerunt in peccata, subdit idem à Lapide *in Judic.* 16. 4. loquens de Dalila Uxore Sampsonis: *Vide hic quam pernicioſa sit mulier. Quid fortius Sampsone? Quid sanctius Davide? Quid sapientius Salomone? Et tamen hos Viros perdidit mulier, æque ac Eva Adamum, omnesque ejus posteros.* Igitur cohabitatio mariti fidelis cum Uxore infideli non est sine evidenti periculo subversionis ejusdem Mariti in aliquod gravissimum scelus. Libet notare pravitatem Drahomiræ Uxoris Paganæ Uratislai fidelis Du-
37 cis Bohemiæ, ex quibus natus est S. Wenceslaus Martyr, in cujus lectionibus *die* 28. *Septembris* Ecclesia recitat ejusdem Uxoris impietatem; de qua etiam Emin. Cardin. Baronius *Anno Christi* 938. *num.* 8. Et Surius in Vita ejusdem S. Martyris ita ait: *S. Wenceslaus Bohemiæ Dux, Patre Christianissimo simul, ac religiosissimo Uratislao, Matre verò Drahomira Lucenſi, à Christiana religione alienissima, progenitus fuit: siquidem longè severiorem, immanioremque in Christianos, quam Jezabel in Prophetas, ea se exhibuit.* Et paulò post: *Interim Marito fuerato, filiisque adhuc ætate imbecillioribus, Drahomira Religionem invadit, ac statim odium in Christianos malè diù dissimulatum detegit, edicto proposito, ut Templa Christiani occluderent, cultu, cæremoniisque abstinerent, Sacerdotes populum ne docerent, nec Ludimagistri discipulos. Sensus facientibus carcer, exilium, mors denunciata.* Ecce fructus cohabitantis Uxoris infidelis cum Christianissimo Conjuge. Septimò suffragatur huic opinioni, quòd conjux fidelis non debeat cohabitare cum infideli, Pauli Papæ III. *Constit.* 32.
38 in qua §. 4. decernitur, *ut Judæi ad fidem conversi, non nisi post longum tempus cum Judæis non conversis possint conversari.* Igitur multò minùs cohabitare. Octavò ex morali impossibilitate ejusdem cohabitationis: nam si conversa sit Uxor, hanc dedecet habitare in clausura Judæorum, vulgò *il Ghetto*, ubi insidiæ quoad ejus animam, & corpus. Si Maritus Judæus extra *Ghettum* apud Uxorem ipsam conversam degere velit, est ei prohibitum per aliam Pauli IV. *Con-*
39 *stit.* 3. §. 1. ubi præcipitur, *ut Judæi in locis separatis à Christianorum domibus habitare debeant.*

Nonò, favet exemplum Cesaræ Reginæ Persarum, de qua Cornelius à Lapide, 1. *Cor.* 7. 15. hæc ponit: *Cæsara Regina, Uxor Persarum Regis, tempore Mauritii Imperatoris, Constantinopo-* 40 *lim secretò fugiens, ibique conversa, & baptizata, cum Maritus eam repeteret, ad eum redire noluit, nisi ipse Christianus fieret. Quare ipse Constantinopolim veniens, ibique baptizatus, & ab Augusto de fonte levatus accepta conjuge lætus ad suos rediit. Id contigit sub annum Domini* 593. *uti ex Paulo Diacono, & Gregorio Turonensi refert Baronius.* Quare sic esse faciendum videtur etiam nostris temporibus, videlicet conjugi infideli, neganti suam ipsius ad fidem conversionem, à conjuge fideli negandam esse cohabitationem, cum transitu ad novas nuptias, etsi spondeat infidelis sine injuria Creatoris, & sine pertractione ad peccatum velle cohabitare. Ita Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 74. *n.* 9. ubi alios Theologos, ac Canonistas sic sentientes cumulat. Basilius Pontius *lib.* 7. *cap.* 48. *n.* 10. ubi pro se allegat S. Thomam *in* 4. *sent. dist.* 39 *q. Unic. art.* 3. & ibid. Richardum, Durandum, & Gabrielem; quos sequitur Comitolus *d. libr.* 1. *q.* 124. *num.* 4. Coninchus *de Sacram. disp.* 26. *dub.* 5. *n.* 61. Diana Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 121. desumpta ex veteri *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 251. *alias* 252. Barbosa *in collect. DD. ad cap. Si infideles.* 28. *q.* 2. *n.* 4. ubi dicit, hanc esse veriorem sententiam, ac novissimè Collegium Salmanticense *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 4. *num.* 45. ubi citat pro hac opinione Sotum, Ledesma, Dicastillum, Henriquez, Rodriquez, Emin. Cardin. Bellarminum & alios.

Et ab his respondetur ad argumenta contraria, quæ subsistentia non videntur esse. Non primum ex verbis Apostoli Pauli, quia sunt de consilio, non autem de præcepto; ait enim, *Cæteris ego dico, non Dominus.* 1. *Cor.* 7. 12. Ergo consulit, non præcipit, ut notavimus supra *num.* 10. sed estò præciperet; cùm sit præceptum humanum, contraria consuetudine est abrogatum, sicut illud de non comedendo sanguine, aut suffocato; ut ajunt Salmanticen. *d. cap.* 4. *num.* 43. Non secundum ex Innocentio III. *in cap. Quanto. De Divort.* quia ibi Pontifex intelligit idem esse nolle converti, & nolle habitare absque injuria Creatoris, quia statim ac conjux infidelis recusat se convertere ad fidem, innuit velle cohabitare cum blasphemia Creatoris. Ita ex Coninchо Diana Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 121. §. 3. Et clariùs responderi potest, quòd dictio *Vel* sumitur pro copulativa *Et*; ita ut Innoc. III. velit dicere: *Altero vel nullo modo, & non sine blasphemia divini Nominis, & ne eum pertrahat ad peccatum.* Siquidem *Vel* positum inter genus, & speciem habet vim copulativæ *Et*. Barbosa *Diction.* 415. *num.* 4. Infidelitas autem est genus; blasphemia est species injuriæ Creatoris. Non tertium, quia imò hiscè temporibus spes major est perversionis conjugis fidelis, quàm conversionis infidelis. Non quartum, quia non constat de asserta restrictione ad illos duos casus facta per Christum Privilegii sui de solutione Matrimonii. Et quatenùs ita esset restrictum, replicatur, quòd idem censetur nolle amplecti fidem; & nolle habitare nisi cum injuria Creatoris, & Fidei.

Non quintum, quia ex prædicto Christi Privilegio, ac dispensatione solvitur contractus Matrimonii, ubi infidelis respuit gratiam conversionis. Non sextum, quia salus animæ est præferenda politicis respectibus, & ubi agitur de ejus periculo, omnia sunt spernenda; & quo ad impedimentum conversionis infidelium negatur consequentia; quinimò ubi conjux infidelis nutriat veram charitatem, & amorem erga conjugem fidelem, ne eum amittat, facilius convertetur ad fidem.

Sic altercantur DD. circa hoc dubium; quorum aliqui conantur eos concordare, dicendo, quòd prima opinio procedebat in primis sæculis Ecclesiæ, in quibus cum magnus esset fervor
41 fidei in conjugibus conversis, parvus erat timor subversionis in cohabitatione cum conjugibus infidelibus. At nunc frigescente fervore fidei, evidens est periculum, ut conversus subvertatur ab infideli obstinato in infidelitate; & ideò non est amplius locus petitæ cohabitationi. Ita DD. apud Salmanticenses *d. cap. 4. num. 42. & 43.* Alii concordant, dicentes primam opinionem admittendam esse in Paganis, & Gentilibus, ex quibus aliquis conjugatus convertitur ad fidem: secundam verò prorsus locum habere debere in conversis ex Judaismo. Ratio est, quia Gentiles non sunt adeò infensi, ac pervicaces contra
42 illos, qui fiunt Christiani, prout sunt Judæi, quorum, ut diximus, est inexplicabilis contrarietas in Christi fideles. Ita Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 48. num. 10.* & Cabasutius *ad Conc. Toletan. 4. can. 63. num. 17. pag. 287.* Alii dicunt, attendendam esse consuetudinem Regionum, in quibus conjux conversus sit ex infidelitate ad Christianam fidem. Idcirco si convertantur a-
43 pud Chinenses, Japonios, aliosvè Indos, apud quos usus, & consuetudo viget, ut conjux infidelis cohabitet pacificè cum fideli, habebit locum prima opinio, & cohabitatio erit admittenda. At in Italia, Germania, Gallia, Hispania, aliisque Regnis Europæ, in quibus non est in usu, ut cohabitent simul conjuges diversæ fidei, ac Religionis, præferenda est secunda opinio, ac prædicta cobabitatio erit omninò denegan-da. Ita iidem Salmanticenses *d. cap. 4. num. 43.*

Ego dicerem, pro concordia harum opinionum, standum esse arbitrio Episcopi, in cujus Diœcesi reperitur conjux fidelis, cum quo habi-
44 tare intendit conjux infidelis, spondens, se neque injuriosum in Deum, neque infensum conjugi fideli futurum. Siquidem cùm cadat sub arbitrio Judicis, & ab eo decidendum sit, quando Uxor debeat sequi Virum, & quando non? ut demonstrat Menochius *de Arbitr. Judic. casu 469. à n. 3. & seqq.* Ita Episcopus arbitrari debebit, an concedendum sit, ut conjux infidelis, qui non vult converti ad fidem, cohabitet cum conjuge converso; examinando, & reflectendo ad qualitates, mores, promissiones, cautionesvè per conjugem infidelem exhibitas; ac alias circumstantias, ex quibus desumi possit spes conversionis Infidelis ex cohabitatione; & securitas tum animæ, tum corporis conjugis fidelis cohabitantis. His concurrentibus poterit Episcopus arbitrari juxta primam opinionem: at, his cessantibus, pro secunda.

Tandem concordandæ sunt prædictæ opiniones dicendo, quòd conjux fidelis non tenetur cohabitare cum infideli juxta secundam opinionem; at potest, si velit, cum eodem cohabitare. Ita ex S. Thoma *in 4. Sent. d. dist. 39. q. Unic. art. 3.* admittunt Salmanticenses, si spes affulgeat convertendi infidelem; vel de evitando periculo mortis, aut magna jactura bonorum agatur, ut in *d. cap. 4. num 43.* & ante eos Gonetus *d. disp. 5. de Matrim. n. 86.*

DECISIO XII.

ARGUMENTUM.

Enucleantur alia novem Dubia circa infidelium conversorum Matrimonia; & præcipuè, An dissolvantur per novas Nuptias infidelis? vel per Professionem Religiosam fidelis? aut per ejus Novitiatum, aut per Ordinationem in Sacris, seu per Pontificiam Dispensationem? Quid agendum, si conversus ad Fidem plures habeat Uxores? Ejus Filii cujus erunt? Uxor obstinata infidelis, an possit repetere Dotem à converso Marito fideli? Et an filii eorum Legitimam? una cum aliis curiosis Quæsitis.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium in infidelitate contractum subsistit post Baptismum eorum.*

2 *Infidelis, cujus conjux est baptizatus, quando possit contrahere alias nuptias?*

3 *Professio Religiosa conjugis conversi an solvat Matrimonium consummatum ab eo in infidelitate;* & num. 5. & 7.

4 *Si vinco vincentem te, multo magis vinco te.*

6 *Conjuge uno profitente in Religione, alter non potest novas nuptias inire, si Matrimonium fuerat consummatum.*

7 *Professio Religiosa æquiparatur morti.*

8 *Infidelis conjux si convertatur potest repetere conjugem suum, Novitiatum in Religione facientem.*

9 *Ordinatus in Sacris conjux conversus an possit repeti ab Uxore, si postea & ipsa convertatur.*

10 *Uxores plures habens infidelis, quam retinere debeat, si convertatur?*

11 *Uxorum pluralitas, seu Polygamia prohibita de Jure divino.*

12 *Uxore secunda conjugis conversi defuncta, an ipse teneatur ducere primam infidelem, quæ nunc se convertit ad fidem?*

13 *Infidelium Matrimonium cùm baptizatur, an fiat Sacramentum?*

14 *Infidelium conversorum Matrimonia an Pontifex possit dissolvere? Quod sic* num. 15. *Quod non* num. 16.

17 *Infidelium Matrimonia in gradibus prohibitis inita, an toleranda, si convertantur ad Fidem?*

18 *Filii infidelium, si unus conjux convertatur, cui debeant adhærere?*

19 *Usus rationis in pueris quo anno præsumatur?*

20 *Judæi plures baptizati à Gregorio Card. Barbadico Episc. Paduæ.*

21 *Uxor infidelis an possit repetere Dotem à conjuge converso? Et an Filii infidelis Legitimam?*

22 *Uxor infidelis an gaudeat privilegiis à Jure concessis pro restitutione Dotium?*

PRæter quatuor supra resoluta Dubia, remanent alia novem proponenda, & enucleanda, quæ Matrimonia infidelium ad Fidem conversorum concernunt.

Quintum igitur Dubium est: *Si ambo conjuges infideles convertantur ad Fidem, Utrum eorum Matrimonium in infidelitate contractum dis-*
1 *solvatur?* Et concorditer respondent omnes DD. illud non dissolvi; ea ratione, quia sicut ab initio fuit legitimum, ita post Baptismum remanet validum; adeò ut neque opus sit novo consensu inter ipsos: nam dispensatio ad illud dissolvendum concessa est tantùm in eo casu, in quo unus ex conjugibus infidelibus detrectet venire ad fidem; ad hoc ut conversus, primo Matrimonio dissoluto, possit ad secundas Nuptias transire; quando autem ambo convertuntur, non interrumpitur eorum conjugium, sed firmum, & validum perseverat. Ita Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 73. num. 9.* Trullench. *lib. 7. cap. 4. dub. 4. num. 7.* Justus *de dispensat. Matrim. lib. 2. cap. 15. num. 37.* Cæsar de Panimoll. *in Idea sedandi jurgia Constit. 17. num. 1.* Et Salmanticenses *eod. tract. de Matrim. cap. 4. num. 34.*

Sextum Dubium est: *An infidelis conjux, qui spreta monitione Conjugis fidelis non vult con vertere se ad Fidem, possit aliud Matrimonium inire cum alia persona infideli?* Respondent Theo-
2 logi sub hac distinctione: Vel conjux fidelis, transacto termino monitionis factæ suo conjugi infideli, transivit ad secundas Nuptias, seu Professionem fecit in aliqua Religione approbata? Et tunc etiam Conjux infidelis potest alii nubere; nam per novas Nuptias, seu Professionem conjugis fidelis solutum fuit primum Matrimonium antea initum cum eodem infideli; qui propterea liber remansit à vinculo primi Matrimonii; & ideò tanquàm solutus potest contrahere cum quacunque soluta; nulla enim reperitur Lex Divina, aut humana, quæ vetet infideli soluto contrahere pro libito aliud Matrimonium. Emin. Card. de Lauræa *disp. 16. de Matrim. n. 212. & seqq.* Lessius *in 3. p. D. Thom. cap. 5. de Matrim. dub. 5. num. 96.* ubi refutat Dominic. Sotum *in 4. dist. 39. art 4. quæst. Unic.* contrarium docentem. Vel conjux fidelis nec contraxit secundò, nec Religionem approbatam est professus, & in hoc casu Infidelis novum Matrimonium cum altero inire non potest; ea ratione; quia prioris Matrimonii Vinculum non est solutum. Ita Lessius *d. dub. 5. num. 97.* ex doctrina S. Thomæ *in 4. sent. dist. 37. q. 2. art. 4. ad 3.* Idem docet Aversa *de Matrim. quæst. 2. sect. 5. circa fin.* & Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. à num. 205.* ubi inter alias rationes hanc considerat, quòd Privilegium solvendi primum Matrimonium datum est à Christo, favore Fidei, conjugi fideli, non autem infideli; & ideò usus prædicti Privilegii pendet à voluntate conjugis fidelis, non autem ab illa conjugis infidelis.

Septimum Dubium est, *An sicut solvitur primum Matrimonium Conjugis infidelis per secundum Matrimonium initum à Conjuge converso, ita solvatur, si ipse Conjux conversus faciat in* 3
Religione solemnem Professionem? Circa hoc dubium duæ sunt opiniones Doctorum, Affirmativa una; Negativa altera. Affirmant plures, & tenent, primum Matrimonium conjugis infidelis dissolvi, si Conjux fidelis profiteatur in Religione. Ratio est, quia Matrimonium Ratum fidelium est Vinculum fortius, quàm Matrimonium consummatum infidelium, tum quia est Sacramentum; tum quia si conjux conversus ineat aliud Matrimonium cum fideli, etsi ratum, & non consummatum, dissolvit primum Matrimonium infidelis. Sed per Professionem Religiosam dissolvitur Matrimonium inter quoscunque fideles, ut in confesso est apud omnes Catholicos. *cap. Ex publico. De Convers. Conjugat.* Concil. Trident. *sess. 24. de Ref. Matrim. can. 6.* & probant Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. art. 13. num. 281.* & Salmanticenses *d. cap. 4. dub. 3. à num. 53. & seqq.* Ergo per eandem Professionem multò magis dissolvitur Matrimonium infidelium, etsi consummatum, juxta regulam. *Si vinco vincentem te, multò* 4
magis vinco te, l. Si de accessionibus. ff. de Divers. ac temporal. Præscription. Et ita tenent S. Bonaventura *in 4. dist. 39. art. 2. q. 2.* & ibidem Richard. Major, Palacios, & Sotus. Henriquez *lib. 11. de Matrim. cap. 8. n. 5.* Sà *in Summ. Verb. Matrimonium n. 8. Vers. Conversus ad fidem.* Ledesma, Lopez, Vega, & alii, quos citat, & sequitur Sanchez *de Matrim. d. lib. 7. disp. 75. num. 9.* Quibus adhærent Salmanticen. *d. tract. 9. de Matrim. cap. 4. num. 52.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. num. 205. & num. 212.* & Bissus *in Hierurgia tom. 1. Verb. Cultus disparitas num. 61. §. 12.*

Alii tamen negativam sententiam amplectuntur, docentes non dissolvi Matrimonii Vinculum cum infideli, si eo remanente in infidelitate conjux conversus ingrediatur approbatam Religionem, & in ea solemnem professionem emittat; ea ratione, quia dissolutio Matrimonii 6
consummati quo ad Vinculum fieri non potest nisi ex Divina concessione. At nullibi invenitur concessum, quòd Professione Religiosa dirimatur Matrimonium consummatum infidelium: Nam esto dirimatur per secundum contractum Matrimonium, id provenit, ex præcisa Christi concessione, ne Conjux conversus cogatur cœlibem vitam ducere, vel habitare cum infideli obstinato cum periculo perversionis, & sic conversio ei reddatur onerosa. Cessat autem hoc motivum, & hoc onus, Religione assumpta, in qua ipse conversus sponte elegit vitam cœlibem; & sic ex Privilegio dirimendi primum Matrimonium cum infideli ex secundo Matrimonio assumpto non potest inferri, ut illud dirimatur per assumptionem vitæ Religiosæ. Neque urget Exemplum solutionis Matrimo-

nii Rati inter fideles per Professionem Religiosam ; quia est casus diversus , neque militat eadem ratio ; siquidem aliàs sequeretur , quòd ubi ambo conjuges infideles post consummatum Matrimonium converterentur ad Fidem , si eorum unus transiret ad Religionem , & in ea solemnem Professionem faceret, alter conjux conversus posset secundas Nuptias inire ; quod falsum est, & fieri posse negat ipsemet Sanchez *d. lib. 7. disp. 76. num. 3. & 7.* Nec multum relevare , ajunt , regulam *si vinco vincentem te &c.* quia habet locum in his , in quibus militat eadem ratio , & quando utrumque constat ex eodem jure ; in præsenti autem casu neque currit eadem ratio , neque utraque dissolutio fit ex eodem jure ; quia dissolutio Matrimonii antiqui consummati inter infideles, si unus convertatur, & alter nolit converti , fit per novum Matrimonium converso Jure divino per Christum concesso ; at dissolutio Matrimonii rati per Professionem inter fideles fit tantùm jure Ecclesiastico. Ita Diana , qui hanc opinionem mordicus tenet *part. 9. tract. 7. resol. 47.* quæ jacet in Diana Coordinato *tom. 2. tract. 6. resol. 125.* & ante Dianam illam defenderunt Coninchus *de Sacram. disp. 26. dub. 5. num. 65.* Hurtadus *de Matrim. disp. 8. Difficul. 14. num. 52.* Basilius Pontius *eod. tract. lib. 9. cap. 4. num. 10.* (verius tamen *lib. 7. cap. 48. num. 19.*) & Perez *disp. 36. sect. 9. num. 2.* & alii.

Ex his diversis opinionibus mihi videtur prima affirmativa amplectenda tanquàm magis vera ; & me movet illa manifesta ratio , quòd
7 Professio Religiosa est altera mors ; professusque in Religione est omninò mortuus mundo. *cap. Placet. 16. quæst. 1.* Barbosa *in l. Deo nobis. C. de Episc. & Cler. & de Appellat. Verb. App. 157.* Bordon *de Profess. Reg. cap. 20. num. 15.* Salmanticenses *d. cap. 4. n. 79.* Sicut ergo mors naturalis solvit vinculum præcedentis connubii juxta id , quod ait Apostolus *1. Cor. 7. 39. Adulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit ; quòd si dormierit vir ejus , liberata est , cui vult nubat tantùm in Domino ;* ita Professio destruit præcedens Matrimonium converso professentis cum Infideli remanente in sua infidelitate. Hæc ratio est deducta ex doctrina S. Thomæ *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæst. 2.* & in addit. *ad 3. part. quæst. 61. art. 2.* Ex hac opinione sequitur, quòd conjux infidelis tanquam solutus à prædicto vinculo potest novas nuptias celebrare, ne dum adhuc stat infidelis , sed etiamsi converteretur postea ad fidem ; ut concedit Emines. Card. de Lauræa *d. disp. 16. num. 212.*
8 & Justus *de Dispensat. Matrimonialib. d. lib. 2. cap. 15. à num. 40. & seqq.* ubi bene advertit , quòd si conjux infidelis, & aliàs obstinatus converteretur ad Fidem , priore suo conjuge Novitiatum faciente, & nondum professione emissa, posset illum repetere , ut secum in Matrimonio (quod nondum erat dissolutum) vivat ; prout scribunt etiam Sanchez *de Matrim. d. lib. 7. disp. 76. num. 7.* Bonacina *de Matrim. quæst. 3. punct. 7. n. 10.* & Cæsar de Panimollis *in Idea sedandi Jurgia d. Constit. 17. num. 11. & 13.*

Verum tamen est ex mente ferè omnium Doctorum , quòd si Conjux fidelis conversus suscipiat Ordines sacros , conjuge infideli in sua infidelitate jacente ; is postea si convertatur ad fidem , poterit quidem repetere suum conjugem , ut antea ordinatum , sed opus esset Pon- 9
tificia dispensatione ad exigendum , & reddendum debitum ; & ratio repetitionis prædictæ est , quia per susceptionem sacrorum Ordinum non solvitur vinculum præcedentis Matrimonii. Sanchez *d. lib. 7. disp. 76. num. 11.* Diana Coordin. *d. tom. 2. tract. 6. resol. 125. §. 3.* Justus *d. lib. 2. cap. 15. n. 43.* & Lessius *in 3. part. D. Thomæ d. cap. 5. de Matrim. n. 97.* ubi hæc verba ponit : *Ratio autem cur non æquè tale Matrimonium solvatur per Ordines sacros , quàm per Professionem in Religione approbatum est ; quia susceptio Ordinum non est mors Civilis , sicut Professio Religionis : neque ita Matrimonium pugnat cum statu Sacerdotali , sicut cum Monachatu.*

Octavum Dubium est : *Conversus ad fidem conjux habebat in infidelitate plures Uxores, partim repudiatas , partim successivè acceptas. Quæritur ex his omnibus quam possit nunc sibi eligere, & habere in Uxorem ?* Respondent concorditer Doctores , quam habuit primam Uxorem in in- 10
fidelitate , etsi deindè repudiatam , hanc debet, & tenetur accipere in Uxorem conversus ad fidem ; dummodò hæc monita , hortata , & excitata ad fidem Christianam amplectendam, convertatur , & baptizetur. Quòd si obstinata persistat in infidelitate , conjux conversus facultatem habet ducendi in Uxorem unam ex aliis, sibi magis placitam , si se convertat ; vel aliam fidelem sibi bene visam. Sotus *in 4. dist. 39. quæst. Unica. art. 3. ad 5.* & est doctrina S. Thomæ pariter *in 4. dist. 39. q. Unic. art. 3. ad 4.* quam laudat Sanchez *d. lib. 7. disp. 73. num. 4. & 5.* & commendat Vincentius de Justis *d. lib. 2. cap. 15. n. 31. & seqq.* Ratio responsionis hujus est, quia infideles non contrahunt Matrimonium validè nisi cum prima Uxore, repugnante essentiæ Matrimonii pluralitate Uxorum , absque Divina dispensatione , ut demonstrabimus 11
infra super impedimento ligaminis *Decis. XXIX.* idcircò prima est recipienda post conversionem ad Fidem , quia ipsa prima, sivè actualiter in familia conversi , sivè antea repudiata existat , est sola vera ejus Uxor ; cùm repudium nihil valeat apud eosdem infideles , tanquam à Christo Domino revocatum , & abolitum quò ad vinculum Matrimonii. *cap. Gaudemus. De Divort.* Si autem prima Uxor prædicta recusaret venire ad fidem , libertatem consequitur Conjux factus fidelis ex Privilegio Christi , monitione in eam completa, assumere pro suo arbitrio quamcunque aliam mulierem , quæ fidelis sit, in Uxorem. Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 4. num. 51.* ubi bene , ac notabiliter advertunt, quòd si prima Uxor infidelis recusat se convertere ; & ejus maritus conversus aliam in Uxorem ducat ; qua postea moriente viduus evadat ; tunc si prior Uxor obstinata convertatur 12
ad fidem , non potest obligare Maritum Viduum ad eam in Uxorem accipiendam , quia jam per secundum conjugium solutum fuerat vinculum primi. Si tamen velit spontè cum ea novum Matrimonium contrahere , prævio novo consensu , ac servatis de Jure servandis, libertatem habebit eam ducendi.

Nonum Dubium est : *An Matrimonium Infidelium , cùm ambo baptizantur , fiat Sacramentum ;*

tum ; ejusque gratiam conferat ? Circa dubium
13 hoc diximus supra *Decis. IV. num.* 16. quòd tres sunt opiniones. Prima affirmat, solam Baptismi susceptionem, sine alio novo consensu, efficere Matrimonia infidelium verum Sacramentum ; ea ratione quia statim ac baptizantur, Matrimonium illud repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, & fit indissolubile, ut Matrimonia aliorum Christianorum. Igitur non tanquam simplex contractus, sed etiam tanquam Sacramentum. Ita Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 9. *n.* 5. ubi alios DD. cumulat. Secunda opinio docet, quòd tunc primum Matrimonium infidelium rationem Sacramenti assequitur, cùm post Baptismum fit ab eis repetitio novi consensus vel verbis, vel signis, etsi non sit opus præsentia Parochi, vel testium. Ita Eminent. Card. Bellarm. *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 5. & *cap.* 15. ac Rebellius *part.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 7. *num.* 2. Tertia opinio asserit, Matrimonium contractum inter infideles non posse fieri verum Sacramentum, etiamsi postea baptizentur, ea ratione quia Matrimonium ut sit Sacramentum, essentialiter debet iniri inter baptizatos, in casu autem proposito initum fuit inter infideles. Neque valet dicere, quòd possunt, dum baptizantur, iterum contrahere renovando consensum, quia contractus ille erit nomine tenus, non verus : Siquidem contractus Matrimonii requirit potestatem in contrahentibus tradendi corpora sua adinvicem. At hæc potestas deficit in conjugatis, noviter baptizatis, quia jam tradiderunt ab initio sibi corpora sua ; & non possunt denuò tradere alteri id, quod alias tradidisse constat. Ita Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. Coninchus, & Vasquez, quos citat, & sequitur, hanc tertiam opinionem amplectens, Diana Coordin. *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 126. desumpta ex Veteri *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 252. in qua tamen *§. ult.* subdit : *Fateor tamen cum Conincho credibile esse Deum talibus majores dare gratias prævenientes ad ferenda incommoda Matrimonii, quàm det infidelibus, non ob Sacramentum Matrimonii ; sed quia fideles sunt, quibus ratione Fidei, ac Baptismi divina gratia magis debita, & ubique parata est.* Eligat Studiosus Lector ex his quam mavult opinionem, cùm unaquæque sit probabilis, sed merè speculativa, ac magis concernat pietatem, quàm praxim.

Decimum est Dubium : *An Matrimonium Infidelium ad Fidem conversorum, ante Baptismum per eos consummatum, possit à Summo Pontifice*
14 *dissolvi ex aliqua justa causa ?* Diù intra memetipsum reflectendo cogitavi, quæ causa reperiri posset justa, pro petenda dissolutione conjugii consummati in infidelitate à duobus conjugibus concorditer conversis ad Fidem ? Nec imaginari potui, nisi de duobus unum, vel quòd Uxor laboret sterilitate, ut referunt lectiones propriæ S. Prosdocimi *die* 7 *Novembris*, in quibus legimus, pervenisse Sanctum hunc, Divi Petri Apostoli discipulum, ad prædicandam nostræ Urbi Patavinæ fidem ; in qua præsidebat Vitalianus Princeps, cujus Uxor Præpedigna laborabat sterilitate ; sed utrosque Sacro Baptismi lavacro mundatos ab omni liberavit infirmitate ; atque ex eis S. Justina orta est ; & ideò quòd miraculosè obtinuit Vitalianus per merita S. Prosdocimi, fugata Præpedignæ Uxoris sterilitate ; obtinere cupiat quivis alius Princeps ab infidelitate recedens, ac Baptismum suscipiens cum Uxore sterili, implorans à Romano Pontifice secum dispensari, ut ea dimissa, alteram pro prole habenda fœcundam ducat. Quippè sterilitatem Uxoris esse causam sufficientem solvendi Matrimonii rati inter fideles, notant Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 55. *de Matrim.* Vel quòd duo conjuges infideles Christianam fidem amplexi sint in juvenili ætate ; quorum unus Monasticam vitam profiteri cupiat ; alter verò continentem, ac cœlibem Vitam ducere non valens exoptet Pontificiam dispensationem, qua dissolvatur vinculum Matrimonii ante Baptismum, (non post) consummati, ad effectum ut emissa ab uno conjuge Professione Religiosa, alter in sæculo remanens novas nuptias ineat.

Quærunt igitur DD. in utroque casu, An Papa petitam dispensationem concedere possit, & Matrimonium in infidelitate consummatum dissolvere ? Affirmant multi, quos allegat, & 15
sequitur Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 17. *num.* 2. Ratio est, quia Matrimonium ratum inter fideles, quod firmius, fortiusque reputatur (tanquam Sacramentum) Matrimonio consummato infidelium, (quod Sacramentum non est,) potest dissolvi à Pontifice ex justa causa, ut ipsi conjuges, vel eorum Unus alias nuptias contrahat, ut probatur ex *cap Ex publico* ; & ibi Gloss. *de Convers. Conjugat.* & docent Navarrus *in Summa cap.* 22. *n.* 21. Jo. Valerus *in Different. utriusque fori. Diff.* 6. *num* 4. Cevall. *QQ. Commun. contra Com. qu.* 343. Eminentiss. Card. Tuschus *Conclus.* 153. *num.* 1. *Litt.* M. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 192. & alii plurimi, quos citat, & sequitur Vincentius de Justis *de Dispensat. Matrim. d. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 15. & Pyrrhus Corradus *eod. tract. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 26. & nos demonstrabimus infra *Decis. XIII.* Ergo multò magis poterit Papa dispensando dissolvere Matrimonium in infidelitate consummatum, quod est minùs forte, & minùs firmum, ex defectu qualitatis Sacramenti, ut in puncto tenet prædictus Vincent. de Justis *eod. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 52. Vericellus *de Mission. Apostol.* 177. *n.* 18. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. Filliucius *tract.* 10. *cap.* 10. *n.* 38. præter alios allegatos à Sanchez *d. lib.* 2. *disp.* 17. *num.* 2. & Salmanticenses *d. cap.* 4. *de Matrim. num.* 62. Negant verò plurimi, inter quos Coninch. *disp.* 26. *dub. num.* 66. Basilius Pontius *lib.* 9. *cap.* 4. *n.* 15. Diana Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 6. 16
resol. 125. §. 5. (excerpta è veteri ejus Opere *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 47.) & novissimè Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *de Matrim. art.* 11. §. 5. *per totum*, in quo plura facit argumenta pro hac opinione negativa, & varias adducit rationes, inter quas illam præcipuam, quòd Matrimonium consummatum etiam inter infideles est insolubile de Jure Divino ; ideò dissolvi non potest, nisi dispensatione Divina. Nullibi autem reperitur, post adventum Christi, concessam esse hujusmodi dispensationem, nisi in uno casu tantùm, quando scilicet unus conjux infidelis convertitur ad fidem, & alius non vult converti, ut habitet cùm suo Conjuge absque injuria Creatoris, & absque pertractione ad peccatum. Igitur præter hunc casum, non potest solvi Vinculum Matrimonii consummati ab infidelibus conversis ; quia nulla humana potestas potest operari con-

tra

tra Legem Divinam. Nec relevare, ajunt, quòd sit solubile Matrimonium ratum, etsi Sacramentum sit, quia non est significativum unionis indissolubilis, quam Christus habet cum Ecclesia per Incarnationem suam, in qua Divinitas, & Humanitas inseparabiliter sunt copulatæ in persona Christi, cujus Incarnationis mysterium significatur in Matrimonio consummato etiam inter infideles. Quæ ex his opinionibus verior sit non est à nobis decidendum; sed à venerabili judicio Apostolicæ Sedis expectandum.

Undecimum Dubium est: *Duo conjuges infideles convertuntur simul ad fidem, & baptizantur: ad eorum conjugium reperitur initum in gradibus per Sacros Canones prohibitis, & cum impedimentis dirimentibus. Dubitatur, An possint continuare in eorum connubio?* Respondent con-17 corditer Theologi, ac Canonistæ, eos continuare posse in eorum Matrimonio in quocunque gradu consanguinitatis, seu affinitatis inito, excepto primo gradu; nempè si Matrimonium fuisset contractum inter Patrem, & Filiam, vel inter Filium, & Matrem; seu inter Fratrem, ac Sororem. Ita Innoc. III. *in cap. de Infidelibus. de Consanguinit. & Affinit. & in cap. Gaudemus, de Divortiis*; & utrobique Barbosa DD. cumulans, inter quos Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 51.* & Reginaldus *lib. 31. num. 118.* eam allegantes rationem, quia Jure naturali prohibitum est Matrimonium in primo gradu tam inter ascendentes, & descendentes, quàm inter collaterales. Quo ad impedimentum Affinitatis, eo non obstante pariter permittendi sunt stare in Matrimonio inito ante conversionem: at postquam fuerint baptizati, si nova Matrimonia voluerint contrahere, debent cavere ab impedimentis ab Ecclesia introductis, etsi per eos incursis tempore infidelitatis, quia cùm facti sint per Baptismum de gremio Ecclesiæ, secundùm Leges Ecclesiasticas tenentur nubere; & attendere ad impedimenta per Ecclesiam statuta. *cap. ult. de Divort.* ut latiùs differit Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 65. & seqq.* Vincent. de Justis *de Dispensat. Matrimon. lib. 2. cap. 2. num. 177. & cap. 7. num. 66.* qui in casuum contingentia, ob eorum varietatem, erunt particulariter, & in puncto consulendi, prout etiam Ricciull. *de Jure Personar. extra grem. Eccles. exist. n. lib. 2. cap. 4. & 5.*

Duodecimum est Dubium. *Si duo sint Conjuges infideles habentes filios, & filias: unus autem eorumdem Conjugum convertatur ad fidem, altero remanente obstinato in infidelitate; quid erit agendum de iisdem filiis, ac filiabus?* Respondetur cum 18 distinctione. Vel habent usum rationis; Et pendet ab eorum voluntate adhærere Parenti fideli converso, vel Parenti infideli. Vel nondum adepti sunt rationis usum; Et sunt consignandi Parenti converso, ac baptizato; ut ab eodem instruantur in Catholica Fide juxta Concilium Toletanum IV. *can. 63.* Ita Lessius *in 3. par. D. Thomæ cap. 5. de Sacram. Matrim. dub. 5. in fine.* Quòd si quis quærat in qua ætate Filii infidelium dicantur habere rationis usum, itaut possint petere, ac recipere Baptismum invitis parentibus? Respondet Glossa *in cap. Parvuli alio profitente, 78. de Consecr. dist. 4.* quòd expleto septennio; quam Glossam laudat Sotus a-19 pud supradictum Ricciullum *d. lib. 2. cap. 33. num. 3.* ubi *num. 5.* reprobat Nattam, qui *in consil. 534.* asserebat, puellam Judæam novem annorum poscentem baptizari, non esse exaudiendam ob defectum ætatis; subdit tamen, & bene, quòd in hujusmodi casibus standum est arbitrio Episcopi, qui debet examinare hujumodi filios, aut filias, & cognoscere, an habeant plenum usum rationis, ac sciant, quid postulent; adeòut licèt in septimo anno regulariter censeantur adepti usum rationis; etiam ante possint ex vivacitate ingenii illum habere, ut probat Narbona *de Ætate Ann. 7. quæst. 10.* Hoc non semel observatum est sub regimine sanctæ memoriæ Eminentissimi, ac Reverendissimi Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi hujus Urbis Patavinæ, & Heri mei dilectissimi; à cujus Heroica 20 pietate, ac liberalitate plures utriusque sexus Judæi ad fidem conversi baptizati, ac regenerati fuerunt in Christo, quorum aliqui vix septem, octove annorum ætatem excedebant.

Tandem dubitari potest: *An Uxor infidelis obstinata possit repetere dotem suam à Conjuge converso?* prout etiam *An Filii obstinati in infidelitate possint prætendere Legitimam ab eorum* 21 *Patre baptizato; & eidem ab intestato morienti succedere?* Ad utrumque respondet Affirmativè Ricciullus *d. lib. 2. cap. 47.* ubi alios *DD. & texx.* cumulat ita asserentes, ob illam rationem, quòd Dos Uxoris, Legitima filiorum, & eorum successio in bonis paternis debetur de Jure naturæ; quod non perditur ob infidelitatem, in qua nati volunt remanere. Est tamen verum, ut subdit idem Ricciullus *d. lib. 2. cap. 48.* quòd Uxor remanens in infidelitate non gaudet privilegiis, ac prærogativis de Jure Civili concessis in repetitione Dotium, quia prædicta Privilegia, 22 ac prærogativæ censentur concessæ tantummodò Uxoribus Christianis, ut scribunt Juristæ, ac Canonistæ in *eod. cap. 48.* allegati; qui nihilominus concedunt, fieri capacem prædictorum Privilegiorum ipsam Uxorem infidelem quandocunque convertatur ad fidem, etiamsi agatur de Dote ei constituta tempore infidelitatis, ut ex Baldo, & aliis *ibidem num. 12.*

DECISIO XIII.

ARGUMENTUM.

Tradita nominis *Professionis* varia significatione, ac Professionis Religiosæ divisione, & definitione, ostenditur, hanc ei inesse virtutem, ut vinculum Matrimonii Rati, nondum consummati, solvere valeat. Referuntur decem Canones Pontificum, & Conciliorum sic affirmantes. Inquiritur, Quo Jure data sit talis potestas Religiosæ Professioni? Recensentur tres opiniones diversæ; quibus additur quarta demonstrans hanc potestatem esse ei datam à tribus Juribus, Divino, Naturali, ac Pontificio, non separatis, sed simul junctis. Additur ratio hujus potestatis; & ex ea deducuntur quinque illationes scitu necessariæ, pro prædicta solutione Matrimonii Rati per Professionem Religiosam obtinenda.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1 *Professionis nomen plura significat. Et quæ?*
2 *Tertiarii an sint veri Religiosi?*
3 *Professionis Religiosæ definitio.*
4 *Professio alia Expressa, & alia Tacita, & quot modis utraque fieri possit?*
5 *Formulæ Professionis Religiosæ sunt variæ juxta consuetudinem Monasteriorum.*
6 *Formula Professionis approbata à Sede Apostolica sub pœna nullitatis est necessariò servanda.*
7 *Professionis, ut sit valida, conditiones duæ ex Concil. Trid.*
8 *Professionis tacitæ conditiones duæ.*
9 *Professione Religiosa solvitur Vinculum Matrimonii Rati.*
10 *Canones id probantes.*
11 *Alexandri Papæ III. decretum de solutione Matrimonii Rati.*
12 *Ejusdem Papæ aliud consimile.*
13 *Sponsalia si sint jurata prius sunt adimplenda, deindè ad Religionem, Matrimonio non consummato transeundum.*
14 *Innocentii Papæ III. Decretum de solutione Matrimonii Rati per Religiosam Professionem.*
15 *Joannis Papæ XXII. consimile Decretum.*
16 *Concil. Trid. Decretum idem.*
17 *Apostolica Sedes nunquam erravit.*
18 *Papa in rebus fidei errare non potest.*
19 *Concilii legitimi, confirmati à Papa, auctoritas est similis Evangelio.*
20 *Papa non dispensat contra Jus Divinum.* & num. 31.
21 *Jus naturale an repugnet, ut Professio Religiosa dirimat Matrimonium Ratum?*
22 *Matrimonii Rati solutio per d. Professionem an ex Jure Pontificio?*
23 *An ex Jure naturali?*
24 *An ex Jure Divino?*
25 *Matrimonium Ratum solvi per Professionem Religiosam est de fide.*
26 *Christus Dominus concessit, ut per d. Professionem solvatur Matrimonium Ratum.*
27 *Fundamenta duo Veritatis Catholicæ, Scriptura Sacra, & Apostolicæ Traditiones.*
28 *Christus quæ locutus sit Apostolis post Resurrectionem per dies 40?*
29 *Ecclesia Romana errare non potest.*
30 *Professio Religiosa solvit Matrimonium ex triplici Jure; Divino, Naturali, & Pontificio simul sumptis,* & num. 34.
31 *Papa potest interpretari, & declarare Jus Divinum.*
32 *Papa quomodo dispenset Episcopos, aut Parochos à residentia, quæ est de Jure Divino?*
33 *Papa quomodo concedat Monacho habere proprium, & Uxorem ducere?*
35 *Professio Religiosa est mors spiritualis.*
36 *Professio, ut dirimat Ratum, debet esse de tribus Votis indefinitis.*
37 *Equitum Religiosorum Professio an dirimat Matrimonium Ratum?*
38 *Tertiariarum Professio an Ratum Matrimonium dirimat?*
39 *Ingressus in Religionem non solvit Ratum, sed Professio.*
40 *Bimestre transacto an conjux possit ingredi Religionem?*
41 *Nubens animo ingrediendi postea Religionem, an peccet?*
42 *Professio tacita an dirimat Matrimonium Ratum?*
43 *Ordo Sacer non dirimit Matrimonium Ratum?*
44 *Jesuitæ non solvunt Matrimonium Ratum.*

DIximus supra *Decis. X. num.* 17. (agendo de indissolubilitate Matrimonii) duobus casibus solvi posse vinculum Matrimonii Rati, non consummati: videlicet si Unus ex conjugibus velit ingredi Religionem, & in ea profiteri; vel si à Romano Pontifice impetretur dispensatio super solutione ejusdem Matrimonii rati, ad effectum, ut uterque conjux ob aliquam justam, ac urgentem causam possit alias nuptias inire. De his igitur duobus casibus restat agendum; & in primis de solutione Matrimonii Rati per Regularem Professionem, de qua in præsenti, & sequenti Decisione.

Pro exactiori autem intelligentia dicendorum duo sunt præmittenda, atque notanda. Unum est, quòd hoc nomen Professio plura significare solet: siquidem primò denotat exercitium alicujus artis, seu scientiæ; undè Cicero *de Orat. 86.* ait: *Vis Oratoris, professioque ipsa discendi hoc suscipere, ac polliceri videtur.* Secundò importat clericatum, & susceptionem Ordinum juxta illud *in cap. fin. dist. 41. Clericus professionem suam & habitu, & incessu probet.* Tertiò innuit jus obedientiæ, seu fidelitatis. Glossa *in cap. cum olim. 14. in Verb. ad jus Professionis. De Privileg.* ubi ita declarat illa verba: *ideſt ad jus obedientiæ, seu fidelitatis.* Quartò significat reverentiam inferioris erga Superiorem, ut in *c. Antiqua 23. eod. tit. de Privil.* in quo de Ecclesiis Patriarchalibus dicitur: *recipientes pro se Professionem Canonicam*; & Glossa explicat; *ideſt obedientiam, & reverentiam.* Quintò insinuat mutationem status, dum persona illum mutat, transiens de uno ad alium, ut scribit Baldus *in cap. Cum Magistratum. De Elect.* juxtà quem sensum Tertiarii dicuntur facere Professionem; licet enim veri Religiosi non fiant, nec vota emittant, dicuntur tamen profiteri, ideſt statum meliorem assumere. Bordonus *Var. resolut. part. 2. resol. 75. sub. num. 15.* Sextò tandem, aliis significationibus omissis, Professio significat solemnem emissionem trium Votorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in aliqua Religione approbata; & ideò Professio Religiosa propriissimè accepta definitur, quòd sit *Promissio obedientiæ, paupertatis, & castitatis.* S. Thomas *2. 2. q. 188. art. 7.* Sylvester *in Summ.*

in Summ. Verb. Professio : & Verb. Religio 3. in princ. Lezana *in Summ. eod. Verb. Professio Regularis. num. 2 tom. 4.*

Alterum præmittendum, atque notandum est, quòd Professio Religiosa, per quam prædicta tria vota emittuntur, alia est expressa, & alia est tacita. Sanchez *in Decalog. lib. 5. cap. 3. num. 1.* Lessius *de Just. & Jure lib. 2. cap. 4. num. 57.* & Lezana *d. tom. 4. Verb. Professio Regularis d. num. 2.* Professio expressa est illa, quæ fit coram Superiore Religionis, potestatem habente
4 recipiendi illam, aut verbo, aut scripto, aut nutibus. Sanchez *d. cap. 3. num. 2.* quo loci declarat uno ex tribus modis Professionem Religiosam expressam fieri posse, videlicet verbis, scripto, vel nutibus, quia nullibi statutum est, quòd fieri debeat verbis tantum, vel scripto tantum; & quoad nutus, per eosdem pariter emitti posse Professionem probat, exemplo muti, qui potest per nutus contrahere Matrimonium ut idem Auctor docet *de Matrim. libr. 1. disp. 8. num. 12.* Azorius *Instit. Moral. lib. 12. cap. 4. q. 1.* & nos disseruimus supra *Decis. V. num. 19. & 20.* Ulteriùs advertit idem Sanchez *d. lib. 5. in Decal. cap. 3. num. 3.* nullam esse in jure præscriptam formulam, juxta cujus verba facienda sit Professio; ideò formulæ variantur secundum consuetudines Monasteriorum; in quorum pluribus formula Professionis nihil dicit de pauper-
5 tate, aut de castitate; sed tantùm promittitur obedientia, & conversio morum juxta Regulam; & ita professionem suam faciunt omnes Moniales Ordinis S. Benedicti in hac Civitate Paduæ, & quidem validè; siquidem in iisdem verbis clauduntur paupertas, & castitas, utpote quæ in Regula continentur. Azor. *d. lib. 12. cap. 4. q. 2.* Emanuel Sà *in Sum. Verb. Relig. num. 18.* & alii quos citat, & sequitur ipsemet Sanchez *d. libr. 5. cap. 3. num 3.* addens *num. 4.* quòd quamvis Religionis regula certam profitendi formam præscribat, non sunt ea verba ita necessaria, ut aliis facta Professio sit irrita; sed quibuscunque aliis emissa valebit, juxta Gloss. & Abb. *num.*
6 *13. in cap. Porrectum. Verb. Professio. De Regularib.* Nisi Regula à Sede Apostolica approbata exprimat, Professionem alia forma facta fore nullam.

Porrò ex Concilio Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 15.* duæ conditiones necessariæ sunt, ut Professio sivè expressa, sivè tacita sit valida, videlicet, ut qui vult profiteri compleverit annum decimum sextum ætatis suæ, & per annum unum integrum
7 post susceptum Religionis habitum steterit in probatione, & fecerit Novitiatum; ita ut irrita sit Professio facta ante expletum integrum Novitiatus annum, & decimum sextum Professi. Navarrus *cons. 28. num. 5. de Regular. in edit. 2.* Layman. *libr. 4. cap. 5. num. 1. & seqq.* Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 3. disp. 6. quæs. 13. num. 10.* De Jure verò communi pro validitate Professionis tacitæ aliæ duæ conditiones debent intervenire, per quas quis dicitur tacitè profiteri, nempè ut dimisso habito Novitii post annum Novitiatus,
8 induat habitum proprium Professorum, illumque publicè deferat in Monasterio; nec non ut interveniat in actibus propriis Professorum, coram Superiore Religionis, seu Monasterii, puta ferendo suffragium in Electionibus, vel in Instrumentis stipulandis, & intendendo hæc agere tanquam Professum. *cap. Ad nostram. cap. Vidua, De Regularib. & cap. Constitutionem. eod. tit. in 6.* Barbosa, alios DD. cumulans *De Jur. Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 156.* & Lezana *d. tom. 4. Verb. Professio Regularis num. 2. & 3.* qui *num. 4.* addit, quòd censetur etiam tacita Professio facta, ultra prædictas conditiones, quando quis completo Novitiatus anno, de licentia Superioris Monasterii recipit Ordines Sacros ad titulum Religionis; ut respondit Sacra Congregatio Episc. & Regular. *in una Beneventana 20. Decembris 1619.* quam refert Barbosa *ubi supra num. 167.*

His ita præmissis, ac prænotatis, concors est Catholicorum doctrina, quòd per solemnem Religiosam Professionem, sivè expressam, sivè tacitam, dissolvitur vinculum Matrimonii Rati non consummati; adeò ut alter conjux remanens in
9 sæculo, tanquam solutus à prædicto vinculo, potest ad libitum novas nuptias inire. Ita S. Thomas, & Scotus *in 4. Sent. dist. 31. q. Unic.* S. Bonaventura *ibid. dist. 27. part. 3. qu. 2.* Idem S. Thomas *in 3. p. addit. qu. 61. art. 2.* Emin. Card. Bellarminus *de Monachis lib. 2. cap. 38.* Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 18. cum plurib. dispp. seqq.* Basilius Pontius *eod. tract. lib. 9. cap. 5.* Emin. Card. de Lauræa *disp. 16. art. 13. per tot.* Mastrius alios Scotistas allegans *in 4. Sent. disp. 7. num. 190.* Collegium Salmanticense *tract. 9. de Matrim. cap. 4. punct. 3.* & ex Canonistis Barbosa, qui eos colligit, & citat *in cap. Verum. 2. de Convers. Conjugat.* & ibidem Emanuel Gonzalez *num. 3.* & aliis omissis, Tondutus *resol. Canonic. part. 1. cap. 116.* Probant autem hanc doctrinam Auctoritate Canonum, Ratione, & Exemplis.

Auctoritate Canonum. Primò *in cap. Desponsatam. 27. q. 2.* in quo S. Eusebius Papa, electus Anno 309. ita loquitur : *Desponsatam puellam* 10 *non licet parentibus alii viro tradere : licet tamen illi Monasterium sibi eligere.* Refert, & laudat hunc Canonem Basilius Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 1. num. 10.*

Secundò ex *cap. Non est dubium. 27. q. 2.* in quo S. Augustinus, qui florebat Anno 420. ita fatur : *Non est dubium, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse.* Quem textum Gratianus intelligit de Matrimonio rato, non consummato, quod dissolvitur per Religiosam Professionem. Concordat

Tertiò *cap. Cùm Societas ead. 27. q. 2.* in quo S. Leo Papa Primus, qui ad regimen Ecclesiæ universalis assumptus fuit Anno 440. ita dicit : *Cùm societas Nuptiarum ita à principio sit instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeant in se Nuptiæ conjunctionis Christi, & Ecclesiæ Sacramentum; non dubium est, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse Nuptiale ministerium.* Innuit autem his verbis differentiam Matrimonii rati tantum, & Matrimonii consummati; quia hujus vinculum est insolubile etiam per Regularem Professionem, ob significationem Unionis Christi cum Ecclesia in Incarnatione, in qua inseparabiliter unitæ fuerunt Divinitas, & Humanitas. Rati autem Matrimonium est solubile, quia in eo non est Sacramentum unionis hypostaticæ prædictæ.

Quartò

Quartò concordat *cap. Decreta Legalia d.* 27. *q.* 2. in quo S. Gregorius Magnus, qui Papatum obtinuit Anno 590. ita differit : *Decreta Legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo omnino censentur damno mulctari.* Intelligit S. Pontifex de conversione à vanitatibus sæculi ad Religiosam Professionem, per quam nullum damnum infertur à conjugata non cognita conjugi suo, quia hic potest alias nuptias inire, soluto vinculo Matrimonii rati per prædictam Professionem.

Quintò : sed evidentius solutio præfati vinculi Matrimonii rati, & non consummati habetur ex Alexandro Papa III. qui ad apicem Apostolatus evectus fuit Anno 1160. & in Concilio Lateranensi, 280. Episcoporum per eum celebrato Anno 1180. *part.* 5. *cap.* 1. ita decrevit (& refertur etiam *in cap. Verùm* 2. *De Convers. Conjug.*) Videlicet : *Verùm post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium (sicuti Sancti quidam de Nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. Quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere.*

Sextò idem respondit ipsemet Alexander Papa III. Episcopo Brixiensi, qui mulierem conjugatam volentem ingredi Monasterium excommunicaverat, etsi ejus Matrimonium esset Ratum tantummodò, ut adhæreret Viro suo, & ei debitum redderet; ait enim Alex III. *in cap. Publico.* 7. *eod. tit. de Convers. Conjugator. Cæterum, quia licèt à præfato Viro desponsata fuerit, adhuc tamen (sicut asserit) ab ipso est incognita: Mandamus, quatenus si prædictus Vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit; recepta ab ea sufficienti cautione, quòd vel ad Religionem transire vel ad Virum suum redire infra duorum Mensium spatium debeat, ipsam à sententia, qua tenetur, absolvas; ita quòd si ad Religionem transierit uterque restituat alteri, quod ab eo noscitur recepisse.* Et infra : *Sanè quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere; intelligendum est secundùm interpretationem Sacri eloquii de his, quorum Matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest.*

Septimò confirmatur hæc doctrina ex alio responso ipsius Alexandri III. *in cap. Commissum.* 16 *de Sponsalib.* in quo requisitus, quid agendum, si contractis Sponsalibus de futuro cum juramento, postea Sponsus velit ad Religionem transire ? ita sancivit : *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd tutius est ei, religione juramenti servata, prius contrahere, & postea si elegerit, ad Religionem migrare, si tamen post desponsationem copula non dignoscitur interveniſſe carnalis.*

Octavò nec dissimilis est responsio Innocentii Papæ III. (qui Pontificatum adeptus fuit Anno 1198.) ad Archiepiscopum Lugdunensem, à quo fuerat ei propositum, quòd quidam Maritus petebat suam Uxorem, etsi in Religione professam, ac velatam : nam hæc ejusdem Pontificis fuit sententia, relata *in cap. Ex parte* 14. *De Convers. Conjugat. Nos nolentes à Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire: ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari : Hoc ipsum Tibi consulimus observandum in articulo prænotato &c.*

Nonò probatur ex *Extravag. Antiquæ. De Voto*, in qua cùm Papa Joannes XXIII. dixisset, Votum castitatis in Ordine Sacro emissum non dirimere Matrimonium Ratum, subdit : *Nisi aliquam de Religionibus approbatis (quarum Professio ad Castitatis custodiam, & abdicationem temporalium, & sui superioris obedientiam suos Professores adstringat) ipsum canonicè contigerit ingredi, ac ejus Regulam expresse, vel tacitè profiteri.*

Decimò tandem probatur auctoritate Concilii Tridentini, *sess.* 24. *de Doctr. Sacram. Matrim. can.* 6 in quo sic fuit definitum : *Si quis dixerit Matrimonium Ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi: Anathema sit.* Quibus attentis Auctoritatibus Pontificiis, ac Conciliaribus certum redditur, & infallibile, quòd solemnis Professio in Religione solvit vinculum Matrimonii Rati, non consummati, sivè emittatur à Marito, sivè ab Uxore ; adeò ut conjux remanens in sæculo possit aliud Matrimonium inire, siquidem sic est decisum per Romanos Pontifices, & Apostolicam Sedem, in qua extra maculam semper est Catholica servata Religio. *cap. in Sede.* 24. *q.* 1. & quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur. *cap. A recta. eod. caus.* 24. *q.* 1. Et Papæ decreta servanda sunt ita, ac si à Sancto Petro essent facta, ea irrefragabili ratione, quia Papa non potest errare in docendo res fidei. *cap. Sic omnes cap. Si Romanorum. cap. Nulli fas sit. dist.* 19. *& cap. Si decreta dist.* 20. & quando emergit aliqua controversia circa causas fidei, vel Sacramentorum, standum est decisioni Summi Pontificis. *cap. Quoties. cap. Hæc est fides. & cap. Rogamus.* 24 *q.* 1. ac Papæ dictum, est testimonium omni fide dignum ; ut plenè demonstrat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. disp.* 7. *num.* 168. *&* 169. Et idem de solutione vinculi in Matrimonio Rato per Religiosam Professionem definitum est in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. relato *in cit. cap. Verum.* 2. *de Convers. conjugat.* nec non in Concilio Tridentino *d. sess.* 24. *de Matrim. can.* 6. est autem extra omnem controversiam apud Catholicos, quòd authoritas Concilii Generalis, si legitimum, & confirmatum sit à Papa, est velut authoritas Evangelii. *cap. Sicut Evangelii. dist.* 15.

Porrò interrogabit aliquis : A quo jure data est Professioni Religiosæ hæc facultas solvendi vinculum Matrimonii Rati ? Non enim videtur data à Jure Pontificio ; quia cùm vinculum Matrimonii Rati sit indissolubile de Jure Divino, & naturali, ut probatum est supra *Decis. X. à num.* 16 Papa non dispensat contra Jus Divinum naturale *cap. Sunt quidam.* 25. *qu.* 1 Fagnanus *in cap. Henricus. num.* 29. *De Cleric. pugnan. in duello. tom.* 6. nam Inferior in Lege Superioris non dispensat. *Clem Ne Romani.* 4. *De Elect. cap. Inferior. dist* 21. Justus

ſtus *de Diſpenſationib. Matrimon. lib. 2. cap. 4. num. 8. & 9.* ubi DD. cumulat. Non à Lege naturali, neque jure proprio ipſius Profeſſionis
21 Religioſæ; quia ſi naturaliter ſolveret vinculum Matrimonii Rati, ſolveret etiam vincula æris alieni, aut ſervitutis, quod non eſt verum. *cap. Si quis incognitus.* 17. *q.* 2. Sixtus V. *in Conſtit.* 71. *Cum de omnibus.* præterquàm quod repugnat legi naturæ, ut res uni data, ab eo auferatur absque ejus conſenſu, & alteri detur; & ſic quòd corpus conjugis profitentis auferatur à conjuge, in cujus dominium fuerat poſitum, per Matrimonium initum per Verba de præſenti. Prout etiam, quia ſi hæc vis, & facultas inſita eſſet Profeſſionis Religioſæ ex ſui natura, ſolveret etiam vinculum Matrimonii conſummati; præcipuè quando alter conjugum profiteretur vel de conſenſu alterius, vel in pœnam adulterii illius; quod apertè eſt falſum, ut notorium eſt, quia ſemper durat vinculum Matrimonii, & alter conjux non poteſt alii nubere. Nec videtur data hæc facultas Profeſſioni Religioſæ à Jure Divino, quia, ut ait Sanchez *de Matrim. lib. 2. diſp. 19. num. 2.* tale jus in Sacra Scriptura non reperitur notatum: & Divus Paulus, qui 1. *Cor.* 7. multa de ſolutione Matrimonii egit per converſionem conjugum ad fidem, nihil dixit de Profeſſione Religioſa; quare reiteratur inſtantia, à quo Jure procedat hæc vis, & facultas, ut per Religioſam Profeſſionem ſolvatur vinculum Matrimonii Rati?

Reſpondetur, tres eſſe Sententias Theologorum, ac Canoniſtarum in ſatisfaciendo huic inſtantiæ. Una eſt, quòd hæc facultas data ſit
22 Profeſſioni Religioſæ à Jure Pontificio in obſequium Divinæ ſervitutis, cui ſe mancipat conjux eligendo ſtatum Religioſum, antequam conſummet Matrimonium. Ita tenuere Gloſſ. *in cap. Unic. de Voto in* 6. Hoſtien. & Joan. Andr. *in cap. Ex publico. De Converſ. Conjugat.* Ancharan *in cap. Canonum. num.* 28. *de Conſtitut.* Felinus *in Conſil.* 26. Henricus de Gandavo *in Quodlibet. 5. q.* 35. Medina *lib. 5. de Sacror. Hom. contin. cap.* 86. Leſſius *De Juſt. & Jure lib. 2. cap.* 41. *num.* 69. Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 6. à num. 3.* & alii allegati per Collegium Salmanticen. *de Matrim. tract. 9. cap. 4. num.* 74. Ad rationem adductam in contrarium dicunt, eam non habere locum in Matrimonio Rato; quia inſolubilitas Vinculi maritalis indita de Jure Divino huic contractui intrat tantummodò in Matrimonio conſummato; per quod conjuges, expleta copula carnali, facti ſunt una caro; & de his intelligenda ſunt Verba Chriſti, *Matth.* 19. 6. *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; quippè *non ſunt duo, ſed una caro.*

Secunda ſententia tenet, hanc vim, & facultatem tributam eſſe Religioſæ Profeſſioni à Jure naturali, ac illam habere ex natura ſua; ſiquidem Juri naturali congruum, & conveniens eſt, ut quis poſſit tranſire de ſtatu imperfectiori ad ſtatum magis perfectum; quando ſic faciendo
24 nulli infert injuriam. Hoc autem fit in Profeſſione Religioſa, quæ eſt ſtatus magis perfectus, ad quem facit tranſitum conjux ante conſummationem Matrimonii, diſcedens à Matrimonio Rato, quod efficit ſtatum imperfectiorem juxta Apoſtoli verba. 1. *Cor.* 7. 32. *Qui ſine Uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum Uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat Uxori, & diviſus eſt.* Itaque à Jure naturali permiſſum eſt, ut homo poſſit tranſire de imperfectiori ſtatu, nempè de Matrimonio rato, ad ſtatum magis perfectum, qualis eſt Profeſſio Religioſa; & per hunc tranſitum ſcindatur vinculum Matrimoniale: hoc enim modo nulla fit injuria conjugi in ſæculo remanenti, quia ſivè ſit Vir, ſivè Mulier nihil amiſit, & habet omnia ſua jura integra vel ad ineundas nuptias cum alio; vel ſe Deo conſecrandi. Ita ſentire videntur S. Thomas *in 4. Sent. diſt. 27. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. in corp.* & in *ead. diſt. 27.* Richardus, Durandus, Paludanus, & alii Theologi, quos citat Sanchez *de Matrim. d. libr. 2. diſp. 19. ſub num. 1.* nec non Eminent. Cardin. Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap.* 38. & ex Canoniſtis Eminent. Cardin. de Turrecremata *in cap. Sunt, qui dicant. 27. q. 2.* Lancellotus *in Inſtit. Canon. lib. 2. tit. de Sponſalibus. §. Sponſalia*, & Covaruvias *in 4. Decret. 2. part. cap. 7. §. 4. num. 7.* Neque eos terrent rationes in contrarium adductæ. Non illa de ſolutione æris alieni, quam Profeſſio Religioſa facere non poteſt; quia, ut diximus, eam facere non vult, ne injuriam inferat creditoribus. Nec illa, de ablatione corporis in dominium conjugis transacti, per traditionem Religioni; quia corpus non tranſit in plenum dominium conjugis, & in ejus irrevocabilem poſſeſſionem, niſi per copulam carnalem, ante cujus adimplementum, dominium remanet revocabile absque injuria alterius conjugis; ſiquidem in contrahendo Matrimonio, & in tradendo corporis dominio alteri conjugi, tacita ineſt conditio, niſi faciam Religioſam Profeſſionem ante conſummationem Matrimonii; toto enim illo intermedio tempore quilibet conjux retinet ſibi poſſeſſionem ſui corporis, & vinculum Matrimonii rati non eſt prorsùs inſolubile. Et ſic ceſſat & alia ratio, quòd per Profeſſionem Religioſam non ſolvitur Matrimonium conſummatum neque per conſenſum, neque per delictum alterius conjugis; nam in utroque caſu, per copulam carnalem habitam inter conjuges, tradita fuit poſſeſſio reciproca corporum; & vinculum Matrimonii jam conſummati factum fuit inſolubile; ut diſſerunt Auctores hujus Sententiæ; & Fagnanus *in cap. Verum. De Conv. Conjug.* ubi *num. 5.* ſubdit, quòd quamvis coitus nihil addat quoad ſubſtantiam Matrimonii. *cap. Sufficiat 27. q. 2. l. Nuptias. ff. de Regul. Juris* addit tamen quo ad quædam alia, videlicet quo ad bigamiam, quoad ſignificationem, quoad ingreſſum Religionis, & quoad ſolutionem Vinculi Matrimonialis, quæ duo ultima non afficiunt Matrimonium tantummodò ratum.

Tertia ſententia eſt Scotiſtarum, qui ſequentes opinionem Magiſtri ſui ſubtiliſſimi tenent, Profeſſioni Religioſæ conceſſam eſſe poteſtatem ſolvendi vinculum Matrimonii rati à Chriſto Domino; ideòque de Jure Divino,
14 hanc facultatem illi competere. Verba Scoti *in 4. Sent. diſt. 32. ſub C.* ſunt hæc: *Chriſtus autem, qui indiſſolubilitatem induxit Matth. 19. reprobans pro lege ſua repudium Moſaycum, ipſe relaxavit indiſſolubilitatem, quando alter conjugum convertitur ad Religionem: unde Eccleſia nunquam*

quam attentasset post Matrimonia rata, non consummata, licentiare alterum ad Religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset. Hanc Scoti opinionem, & doctrinam sequuti sunt ex antiquis Theologis, & Canonistis, Sotus uterque, ac uterque Ledesma, Victoria, Corduba, Veracrux, Antonius Cuchus, Guttierez, & alii, quos citat Sanchez hanc eandem opinionem amplectens *de Matrim. lib. 2. disp. 19. num. 3.* ubi eam probabiliorem vocat. Ex Scotistis autem doctissimus Mastrius *in 4. Sent. disp. 7. de Sacramento Matrim. num. 190.* ita inquiens: *Secundò dicendum est, Matrimonium Christianorum ratum, & nondum consummatum, jure Divino derivato à Christo Domino in favorem Professionis Religiosæ, posse dissolvi quo ad vinculum per ingressum alterius conjugis in Religionem.* Ita communiter DD. quos allegant, & sequuntur Sanchez, & Tancredus *libr. 2. disp. 19.* Meratius *disp. 8. sect. 3.* Caspensis *disp. 7. sect. 2.* & alii passim; & Scotus noster ex professo *in 4. dist. 31 q. Unic. litt. C.* Huc usque Mastrius. Sed ante eum hanc eandem opinionem professus fuerat Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tract. de Matrim. disp. 16. art. 13. num. 322. & seqq.* ita illam probans: *Divino Jure Matrimonium est insolubile. Ergo si in aliquo casu est solubile, id nequit esse, nisi ex Divina dispensatione. Consequens est evidens naturali lumine, quia inferior non potest dispensare, vel licite destruere Legem Superioris. cap. Omnis. De Reg. Jur. in 6. & Clem. De Romani. De Elect. Idem enim essentialiter sunt Matrimonium ratum, & consummatum in ratione contractus; & differunt per usum, & non usum; & differentia, quæ eis inest per significationem, & non significationem, est accidentalis.* Hæc prædictus Eminentissimus Auctor, qui sub *num. 325.* hanc aliam adducit probationem, dicens: *Nullus enim præter Deum potest abrogare hoc jus, ne Professio solvat Matrimonium ratum; & hoc argumentum me convincit; itaut post Tridentinum sit argumentum insolubile: nam de fide est, Ratum solvi per Professionem. Ergo hæc solubilitas est imposita* 25 *ab eo, qui facere potuit eam sempiternè veram; alioquin si ab alio esset imposita, non potuisset declarari de fide; quia Fidei objecta non possunt mutari, ut quod nunc est de fide, post aliquod tempus non sit tale; sic autem eveniret, si alius præter Deum imposuisset solubilitatem rato per Professionem, quia fuisset creatura, quæ potest mutare consilium, & eam tollere, & tunc non esset objectum sempiternè verum.* Reflectat Studiosus Lector ad hoc argumentum, quod est fortissimum, quia si solo Jure humano Professio Religiosa haberet facultatem solvendi vinculum Matrimonii rati; posset perdere eandem facultatem, si aliquis Pontifex declararet, eam de cætero non solvere prædictum vinculum Matrimoniale. Hoc autem nullus Pontifex facere potest, quia in Tridentino declaratum est de Fide, quod Professio illud solvit; & sic quòd in perpetuum solvet. Tandem hanc tertiam opinionem, quòd à Christo Domino conces-
26 sum sit hoc Privilegium Professioni Religiosæ dirimendi Vinculum Matrimonii rati; sicque à Jure Divino provenire hanc vinculi solutionem, amplexi, & tutati sunt Rebellius *de Oblig. Justit. part. 2. lib. 3. quæst. 4. sect. 2. à n. 12.* & Basilius Pontius *de Matrim. lib. 9. cap. 5. n. 4.*

Neque amaram reddere debet hanc opinionem objectio notata supra *n. 21.* quòd in Sacra Scriptura non reperiatur scriptum hoc Privilegium, seu facultas concessa per Christum Professioni Religiosæ dirimendi vinculum Matrimonii rati; imò de hac concessione nihil locutum fuisse Apostolum Paulum, qui tanta scripsit circa solutionem, vel non solutionem vinculi Matrimonialis. Nam repetendum est, quòd Ecclesia Catholica duo habet fundamenta Veritatis, & Auctoritatis sibi à Christo relictæ, scilicet Sacram Scripturam, atque Apostolicas Traditiones. *cap. Catholica dist. 11.* siquidem non omnia facta, seu dicta à Christo Domino habentur in Evangelio, sed plurima recepta sunt, & notificata per traditionem Apostolorum, qui illa audierunt ab ipso, præcipuè post ejus Resurrectionem à mortuis per illos dies quadraginta, *in quibus apparens eis, loquebatur de Regno Dei. Act. 1. 3.* quo loci ait Tirinus: *instruens illos de Regno Dei tum cœlesti,* 27 *tum terrestri, putà de Ecclesia in terris militante,* 28 *quæ est una pars, & inchoatio Ecclesiæ Triumphantis.* Et paulo infra: *Tanto autem tempore voluit cum suis morari, Primò ob Resurrectionis fidem certiorem: Secundò ob veræ humanitatis probationem evidentiorem: Tertiò ob Apostolorum informationem pleniorem. Tunc enim docuit illos Christus quomodo Ecclesiam formarent, regerent, perficerent. Docuit ordines omnes, gradus, & status varios tam Ecclesiasticos, quàm laicos. Docuit materias, formas, ritusque singulorum Sacramentorum, & Ordinum, aliasque traditiones, quas ab Apostolis acceptas Ecclesia tanquam certissimum, nobilissimumque thesaurum omni studio hucusque conservavit.* Regitur itaque Ecclesia tum Scriptura Sacra, tum Apostolicis Traditionibus, quas commendavit Divus Apostolus *2. Thessal. 2. 15.* dicens: *Tenete Traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive Epistolam.* Et cùm ab initio Ecclesiæ servatum sit, ut Matrimonium ratum solveretur quoad vinculum per Professionem Religiosam unius ex conjugibus, ex auctoritate Christi Domini, & ex Jure Divino; quia hoc non reperitur scriptum in Evangelio, sequitur notificatum fuisse ab Apostolis, qui illud didicerunt ab eodem Christo; & ab eis traditum est verbo successoribus, à quibus Ecclesia Romana receptum 29 custodivit. *cap. Quis nesciat. dist. 11.* Idcircò est de fide tenendum, quod Ecclesia Romana tenet, & per Apostolicam Traditionem didicit; ipsa enim non potest errare, imò omnes errores destruit. *cap. Si Petrus. 24. q. 1.* & retinet veram doctrinam circa omnia Sacramenta. *cap. Ad abolendam. De Hæretic.* Concilium Trident. *sess. 7. De Sacram. Baptis. can. 3.* Hæc de tertia opinione, quæ magis probabiliter docet, prædictam facultatem solvendi Matrimonia rata per Religiosam Professionem provenire er Jure Divino, & ex Privilegio relicto Ecclesiæ suæ ab ipsomet Christo.

Quarta tamen opinio prædictis mihi videtur addenda, quam probabilissimam vocare nemo renuet, atque verissimam; & quam, etsi per abbreviata verba, insinuat Aversa *de Matrim. quæst. 2. sect. 6. Vers. Hi dicendi modi.* vide-

30 licet, Professioni Religiosæ competere facultatem dirimendi vinculum Matrimonii rati ex omnibus tribus juribus supra recensitis, Divino, Naturali, & Pontificio simul sumptis, & conjunctim acceptis, non autem separatis, aut eorum aliquo tantum: quatenùs Christus Dominus, ob naturalem excellentiam Religiosæ Professionis, concesserit Pontifici Romano Vicario suo in terris, ut non obstante insolubilitate ex Lege Divina Matrimonii, ubi hoc sit tantummodò Ratum, & nondum consummatum, declarare possit, tum ob Professionem Religiosam; tum ob quamcunque aliam justam causam, bonum regimen, ac pacificum gubernium Ecclesiæ concernentem, quòd Vinculum Matrimonii Rati sit solubile; & ex dispensatione Pontificia solvatur. Pro hujus opinionis fundamento notandum est id, quod concedunt Theologi simul, & Canonistæ; nempè Papam non posse dispensare in Lege Divina, quia erga ipsam habetur tanquam persona privata. S. Thomas 1. 2.
31 *q.* 97. *art.* 4. *ad* 3. *cap. Sunt quidam.* 25. *q.* 1. Fagnanus *in cap. Dudum. num.* 23. *de Elect.* Sed utique posse declarare, & interpretari in aliquibus casibus Legem Divinam non obligare, & sic declarando dispensare, & dispensando interpretari ipsam Legem Divinam ex speciali facultate sibi à Christo Domino tanquam Vicario suo in terris data pro bono regimine Ecclesiæ. Glossa *in d. cap. Sunt quidam. & in cap. in omni & in cap. Licet, de Testibus.* Richardus *in* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 9. *art.* 1. & Cardinalis in *cap. Cum ad Monasterium. §. Abbas. num.* 16. *De Statu Monachor.* Exemplum hujus Pontificiæ potestatis interpretandi, ac declarandi, quòd Lex Divina in aliquo casu non obliget, sumi potest, quando Papa dispensat super residentia Episcoporum, seu Parochorum ob aliquam publicam causam; etsi residentia eorumdem sit de Jure Divino.
32 *cap. Pervenit. cum seqq.* 7. *q* 1. *cap. Cùm ex eo. De Elect. in* 6. Concil. Trident. *sess.* 6. *de Ref. cap.* 1. Fagnanus *in cap. Ex parte num.* 20. *De Cleric. non resid.* ubi innumeros DD. numerat, illam de Jure Divino esse scribentes. Idcircò cùm aliquando dispensat circa residentiam Papa non relaxat Legem Divinam; sed declarat, eam in illo casu non obligare, ut docent ex Theologis Card. Cajetan *in* 2. 2 *q.* 185. *art.* 5. Sotus *de Just. & Jure libr.* 10. *q.* 3. *art.* 2. & ex Canonistis *Covaruvias Var. Resol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 9. atque idem Fagnanus *in cap. Dudum. num.* 24. *De Elect.*

Aliud exemplum afferri potest de dispensatione, quam ipse Papa concedere valet, & pluries concessit super solemni Voto paupertatis, & continentiæ; ut iisdem non obstantibus, ob aliquam maximam causam, Monachus possit
33 egredi de Monasterio, habere proprium, & Uxorem ducere; ut concedunt communiter Theologi, ac Canonistæ, quos longa serie allegat Fagnanus *in cap. Cum ad Monasterium num.* 65. & 66. *De statu Monacher.* inter quos S. Thomas *in* 4. *Sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Durandus, & S. Antonius, Major, Gregorius de Valentia, Navarrus *in Manuali cap.* 12. *num.* 77. Covarruvias *in cap.* 2. *num.* 20. & 21. *de Testam.* & alii plurimi; & nihilominnùs Vota, præcipuè solemnia, sunt indispensabilia, cùm sint de Jure naturali, & Divino, juxta illud *Psal.* 75. *Vovete, & reddite Deo vestro;* & illud *Levit. ult.* 28. *Omne quod Domino consecratur, sivè homo fuerit, sive animal, sivè ager, non veniet, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.* In eis tamen, ut dictum est, Papa tanquam Vicarius Christi, & speciali auctoritate sibi ab eo relicta, dispensat in ipsis Votis, ubi magna, ac justa causa concurrit, non relaxando Legem de Votis adimplendis; sed eandem Legem interpretando, atque declarando, quòd in illo casu sit dispensabilis, & non obligatoria; ut plenè scribit Jo. Andreas *in cap. Semel Deo. num.* 1. *Vers. sed ad hoc respondetur. De Reg. Jur. in* 6. & post illum Fagnanus *in tit. cap. Cùm ad Monasterium. num.* 74. *De Statu Monachor. & in cap. Dilecti. De Renunciat. num.* 22. ibi: *Adde, quòd in istis Votis Papa non dispensat, sed declarat, ut dicit Glossa notabilis in cap. Non est vot. in Verb. Auctoritate Sedis. De Voto.*

Ex his exemplis, & communi doctrina Theologorum, & Canonistarum, quod Papa possit ex speciali facultate sibi à Christo Domino relicta pro bono regimine Ecclesiæ, interpretari Legem Divinam, & eam pro aliquo speciali casu ex urgenti causa, obligatoriam non esse declarare; bene infertur ad intelligentiam supradictæ quartæ opinionis docentis solubilitatem Vinculi maritalis in Matrimonio rato procedere ex triplici Jure Divino, Naturali, ac Pontificio; 34
quia hæc tria Jura concurrunt ad illud solvendum; scilicet Jus Divinum, quod à Christo Domino factum est dispensabile per viam interpretationis, seu declarationis ob aliquam urgentem causam à suo Vicario cognoscendam; Jus naturale, quod dictat, esse licitum transire de statu minus perfecto ad magis perfectum; vel ad obviandum alicui magno scandalo, vel præjudicio populi fidelis per mutationem unius in alterum Statum: & Jus Pontificium, quod prædictis aliis duobus Juribus fretum, & ab eis potestatem assequutum, concurrit ad eandem interpretationem, ac declarationem faciendam. Quapropter, quando quæritur, quo Jure Professio Regularis solvat Vinculum Matrimonii rati, non consummati? Responsio esse debet, solvere trium Jurium concursu, ac vigore. *Pontificio;* quia sic ab initio Ecclesiæ per omnia subsequentia sæcula interpretatum est, ac declaratum fuit à Summis Pontificibus, Divi Petri Apostolorum Principis Successoribus. *Jure Naturali,* rationem dictante sic interpretandi, & declarandi ob transitum conjugis ad statum perfectiorem absque injuria alterius conjugis remanentis in sæculo, qui in nihilo oneratur, cùm liber, & illibatus remaneat, possitque alias nuptias inire: & *Jure Divino,* scilicet ex potestate per Christum tradita Vicario suo, dispensandi per viam interpretationis, & declarationis ob aliquam urgentem causam super Lege Divina; & in specie circa insolubilitatem Vinculi Matrimonii Rati, tum in casu Religiosæ Professionis; tum si quæ alia urgens causa ad illud dissolvendum concurrat, ut ostendemus infra in *Decis. XV.* Hæc omnia deducuntur ex verbis Averse, etsi compendiosis, ac (ut dixi) nimis abbreviatis, *in cit. q.* 2. *sect.* 6. *de Matrim. Vers. Hi dicendi modi.* Et ex consideratione, quam facit Basilius Pontius *libr.* 9. *de Matrim. c.* 5. *num.* 9. super illis verbis Alex III. *in c. Ex publico. De Convers. Conjug.* videlicet:

Sanè,

Sanè, quod Dominus in Evangelio dicit, non licet viro Uxorem suam, nisi causa fornicationis dimittere, intelligendum est, secundum interpretationem Sacri Eloquii, de his, quorum Matrimonium est carnali copula consummatum. ubi subdit ipse Pontius: *Non ad aliud caput revocat Pontifex dissolutionem Matrimonii rati per subsequentem statum Religionis, nisi ad sacri Eloquii interpretationem.* Hunc eundem sensum conferunt scripta per Monetam *de Com. uti. Volunt. c. 6. num. 103.* Hæc omnia de prima probatione, deducta ex auctoritate Canonum, quòd Professio Religiosa solvat vinculum Matrimonii Rati, & quo Jure solvat?

Secunda probatio hujus solutionis deducitur à Ratione: siquidem eundem effectum debet operari mors spiritualis in Matrimonium ratum, quem operatur mors naturalis in Matrimonium consummatum. Sed Professio Religiosa est mors civilis, seu spiritualis, qua conjux, qui convertitur ad Religionem, moritur sæculo, ut vivat Deo, secundùm illud D. 35 Pauli Apostoli *ad Colossens. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo.* Ergo sicut mors naturalis solvit vinculum carnale Matrimonii consummati, eodem Apostolo dicente 1. *1. Cor. 7. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino;* ita mors civilis, ac spiritualis, quæ est Professio, debet solvere vinculum spirituale Matrimonii rati. Ita S. Thomas *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2.* Idem Sanctus Doctor. *in Suppl. 3. part. quæst. 61. art. 2.* Dominic. Sotus, Paludan. & Durand. *in dist. 28. quæst. 2. & quæst. 3.* Emin. Card. Bellarminus *lib. 2. de Matrim. c. 36.* Emin. Card. de Turrecremata *in c. Sunt qui dicant. 27. q. 2. art. 2. num. 3.* & alii, quos cumulat Collegium Salmanticense *d. tract. 9. de Matrim. c. 4. num. 78. & 79.* Et ex hac Ratione deducunt Theologi, atque Canonistæ illationes quinque sequentes.

Prima illatio est, necessarium fore adhoc ut Professio Religiosa dirimat Matrimonium ratum, 36 quòd ea emittatur in Religione approbata, sivè clausträli, sivè Militari, de omnibus tribus votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ indefinitis, idest non aliquo modo ex constitutionibus Religionis limitatis. Hinc Militum S. Joannis Jerosolymitani, vulpò Melitensium Professio dirimit Matrimonium ratum, non etiam 37 illa Militum S. Stephani, Calatravæ, Alcantaræ, D. Jacobi, & similium; quia in eis non emittitur votum castitatis absolutè; sed conjugalis tantùm Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 18.* & ibi Navarrus, & Henriquez *lib. 11. de Matrim. lib 8. num. 6.* Vega *lib. 6. in Summa caf. 17.* Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. num. 292.* Basilius Pontius *lib. 9. cap. 7.* Aversa *d. quæst. 2. sect. 6.* & Salmanticenses *d. cap. 4. num. 85.* & multò minus posset dissolvere Matrimoni- 38 um ratum Professio Tertiariarum, aliàs Beguinorum, seu Beguinarum; non in clausura, sed domi cum habitu S. Dominici, aut S. Francisci, viventium, ut notat Eminentiss. Cardin. de Lauræa ubi *supra num. 300. & seqq.* ea ratione, quia eorum vota sunt simplicia, *Ex Constit. 22.* Leonis X. & *ex Constit. 2.* Nicolai IV. Salmanticenses *d. cap. 4. num. 87.* qui subdunt, quòd si prædicti Tertiarii, seu Tertiariæ vivant intra clausträ, & in clausura, per eorum Vota solvitur Matrimonium ratum, nam reputantur Vota solemnia, ex declaratione Pauli III. & Sixti V. quam refert Basilius Pontius *d. lib. 9. cap. 8. num. 2.* Vota quoque Donatorum in Religione Carmelitarum, Coadjutorum in Societate Jesu, & illa, quæemittunt Patres post biennium, non solvunt Matrimonium ratum, quia sunt simplicia; neque dicuntur perpetua respectu Religionis, à qua professi possunt dimitti. Salmanticen. *d. cap. 4. num. 86.*

Secunda illatio est; quòd solutio ista Matrimonii rati non fit per ingressum alterius conjugis in Religionem; sed per solemnem Profes- 39 sionem in illa: & ideò, etsi conjux ad deliberandum circa ingressum prædictum de Jure communi habeat bimestre, intra quod non est obligatus reddere debitum. *cap. Ex publico. 7. De Convers. Conjug.* pro habenda tamen Vinculi maritalis solutione expectandus est ab alio conjuge integer annus Novitiatus, post quem ex Concilio Trid. *sess. 25. de Regul. c. 15.* Professio tantummodò emitti potest, si professurus compleverit ætatis suæ decimum sextum annum: undè contingere potest, ut alter conjux expectet quatuor annos, si nupserit puellæ duodenni, quæ postea dicat, velle statum Religiosum assumere; imò etiam sex annos, si conjux vellet profiteri in aliqua Religione, quæ non recipit ad Vota nisi post annos decem, & octo, ut de Religione Minimorum S. Francisci de Paula notat Peyrinus *tom. 1. de Subdito Quæst. 1. cap. 26 §. 3.* & tradunt Sanchez *d. lib. 2. disp. 24.* & Salmanticenses *d. cap. 4. num. 89.* Quòd si intra bimestre conjux non ingressus sit Religionem, est obligandus à Judice reddere debitum suo conjugi, quia tunc habet Jus illud petendi; est tamen verum quòd si non fuerit consummatum 40 Matrimonium per quemcunque temporis cursum, potest conjux Religionem ingredi, & in ea profitendo Matrimonium ratum solvere. Sanchez *d. disp. 24. num. 27.* Basilius Pontius *d. lib. 9. cap. 9 num. 9.* & Salmanticenses *d. cap. 4. num. 90.* qui *num. 91.* subdunt, quòd licèt conjux non habeat deliberatam voluntatem ingrediendi, potest per bimestre abstinere à debito conjugali 41 reddendo, absque peccato; si autem contraxisset cum deliberata intentione non reddendi debitum, sed ingrediendi Religionem; peccasset quidem, si absque legitima causa cum tali animo nupsisset; secus si ex aliqua urgenti causa; puta si contraxisset sponsalia cum Juramento, vel Sponsam ante Matrimonium defloravisset; posset enim ad adimplementum Juramenti, vel restitutionem honoris, contrahere animo ingrediendi Religionem, & deindè Religionem profiteri, ac Matrimonium ratum dissolvere. *cap. Commissum. 16. de Sponsalibus.* & tradit Basilius Pontius *lib. 6. cap. 12.* per totum nec non Ledesma *3 part. quæst. 53. art. 1. dub. 1. concl. 2.*

Tertia illatio est, quòd quamvis Professio expressa, ac tacita quo ad sui validitatem comparentur; neque hæc censeatur abolita per Concilium Tridentinum, adeòut, completo anno Novitiatus, & ætatis annorum sexdecim cursu, etiam nunc validè quis possit tacitam Professionem emittere in Religione, ut dictum est supra

num.

num. 9. Nihilominus tacita Professio non habet vim solvendi vinculum Matrimonii Rati; sed re-
42 quiritur, ut sit expressa, ac solemniter facta; ut pluribus rationibus probant Trullench. *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 4. Zerola *in Praxi Episc. Verb. Professio. part.* 1. & 2. atque Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 87. ad quos recurrat Studiosus in actu practico, quia ego credo hunc casum metaphysicum; nam si conjux ingressus Religionem post Matrimonium ratum verè cupit ab ejus vinculo liberari, sollicitus erit expressam, ac solemnem Professionem facere; quòd si tardaret, vel tergiversaretur, alter conjux, qui est in sæculo, illum cogeret opportunis Juris remediis, vel expresè profiteri, vel ad se reverti, & Matrimonium consummare, ut tradunt DD. citati à Salmanticensibus *d. cap.* 4. *num.* 89. *in fin.*

Quarta illatio est, quòd per votum continentiæ in Ordine Sacro non dirimitur Matrimonium ratum, quia ipsa Ordinatio non est mors
43 civilis. *Extravag. Antiquæ de Voto.* Salmanticenses *d. cap.* 4. *num.* 80. & 81.

Quinta illatio est, quòd si quis fiat Jesuita, non solvit vinculum Matrimonii Rati, ut decla-
44 ravit S. Congregatio Concilii *die* 26. *Aprilis* 1621. apud Barbosam *in Summa Apostol. Decision. Verb. Matrimonium. num.* 30. Restat tertia probatio ab Exemplis piorum hominum, ac Mulierum, qui solverunt Matrimonium ratum per Religiosam Professionem: sed ne nimis prolixa sit præsens Decisio, de eis agemus in sequent.

DECISIO XIV.

ARGUMENTUM.

Referuntur Exempla XIV. Virorum, ac desponsatarum Virginum, à quibus per Regularem Professionem soluta fuerunt eorum Matrimonia Rata. Inter hæc illud S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ, quem fuisse Sponsum in Nuptiis Canæ Galilææ plenè comprobatur. Ulterius illud S. Theclæ, S. Cæciliæ, S. Euphrasiæ, S. Alexii Confessoris. Theonæ Abbatis, ac aliorum. Circa prædicta Exempla plures recensentur eruditiones, atque doctrinæ, præcipuè circa triplicem significationem nominis Religionis. Ostenditur, SS. Apostolos fuisse verè Religiosos professos. Sanctimoniales olim solitas fuisse degere tam in cœnobiis, quàm in domo paterna. Extitisse aliquos Religiosos gyrovagos; & alia jucunda, utilia, ac scitu digna.

SUMMARIUM.

1 *Exempla Matrimonii Rati per Professionem Regularem soluti.*

2 *S. Joan. Evangelista an fuerit Sponsus Nuptiarum in Cana Galilæa? Quòd sic; Rationes, & Auctoritates* num. 3. *Quòd non; Rationes, & Auctores.* num. 6.

4 *S. Gertrudis revelatio, quòd S. Joannes fuerit Sponsus prædictus?*

5 *S. Gertrudes quo anno obierit?*

7 *S. Simonem Cananæum fuisse Sponsum in Nuptiis Canæ Galilææ.*

8 *S. Joannem Evangelistam fuisse prædictum Sponsum, firmatur.*

9 *Religionis Vocabulum tria significat, & quæ?*

10 *Religio Baptismi, Clericatus, & Professionis Regularis est à Christo.*

11 *Apostoli tria Vota emiserunt in manibus Christi, & fuerunt veri Regulares professi.*

12 *S. Joannes Apostolus professus est Vitam Regularem.*

13 *S. Joannis Apostoli Sponsa quænam fuerit?*

14 *S. Thecla sponsum reliquit, & se Christo consecravit.*

15 *S. Thecla Protomartyr inter fœminas fuit.*

16 *S. Theclæ Matrimonium quomodo solutum fuerit?*

17 *S. Cæcilia, etsi desponsata Valeriano, se consecravit Christo.*

18 *Virgines Deo consecratæ olim aliæ habitabant in Monasteriis, aliæ in domo paterna.*

19 *S. Gregorii Papæ Amitæ tres Sanctimoniales.*

20 *S. Euphrasia Virgo, relicto sponso, fit Monialis.*

21 *Ejus Epistola ad Theodosium Imperatorem.*

22 *S. Alexius, ac Theonas Abbas Uxores intactas deserunt.*

23 *Religiosi gyrovagi quinam essent?*

24 *Sanctorum quædam facta miranda, non imitanda.*

25 *S. Apollonia se ipsam injecit in ignem.*

26 *Virgo Alexandrina, quæ sibi caput à milite abscindere fecit.*

27 *Milites duo Matrimonia sua rata dissolventes.*

28 *Gregoria Virgo Romana, sponso relicto, fit Monialis.*

29 *S. Petrus Eremita sponsam reliquit intactam.*

30 *Bertæ Abbatissæ consimile exemplum: Ac*

31 *S. Sylvestri Episcopi Visonti.*

32 *S. Aldegundes, fugiens à sponso, ambulat super aquas, & fit Sanctimonialis.*

33 *Joseph Caracciolus fit Clericus Regularis, dimissa Sponsa.*

34 *D. Gaston Dux Medinæ Cœli solvit Matrimonium suum ratum per Professionem in Religione S. Joannis Melitensis.*

QUòd Professio Religiosa dirimat vinculum Matrimonii rati, & non consummati, non solùm probatur auctoritate Canonum, & Ratione, prout in superiori Decisione demonstratum est; sed etiam exemplis, ab initio Ecclesiæ per subsequentia sæcula desumptis, de quibus in præsenti est videndum.

Pri-

Primum autem horum exemplorum est illud S. Joannis Evangelistæ, quem fuisse Sponsum Nuptiarum in Cana Galilææ, & à Christo
2 Domino ad Religiosam vitam vocatum, sponsam intactam reliquisse, plurimi asserunt, inter quos Alexander Papa III. *in Concilii Lateranensis III.* (Anno Domini 1180. celebrati) *Appendice part. 50. cap. 30.* hæc habet: *Beatum enim Joannem, & complures alios, ab ipsis etiam sponsalitiis ad vitam contemplativam legimus evocatos.* Angelicus quoque Doctor, qui florebat *Anno Domini 1265.* idem videtur dixisse *in 2. 2. quæst. 186. art. 4. in resp. ad 1.* ibi: *Et ideò Petrum, quem* (Christus) *invenit Matrimonio junctum, non separavit ab uxore; Joannem tamen volentem nubere, à nuptiis revocavit.* Scotus verò, qui *Anno* 1300. docebat, id expresse asseruit *in 4. dist. 31. quæst. Unic. sub C.* his verbis: *Ecclesia nunquam attentasset post Matrimonia rata, non consummata, licentiare alterum ad Religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset. Habetur autem hoc ex facto Christi vocantis Joannem Apostolum, & Evangelistam ad Apostolatum à nuptiis Jo. 2. cujus exemplum imitati sunt Sancti Patres Alexius, Theonas, & alii.* Quibus assertionibus stantibus disputant Sacræ Scripturæ expositores, an S. Joannes Evangelista fuerit ipse Sponsus in Nuptii Canæ Galilææ, ad quas intervenit Christus Dominus, cum discipulis suis, ejusque Sanctissima Matre, ut legitur *Jo. 2. 2.* & an verè fuerit ipse S. Evangelista Joannes per Christum à nuptiis illis evulsus, & ad Virginalem vitam vocatus?

Plurimi affirmant ex sequentibus rationibus, atque SS. Patrum auctoritatibus. Primò, quia cùm in prædictis nuptiis interfuisset non solùm Christus, sed etiam Deipara ejus Sanctissima
3 Mater, conveniens est credere, nuptias illas fuisse alicujus Sponsi consanguinei ejusdem Deiparæ. At S. Joannes Evangelista erat filius Zebedei, ac Pronepos ejusdem Sanctissimæ Virginis Matris Christi. Ergo ipse fuerat Sponsus. Secundo, quia dixerat Christus: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & uxorem &c. non potest meus esse discipulus. Luc. 14. 26.* oportebat igitur, ut hanc doctrinam didicisset, & actu comprobasset aliquis Christi discipulus, eidem sanguine conjunctus. Sed talis erat Evangelista Joannes. Ergo factus sponsus, & vocatus à Christo ad virginalem vitam, statim intactam reliquit Uxorem. Tertio, quia id attestantur S. Hieronymus, ac S. Augustinus *in Prologis super Evang. Joan.* primus enim ait: *Joannem de Nuptiis, volentem nubere, vocavit Dominus.* Alter verò *ibidem* pariter dicit: *iste est Joannes, quem Dominus de fluctivaga Nuptiarum tempestate vocavit.* Eorumdem autem Prologorum fidem, & quòd habuerint Auctores eosdem SS. DD. Hieronymum, & Augustinum comprobat Barradius *tom. 2. in Evang. lib. 3. cap. 1. col. 6.* Quartò accedit testimonium Venerabilis Bedæ, qui scribebat *Anno* 730. ipse enim *tom. 7. in Homil. Evangel. Dixit Jesus Petro, Jequere me &c.* hæc ponit: *Tradunt Historiæ, quòd Joannem de nuptiis, volentem nubere, Dominus vocavit; & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, potiori sui amoris dulcedine donavit.* Quintò concordat Rupertus Abbas, *lib. 2. Comment. in Joan. Anno* 1110. scribens: *Evangelistam Joannem relictis nuptiis Dominum sequi cæpisse arbitramur, ipsius enim istas fuisse nuptias opinio ferè omnium est. Tradunt enim Historiæ, quòd eum de nuptiis volentem Uxorem ducere vocaverit Christus.* Sextò, præter testimonia Alexandri Papæ III. S. Thomæ Aquinatis, & Scoti supra relata, hanc assertionem confirmat Lyranus, qui Glossas edidit in Sacram Scripturam *Annn* 1320. ipse enim *Jo. 2. 2.* ait: *Dicitur communiter quòd istæ nuptiæ fuerunt Joannis Evangelistæ, à quibus eum Christus vocavit ante consummationem Matrimonii. Ex hoc in Ecclesia observatur, quòd ante carnalem copulam potest licitè alter conjugum intrare Religionem.* Septimò tandem huic opinioni adhærent S. Bonaventura, & Ludulphus *in Vita Christi;* S. Antoninus *in Summa part. 3. art. 1. & part. 1. Hist. tit. 5.* Cajetanus *in Jo. 1.* Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.* Jo. Major, Ekius, Dionysius Cartusianus, & & alii, quos citat Barradius, iisdem inclinans *d. tom. 2. lib. 3. cap. 1. col. 6. & seq.* quibus novissimè adstipulatur Tirinus *Comment. in Jo. cap. 2. Vers. 2.* sic declarans: *Vocatus est & Jesus* (ad nuptias) *quia cognatus, vel affinis: nam ut ex plurimis Auctoribus docui in fine Chronici, non improbabile est, Sponsum in his nuptiis fuisse Joannem Evangelistam cognatum Christi.* Verba autem ejusdem Tirini *in d. suo Chronico in fin.* hæc sunt: *Addit S. Hieronymus, Augustinus, Beda, Alcuinus, Lyranus, Vincentius,* (*& nemo veterum refragatur, imò ipse Joannes ita revelavit S. Gertrudi*) *Joannem fuisse sponsum illum in Nuptiis*
4 *Canæ Galilææ.* In Vita S. Gertrudis Virginis scripta à Joanne Lanspergio Monacho Carthusiano, & Italico Sermone typis impressa Venetiis Anno 1605. *lib. 4. Insinuat. Divinæ Pietatis cap. 4. pag. mih. 264.* sic refertur, locutum fuisse S. Joannem Evangelistam eidem Virgini Gertrudi, dum in Extasi secum loqueretur: *Io in tutto il tempo della mia vita ripensando sempre con quanta soave, e famigliare amistà l' amantissimo Maestro, e Signore mio Giesù Christo habbi riguardato in me, anzi rimuneratomi di quella continenza, per la quale lasciando io la moglie, e le nozze, mi diedi a seguitare le sue pedate, mi sono ingegnato in tutte le mie parole, & in tutti i miei fatti di guardarmi, che mai in conto alcuno nè à me, nè ad altri dessi occasione, per la quale questa Virtù della Castità tanto gradita dal mio Maestro, si potesse mai macchiare.* Eadem revelatio Latino sermone reperitur conscripta in Libro, cujus titulus INSINUATIONES DIVINÆ PIETATIS, in quo Vita, ac Revelationes S. GERTRUDIS continentur, opera, & studio R. F. Laurentii Clementi Monachi Ordinis S. BENEDICTI, Congregationis Hispanicæ, Typis impresso Salisburgi Anno 1662. In eo enim *cap. 4. pag. 413.* ita fertur locutus S. Joannes Evangelista eidem S. Gertrudi Virgini: *Ego per omne tempus vitæ meæ frequentiùs recolens, quàm suavi familiaritatis amicitia amantissimus Magister meus, & Dominus JESUS in me respexerit, imò remuneraverit illam continentiam, qua Conjugem relinquens ipsum de Nuptiis sum secutus, postea semper in omnibus verbis, & factis meis hoc studium adhibui, ut diligenter caverem, ne mihi ipsi, vel aliis aliquo modo darem occasionem, undè illa Magistro meo grata Virtus, scilicet Castitas, aliquo modo macularetur.*

Hæc igitur revelatio magnum pondus dat huic opinioni tum ob sanctitatem, tum ob antiquitatem S. Gertrudis, de qua Eminent. Card. Baronius *in Notis ad Martyrolog. Roman. die 17.* 5 *Martii* ait: *Refert Molanus, eam ex hac vita migrasse Anno 664. quod etiam testatur Sigebertus in Chronico, & Trithemius de Viris Illustrib. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 113.*

Contrariam tamen opinionem ferè omnes moderni amplectuntur, comminiscentes S. Joannem Evangelistam non fuisse Sponsum in illis 6 nuptiis, neque ab eis à Christo avulsum. Primò, quia Christus accessit ad illas Nuptias, ut approbaret Matrimonium, & ad dignitatem Sacramenti elevaret. Sed potiùs illud reprobasset, si Sponsum à Sponsa divisisset. Ergo. Secundò, quia si vocatio, & separatio illa Sponsi à Sponsa vera extitisset, non sub silentio eam Evangelistæ occultassent; sed prout de Matthæo deserente telonium, ac de aliis discipulis retia, & navim relinquentibus, mentionem de ea expressam fecissent. Tertiò, quia Joannes Evangelista videtur vocatus à Christo Domino post conversionem aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galilææ; tunc scilicet, quando *vidit alios duos fratres Jacobum Zebedei, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedeo Patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus, & Patre secuti sunt eum. Matth.* 4. 21. Quartò, quia ex testimonio S. Augustini habetur, S. Evangelistam Joannem nunquam duxisse Uxorem; ita enim scribit *tract. ult. in Joan. Sunt, qui senserint, & ii quidem non contemptibiles Sacri eloquii tractatores, à Christo Joannem Apostolum propterea plus amatum, quòd neque Uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit.* Quintò, quia remanet excellentior puritas, & castitas ipsius Evangelistæ Joannis, ob quam fuit à Christo prædilectus, si dicamus, ipsum non solum à Matrimonio abstinuisse, sed ob amorem Virginitatis neque cogitasse de Matrimonio ineundo, aut de Nuptiis contrahendis. Sextò, quia S. Hieronymus scribens contra Jovinianum, qui præferebat Matrimonium Virginitati, & asserebat, ideò primatum Ecclesiæ datum esse Petro Uxorem habenti, non etiam Joanni Virgini; si opinatus esset. S. Joannem fuisse Sponsum in nuptiis Canæ Galilææ, id retulisset contra Jovinianum. Hæc tamen non scripsit, sed causam primatus Ecclesiæ in Petro fuisse dixit, maturiorem ætatem; quæ tenuior erat in Joanne, ut *in lib. 1. contra Jovinian.* & nihil locutus est de ejus nuptiis. Septimò, quia non videtur adaptabile, quòd vocatio Joannis Evangelistæ ad vitam cœlibem, & discessus ejus ab Uxore solverit vinculum Matrimonii rati per ipsum initi; cùm talis solutio efficiatur per Professionem Religiosam. At illo tempore nulla Regularis vita erat instituta, nullum Monasterium, nullum Cœnobium, in quo Joannes Apostolus potuerit vitam Regularem profiteri, & solvere Matrimonium ratum. Idcircò ob hanc præcipuam rationem, & alias supra relatas, minus probabile, quòd S. Evangelista Joannes fuerit Sponsus in Nuptiis Canæ Galilææ, asserunt Emin. Card. Baronius *tom. 1. Annal. ad Annum Christi* 31. Chartagenas *tom. 3. de Sacr. Arcan. Mariæ, & Joseph libr. 10. Homil.* 12. Menochius *in Storeis part. 4. centur. 2. cap.* 52. Maldonatus, Card. Toletus, Cornelius à Lapide *Comment. in Joan. cap. 2.* Calvus *in Proprinom. Evangelic. resol. 10.* Novissimè Sarnelli. us Episcopus Vigiliarum *in Lectionibus Scripturalib.* super Evangelio *Lect. 18. cap. 38. num. 4.* & P. Bartholomæus Ferrus Clericus Regularis Theatinus in suis *Decadib. Historicis Decad. III. Discurs. V.* Non me piget hic transcribere verba Cornelii à Lapide *Comment. in Jo. 2.* ex eis enim facile est hujus opinionis rationes evacuare. Ipse ita scribit: *Dico, Sponsum hic non fuisse Sanctum Joannem: nam Sanctus Joannes semper fuit Virgo, undè nunquam Uxorem duxit.* Et paulò infra: *Verisimilius ergo Baronius secutus Nicephorum lib. 8. Histor. cap. 30.* 7 *censet, Sponsum in hisce nuptiis fuisse Simonem Apostolum, qui à Cana hac cognominatus est Canæus. Additque Baronius ex Nicephoro locum hunc nuptiarum in Cana Galilææ à S. Helena Constantini Magni Matre, insigni Ecclesia ibidem erecta, fuisse decoratum, & nobilitatum. Simon ergo, viso hoc Christi in nuptiis suis miraculo, Sponsæ, & mundo valedicens, secutus est Christum; ab eoque in duodecim Apostolorum numerum est cooptatus; atque hac de causa Christus nuptias ejus adiit atque eas adeundo, nuptias quidem honoravit; sed eum ab illis ad se evocando, cœlibatum, & Apostolatum nuptiis præstare declaravit.* Hucusque Cornelius à Lapide.

Cæterum ejus opinio apud me plausum non reperit, etsi eam deducat ab Eminentiss. Cardin. Baronio, qui certè nimis facilis fuit in rejicienda prima opinione, affirmante, Sponsum in iisdem Nuptiis fuisse S. Joannem Evangelistam; & in amplectenda hac secunda, quòd fuerit S. Simon Cananæus; siquidem pro prima stat S. 8 Hieronymus, ac S. Augustinus *in supracitato Prologo in Evang. Joan.* Stant revelatio S. Gertrudis de Anno 664. Albini Alcuini testimonium *Comment. in Joan.* qui vivebat Anno 780. & quem allegat Tirinus in *Chronico Sacro in fine*; nec non Venerabilis Bedæ ejus Magistri supra citati; atque Ruperti Abbatis. Stat præcipuè assertio Alexandri Papæ III. S. Thomæ de Aquino, Scoti, S. Bonaventuræ, aliorumque veterum Sanctorum, ac Theologorum, quorum, (ut ait Tirinus,) nullus primæ opinioni refragatur. E contra Card. Baronius pro secunda opinione adducit Auctorem Nicephorum Gregoram Historicum Græcum, qui vivebat, & scribebat tantummodò Anno 1330. cujus dicta non veniunt præferenda scriptis prædictorum antiquiorum, ac sanctiorum Patrum, & Doctorum. Neque ponderosæ videntur rationes pro eadem secunda opinione relatæ. Non prima; quia ipsemet Cornelius à Lapide fatetur, quòd Christus *eas nuptias adeundo, Nuptias quidem honoravit, sed Sponsum ab illis ad se evocando, cœlibatum, & Apostolatum Nuptiis præstare declaravit.* Non secunda, quia plurima gesta sunt à Christo, quæ scripta non fuerunt, & habentur tantùm ex traditione, ut aliàs probavimus. Non tertia; quia non implicat, S. Joannem in Nuptiis fuisse avulsum

sum à Sponsa, & ad amorem castitatis attractum; ac paulò post vocatum esse à Christo ad Apostolatum. Non quarta, quia dictum S. Augustini intelligendum est de Matrimonio consummato, non autem de rato tantùm. Non quinta, quia inire Matrimonium, sed illud non consummare nihil derogat excellentiæ Virginitatis, ut in tot Virginibus, qui castè semper vixerunt in Matrimonio, de quibus exempla dedimus *Decis. II. num.* 16. Non sexta, quia S. Hieronymus non egebat hoc argumento, ut convinceret Jovinianum præferentem nuptias Castitati. Septima verò ratio, quòd tunc non fuissent institutæ Religiones Monasticæ, in quibus Professio Regularis ad solvendum Matrimonium ratum emitti posset, eget explicatione: Ideò sciendum.

Quòd Religionis vocabulum tribus modis accipitur videlicet à Baptismo, à Clericatu, & à Professione Regulari. Primò accipitur à Baptis-
9 mo, nam Ecclesia, quam Christus acquisivit sanguine suo, vocatur Religio, ut dicitur in oratione SS. Apostolorum Petri, & Pauli: *Da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos Religionis sumpsit exordium*; idest prædicationis Baptismi, ac Fidei Christianæ; quilibet enim, qui baptizatur, fit membrum Religionis Christianæ, & vocatur Religiosus, prout appellati sunt primi illi homines baptizati ab Apostolis, de quibus dicitur *Act. 25. Erant autem in Hierusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Et infra *num.* 41. *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Idcircò idem est Religio quod Christianitas; idem Religiosus quod Christianus, quia qui baptizatur, ligatur præceptis Religionis Christianæ. Secundo modo accipitur Religio à Clericatu, idest à receptione primæ Tonsuræ, ac Ordinum; nam Tonsuratus, & ordinatus censetur transire de statu Laicali ad statum Religiosum, & omnis Clericus vocatur Religiosus. *cap. Nullus.* 118. & ibi Glossa 12. *quæst.* 1. in illis verbis: *Quis dubitat, religiosis* (idest Clericis) *& Deo servientibus incutiat opprobrium.* Tertiò, nomen Religionis accipitur à Professione Regulari trium votorum, quæ substantialia vocantur, à qua Professi nuncupantur Religiosi; & hæ tres acceptiones conveniunt inter se, quia unaquæque earum habet propria præcepta à Religioso servanda, scilicet tam in baptismate, quam in susceptione status Clericalis, quàm etiam in ingressu vitæ Regularis: differunt autem inter se, quia licèt Religio Clericatus, ac professionis Regularis dependeat à Religione Baptismatis; nam nullus potest fieri Clericus, vel Regularis professus, qui non sit baptizatus: attamen Clericatus, & Professio religiosa non habent simul connexionem, quia hæc stare potest sine illo. *cap. Alia causa est.* 16. *quæst.* 1. & aliæ sunt obligationes Clericorum Sæcularium, aliæ autem Regularium, ut omnibus notum est.

Porrò hæ tres Religionis species, Baptismatis, Clericatus, & Professionis regularis, institutæ sunt omnes à Christo Domino; est enim
10 de fide, quòd Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Ordinis sit à Christo institutum; de Professione autem regulari, ejusdem pariter Christum Dominum fuisse institutorem latè probant Ascanius Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 25. *quæst.* 1. *num.* 38. Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 2. & Bordonus *de Profess. Regular. cap.* 1. *à num.* 8. *& seqq.* ubi demonstrant, Sanctos Apostolos emisisse tria vo- 11
ta solemnia Religionis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in manus eorum Præceptoris, ac Redemptoris nostri JESU CHRISTI; & per consequens, eosdem fuisse veros Professos Regulares; quod expressè etiam docet S. Thomas *in* 4. *sent. dist.* 38. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 3. *arg.* nec non *in* 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. in fine ibi: *Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti.* Idemque scripserunt Paludanus, & Richardus *in d. dist.* 38. Præpositus *in can.* 1. *dist.* 44. Card. de Turrecremata 17. *q.* 1. *in Summ. col.* 2. *Vers. ad rationes.* Card. Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 2. *de Monachis cap.* 5. Azorius *tom.* 1. *Instit. Moralium lib.* 11. *cap.* 23. *q.* 8. Cornelius à Lapide *in Act. Apostol. cap.* 5. *Vers.* 2. Alvarus Pelagius *libr.* 2. *de Planctu Eccles. cap.* 9. Platus *de Bono stat. Relig. cap.* 20. & alii plurimi Theologi, atque Canonistæ, quos cumulat ipse Basilius Pontius *de Matrim. de libr.* 7. *cap.* 2. *num.* 1. Quare cùm ab auctoritate tantorum Doctorum habeamus, Sanctos Apostolos fuisse veros Religiosos in tertia acceptione, idest eos verè fuisse professos tria substantialia Vota Religionis, Paupertatem, Castitatem, ac Obedientiam; adaptabile est personæ S. Joannis Evangelistæ, quòd fuerit sponsus in Nuptiis Canæ Galilææ, & quòd ejus Matrimonium Ratum, non consummatum, solutum fuerit, quando ingressus est Apostolatum, vocatus à Christo, quia tunc professus est vitam Regula- 12
rem, cum emissione trium solemnium Votorum; prout ita tenent etiam doctissimus Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 7. *num.* 190. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 16. *de Matrimon. num.* 285. nec non *num.* 385. Quòd si quis percontetur, quænam fuerit Sponsa S. Joannis, & quid ipsa egerit post solutum vinculum Matrimonium per 13
Professionem regularem & assumptionem ad Apostolatum Sponsi sui? Respondet Barradius *d. tom.* 2. *in Evang. libr.* 3. *cap.* 1. *col* 9. *in fin.* his verbis: *Dei perfecta sunt opera. Si igitur uni conjugum castitatis desiderium inspiravit, alteri quoque idem præstitisse est credibile. Forsitan prædicta Sponsa Virginis Deiparæ consanguinea fuit, & cum ea Virginitatem coluit. Potuit etiam Matrimonium cum alio inire; nam Matrimonii illius vinculum nondum consummati, Christus sustulit.* Hæc de primo Exemplo S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ.

Secundum Exemplum solutionis vinculi Matrimonialis, ob solemne Votum Castitatis, est S. Theclæ Virginis, & Martyris; de qua ita scribit Cornelius à Lapidè *Comment. in Act. Apo-* 14
stol. cap. 14. *Vers.* 1. Nempè: *Inter Græcos hic converfos illustrissima fuit S. Thecla, miris laudibus à Patribus celebrata, & nuncupata Apostola, & primogenita S. Pauli. Hæc enim desponsata juveni nobilissimo, ditissimo, & formosissimo, ut ait S. Epiphanius Hæres.* 78. *audito Paulo ardenter de Virginitate differente, Sponso relicto, ad castum Christi, cœlestis Sponsi, thalamum advolavit, eique sese voto Virginitatis sacravit; ideòque à Matre, & Sponso accusata, plurima, &*

maxima tormentorum genera constanter subiit, ac illæsa superavit. Præter S. Epiphanii testimonium, extat & illud S. Ambrosii, qui *libr. 2. de Virginit.* sic de S. Thecla loquitur: *Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, & Sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum veneratione Virginitatis mutavit: namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret Virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret Leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi muto testificante sono, quod Sacrum Virginis corpus violare non posset.* De eadem Sancta etiam S. Gregorius Nazianzenus *in Præcept. ad Virgines* sic cecinit:

Quis Theclam necis eripuit, flammæque periculo?
Quis validos ungues vinxit, rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire Leones.

Ac in laudem ejusdem Sanctæ Virginis subdit Cornelius à Lapide, ubi supra: *Quocirco ab*
15 *Isidoro Pelusiota Epist. ad Tharasium, & ab aliis, Thecla vocatur Protomartyr, eò quod inter fœminas prima pro Christo in theatrum descenderit, impietatem per tormenta prostraverit, & triumphum fidei, ac Virginitatis egerit.* Porrò quo-
16 modo S. Thecla solverit vinculum sui Matrimonii Rati, antea iniri cum Sponso suo, dupliciter explicari potest: uno modo, quòd ejus Sponsus obstinatus remanserit in infidelitate, imò fuerit acerrimus accusator apud Judicem, quòd S. Thecla ejus Sponsa esset Christiana, & insteterit, diris tormentis eam cruciari; qua Sponsi attenta infidelitate, solutum censetur prædictum vinculum Matrimoniale juxta ea, quæ supra tradimus *Decis. XI. num.* 14. Altero modo, quòd S. Thecla emiserit tria vota substantialia Religionis in manu Divi Pauli Apostoli; & sic liberata fuerit à Matrimonii vinculo; siquidem omnes Sancti Apostoli propagarunt vitam Regularem, tam in Viris, quàm in mulieribus; nam plurimi, ob amorem Christi, & Evangelicam perfectionem profitebantur Paupertatem, Castitatem, ac Obedientiam in manibus eorumdem Apostolorum, & subindè aliorum Antistitum, qui in eorum locum successerunt, ut fusius comprobat Bordonus *de Profess. Regular cap. 1. num. 20. & 21.*

Tertium Exemplum est S. Cæciliæ Virginis, & Martyris Romæ viventis Tempore S. Urbani Papæ primi, *Anno Christi* 232. de qua sic legi-
17 mus in Breviario Romano *Lect. 4. Cæcilia Virgo Romana, nobili genere nata, à prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, Virginitatem suam vovit. Sed cùm postea contra suam voluntatem data esset in Matrimnnium Valeriano; prima nuptiarum nocte hunc cum eo sermonem habuit: Ego, Valeriane, in Angeli tutela sum, qui Virginitatem meam custodit; quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur. Quibus verbis commotus Valerianus, illam attingere non est ausus.* Subindè accensus desiderio videndi Angelum, accessit ad S. Urbanum Papam, à quo instructus in fide, ac baptizatus, Angelum videre meruit custodientem Sponsam suam; & paulò post, unà cum Tiburtio fratre suo, Martyrii palmam obtinuit. Igitur ex hoc S. Cæciliæ exemplo antiqui DD. inferebant, solvi Matrimonium Ratum per solemne Votum Castitatis. Ad hoc exemplum non placet Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. num.* 285. ubi ait, vel votum illud Castitatis erat votum simplex? & hoc sicut non dirimit, si præcedat, Matrimonium contrahendum; multò minùs; si post contractum emittatur, solvere potest Matrimonium Ratum. Quòd si solemne Votum esse dicamus? non constat de ingressu in Monasterium, ac in Religionem, ubi emitti debet, ut Matrimonium Ratum solvat; undè Eminentia sua subdit: *Alii adducunt alia exempla de S. Thecla, & de S. Cæcilia: sed mihi videtur, hæc exempla non facere pro nobis.*

Nihilominùs sustineri potest ea facere pro nobis, dicendo, earundem S. S. Virginum Vota Castitatis fuisse solemnia, emissa in manu Pontificis, seu Prælati; quæ si præcedunt Matrimonium, habent vim illud dirimendi; si autem post illud Ratum, non consummatum emittuntur, ejus vinculum solvunt. Nec amaritudinem facere debet, quòd prædictæ Sanctæ Virgines, aliæque sic Deo devotæ, non legantur in Monasterio constitutæ; nam in primis Ecclesiæ sæ- 18
culis duo erant genera Virginum, per solemne Votum Castitatis Deo devotarum: Unum earum, quæ degebant in Monasteriis; aliud illarum, quæ remanebant in paterna domo; ut advertunt Giballinus *De Clausura Regular. Disquisit. 1. cap. 1. num.* 3. & Cabassutius *in Notitia Concilior. in Synopsi Sæcul. II. Dissert. 3. num.* 4. ubi sic scribit: *Virginum Deo palam dedicatarum duo distinguebantur genera: quædam enim in parentum ædibus cum ipsis versabantur, cujusmodi fuerunt Sanctæ Marcella, Eustochia, Principia, Demetrias. Aliæ in Monasteriorum septis religiosam vitam, à personis sæcularibus sejunctæ, degebant.* Concordat Giballinus *d. num.* 3. his verbis: *Virgines, quæ domi suæ alebantur, sub parentum erant custodia, à qua ubi discedebant, commendabantur ab Episcopo gravioribus fœminis aut Monasteriis includebantur. ex quibus non poterant pro libito exire.* Et citat *can.* 44. *Concil. Carthagin. III.* ita in utroque casu statuentis. Itaque stare potest, quòd S. Cæcilia, prout etiam S. Thecla habitarent in domo paterna; quamvis jam essent consecratæ Deo per solemne Castitatis Votum, potens dirimere subsequens Matrimonium: vel antea contractum, Ratum tantummodò, & non consummatum, solvere. De his subdit idem Cabassutius *eod. num.* 4. aliud exemplum ita dicens: *Quod autem spectat ad eas Virgines, quæ proprias parentum ædes incolebant, illustre præbent exemplum tres Sanctæ Gregorii primi Pontificis Amitæ, invicem Sorores, Tarsilla, Æmiliana, & Gorgonia, Virgi-* 19
nitatis voto Deo consecratæ, de quibus ita idem S. Gregorius hæc testatur (Homil. 8. Evangel.) *Uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ sunt, sub districtione Regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant.*

Quartum

Quartum Exemplum est illud S. Euphrasiæ Virginis, quam genuit Antigonus Senator Constantinopolitanus ditissimus, ac piissimus simul, tempore Theodosii Imperatoris, cujus erat gratissimus Consiliarius *Anno Christi* 390. Vix annum quintum Euphrasia expleverat, cùm
20 Antigonus Pater ejus cessit è vita; ac paulò post Imperatore postulante, data fuit in Matrimonio alteri Senatori, Sponsæ pulchritudinem, ac divitias simul concupiscenti. At Euphrasiæ Mater Lectissima, ac Sanctissima mulier, cùm cognovisset à quodam potente castitati suæ viduali insidias parari, clam secessit cum filiola Euphrasia in Ægyptum ubi ampliſſimas retinebat possessiones. ibi colere, ac frequentare cœpit Monasterium Sanctimonialium, Deo exactissimè inservientium, quibus filiam Euphrasiam educandam dedit, & ab iisdem ad amorem Sponsi cœlestis, ac æternæ beatitudinis accensa. Vitam Religiosam elegit; & duodennis tria solemnia Religionis Vota, Paupertatis scilicet, Castitatis. & Obedientiæ emisit; ut scribit Laurentius Surius *tom. 2. die 2. Martii* in ejus Vita, virtutibus, ac miraculis plena; in qua subdit Imperatorem Theodosium ad eam misisse Litteras adhoc, ut Matrimonium per verba de futuro jam contractum, absq; e mora actu compleret; cui Euphrasia ita rescripsit: *Domine Imperator. Ita nè suades ancillæ tuæ,*
21 *ut repudiato Christo, homini corruptibili, & quem paulò post vermes edent, conjugar? Absit tanta perversitas ab ancilla tua. Oro igitur, Domine Imperator, ne Tibi deinceps Vir ille hac de re mihi molestus sit; ego enim me Christo devovi, & fieri non potest, ut illum abnegem. Precor autem Imperium tuum, ut sis memor Parentum meorum, measque opes, ac facultates dispenses in pauperes, & Christi Ecclesias. Servos verò omnes manumittas, & Patris mei actoribus præcipuè, ut debitum omne remittant agricolis jam indè ab obitu Patris mei usque in præsens, ut sine sollicitudine possim servire Christo, cui me totam commisi.* Imperator tantam virtutem admiratus, ac veneratus dictis Euphrasiæ acquievit. Itaque hæc Virgo per Regularem professionem solvit Matrimonium antea contractum, etsi per verba tantùm de futuro, cùm esset quinquennis, prout illis temporibus erat in usu.

Quintum, & Sextum Exemplum, à Scoto *in 4. Sent. d. q. 31. sub litt.* C. relatum, est S. Alexii Confessoris, nobilis Romani; nec non
22 cujusdam Theonæ Abbatis. De Sancto Alexio hæc ponit Breviarium Romanum *die 17. Julii. Alexius Romanorum nobilissimus, propter eximium Jesu Christi amorem, prima nocte Nuptiarum, peculiari Dei monitu, relinquens intactam Sponsam, illustrium orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem suscepit.* Idque fecit Anno Domini 410. circiter, cùm esset Pontifex Romanus Innocentius Primus; Imperator autem Honorius. De Theona Abbate scribit Jo. Cassianus *collat. 21. cap. 9.* (cujus verba refert Emanuel Gonzalez *in cap. 1. De Convers. Conjugator. num. 3.*) quòd dimissa Uxore, etiam invita, & ea reluctante, ad eremum, & Monachatum se contulit, *ubi* (sunt verba Cassiani) *in brevi tanto splendore sanctitatis, & humilitatis enituit, ut beatæ memoriæ Joanne ad Dominum ex hac luce migrante, sanctoque Helia viro, qui haud minor decessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas universorum præelectus judicio, in Diaconiæ eis dispensatione successerit.* De his duobus exemplis congruentiùs dicendum videtur, ea non facere pro nobis; non illud S Alexii, nam non continet, quòd professus si vitam Regularem in aliquo Monasterio, nec quòd ejus Uxor alii nupserit, quæ imò semper permansit in domo ejusdem S. Alexii, cum genitoribus ejus, ut ex Metaphraste notat Surius in ejus vita *die 17. Julii.* Exemplum verò Theonæ Abbatis ad rem non facit, quia ex narrativa Cassiani, & Gonzalez *ubi supra*, deprehenditur eum stetisse quinquennio cum Uxore, & per consequens Matrimonium cum illa consummasse, ac de Jure ea invita non potuisse ad Religionem transire. *cap. Agathosa. cap. Si quis conjugatus. 27. q. 2. cap. Si dicat Vir. cap. Notificasti. & cap. Mulier. 33. q. 5.* Nisi dicamus, S. Alexium factum fuisse Religiosum de numero eorum, quibus loco cœnobii assignabatur peregrinatio; undè vocabantur gyrovagi, de quibus differit Giballinus *de Clausura Regular.* 23
disquisit. 3. cap. 1. §. 3. num. 9. Abbatem verò Theonam stetisse cum Uxore in Matrimonio rato; non autem consummato. Quidquid sit, dicere oportet gesta prædictorum Servorum Dei fuisse miranda, non imitanda, ut respondet Gonzalez *in d. cap. 1. De Conv. Conjug. num. 6.* his verbis: *Supponere oportet in eis peculiarem aliquam Divinam inspirationem interveniſſe, vel* 24
impellentem ipsos ad sic faciendum, vel actum ipsum comprobantem; idque præter ordinem, & legem; ut haberemus, quod miraremur, non quod imitaremur. Sic S. Apollonia Virgo, & Martyr, *comprehensa ut combureretur, cùm paulisper, quasi deliberans* 25
quid agendum esset, stetisset, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum, majori Spiritus sancti flamma intùs accensa, se injecit, ut legimus in Breviario Romano *die 9. Februarii*; opus mirandum, non imitandum. Consimile admiratione dignum fuit factum Virginis illius Alexandrinæ, de qua P. Stephanus Binetti Societ. Jesu *in Praxi Divini Amoris cap. 28. Exempl. 11.* ipsa enim ne stupraretur à milite, finxit, se ei daturam oleum præservans ab omni vulnere; quo collum suum unxit, dicens militi, exper- 26
rire: ense tuo percute tota vi collum meum. Credulus miles ita fecit: abscidit unico ictu caput Virginis, quæ ob amorem Christi vitam perdidit, ut Virginitatem servaret.

Septimum Exemplum est aliorum duorum militum, de quibus testatur Divus Augustinus *libr. Confession. cap. 6.* quòd lecta per eos S. Antonii Abbatis vita, relictis Sponsis ad Monasti- 27
cam vitam evolarunt, & vota solemnia Religionis professi fuerunt; vincula suorum Matrimoniorum nondum consummatorum dissolventes.

Octavum Exemplum est Gregoriæ Virginis Romanæ, de qua narrat S. Gregorius Papa, *Dialog. libr. 3. cap. 14.* eam spretis nuptiis jam sibi constitutis, ad Monasterium Monialium confugisse, atque in eo Regularem Vitam esse 28
professam.

Nonum exemplum est S. Petri Eremitæ Hispani, de quo Bollandus *die 11. Martii*; & ea-

dem die Hieronymus à Basilica Petri *in Ephe-*
29 *merid. Sacris* narrant, quod, ad imitationem S. Alexii, prima nuptiarum nocte Sponsam intà ctam reliquit, ac in Italiam ex Hispania veniens, secessit in speluncam intra Verulanam Diœcesim, in qua austeram vitam duxit, ac miraculis claruit.

Decimum Exemplum est Bertæ Abbatissæ in Diœcesi Rhemensi, quæ post Matrimonium ratum cum Gundeberto Viro nobili Sponso suo, Monasterium ædificavit, & in illo tria vota Re-
30 ligionis emisit, ac se à Vinculo maritali solvit; ut fusiùs scribunt Bollandus, ac Hieron. à Basilicà Petri *in Actis Sanctor. Calend. Maii.*

Undecimum Exemplum est S. Silvestri Episcopi Visonti, Urbis Burgundiæ, vulgò *Besan-*
31 *cione*, qui cum iniisset Matrimonium per verba de præsenti, Sponsa consentiente, Vitam Religiosam professus est, sic attestantibus iisdem Bolando, & à Basilica Petri *die* 10. *Maii.*

Duodecimum desumitur Exemplum à S. Aldegunde Virgine, de qua Bagatta *in Admirand. Orbis Christ. tom. 2. lib. 5. cap. 4. §. 11. num. 5.* hæc
32 ponit: *Urgebatur à Parentibus nobilissimis, ut nuberet Principi Angliæ Regis filio. Dies nuptiarum jam decreta erat, ipsa licèt dissentiente. Ea nocte, qua adventabat Princeps, è domo paterna sese surripit, in sylvam Malbodium nuncupatam perrectura, ut ibi lateat. Quæritur puella à domesticis, quæritur & à Sponso. Præsidio noctis se tutam arbitrabatur, ut illo insequente deprehenditur in augustiis, Sambra fluvio ulteriorem gressum prohibente. Quid ageret? Tumultum ad se adventantium equitum inaudit; nec tam Sponsum existimat, quàm Virginitatis hostem advenire. Rem igitur tacita oratione Deo commendat, & magna in eum jacta fiducia, super liquidum, & impermeabile elementum gradum figit solidum, opitulantibus duobus, dextra, levaque Angelis. Sic evadit incolumis, spectante Sponso, qui Divinum admiratus miraculum, plenus stupore, ab incœpto desistens retrogreditur.* Accessit ipsa deindè ad Monasterium Altimontense, & in eo inter Moniales professas admissa, sanctitate vitæ, ac miraculis claruit.

Decimumtertium exhibet Exemplum Sylos *in Historia Clericor. Regular. tom. 2. lib. 4. Anno* 1606. narrans, Ven. Josephum Caracciolum,
33 dum in sæculo degeret, & Isabellæ Caracciolæ, formosissimæ conjugi Matrimonio junctus fuisset, mutuo consensu thorum conjugale castimonia conservasse, & subinde Religionem ingressum per solemnia vota se, ac Sponsam suam à nexu Matrimoniali liberasse.

Decimumquartum, & ultimum Exemplum suggerit Glossa *in addit.* ad Henriquez *in Summ. libr. 11. cap. 8. n. 6. litt. E.* ubi cùm dixisset, Matrimonium ratum solvi per professionem regularem etiam in Religione Militari S. Joannis Equitum Militensium, subdit: *Sic in praxi Don*
34 *Gaston Dux Metinæ Cœli, susceptа hujus Ordinis professione, liberatus est à Matrimonio cum sapientum consultatione.* Idem repetit Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 18. num. 8.* Si quis ulteriora desiderat exempla dissoluti Matrimonii rati per Regularem professionem, legat Emin. Card. Bellarminum *tom. 1. lib. 2. de Monachis cap. 38.* & Espencæum *lib. 6. de Voto continentiæ cap. 4.* Suprascripta enim nobis sufficiunt.

DECISIO XV.

ARGUMENTUM.

Disputatur gravissima illa Quæstio, Utrùm Papa habeat potestatem dispensandi, & dissolvendi Matrimonium ratum, nondum consummatum? Pro negativa (quæ rejicitur) adducuntur rationes decem, ac Doctores plures eam tenentes. Pro affirmativa aliæ magis ponderosæ rationes allegantur; ac exempla plurima recensentur dispensationum à Summis Pontificibus per sexcentos continuos annos pro dissolvendis Matrimoniis ratis concessarum. Causam tamen justam esse necessariam ostenditur; & quæ sint justæ causæ? demonstratur. Multæ eruditiones perpulchræ inseruntur; & alia dubia, hanc Quæstionem concernentia, elucidantur.

SUMMARIUM.

1 *Papa an possit dissolvere Matrimonium ratum, non consummatum? Quòd non. Rationes* num. 2. *Quod sic* num. 13.
3 *Papa non potest dissolvere Matrimonium consummatum.*
4 *Papa non valet impedire effectus Sacramentorum.*
5 *Matrimonii bona tria. Et quæ?*
6 *Principes Laici non possunt Matrimonia rata dissolvere.*
7 *Servus ordinatus nesciente Domino deponitur.*
8 *Jus suum nemini est auferendum.*
9 *Morbus superveniens non solvit Matrimonium.*
10 *Hæresis mariti non solvit Matrimonium ratum.*
11 *Episcopus an possit in sua Diœcesi quidquid Papa in toto mundo, nisi prohibeatur?*
12 *Scotistæ tenentes, quòd Papa non potest dispensare in Matrimonio rato. Idem Thomistæ, & Canonistæ.*
14 *Papa habet plenissimam potestatem pro bono regimine Ecclesiæ.*
15 *Plus cui licet, etiam minus licere debet.*
16 *Papa dissolvere potest Votum solemne Castitatis, & Religionis.*
17 *Exempla Religiosorum, quorum Vota solemnia fuerunt dispensata.*
18 *Nicolaus Justinianus Monachus Casinensis Uxorem duxit.*
19 *Anna filia Ducis Venetiarum nupsit dicto Monacho Justiniano.*

20 *Argu-*

20 *Argumentum de facto ad potentiam valet.*
21 *Exempla Matrimoniorum ratorum per Papam dissolutorum.*
22 *S. Anton. Archiep. Florentin. quo anno obierit?*
23 *Navarri doctrina de Matrimoniis ratis solutis per Papam.*
24 *Navarri Virtus, ac pietas laudata. Quo anno obierit?*
25 *Doctori legenti magis credendum, quàm consulenti. Et cur?*
26 *Cardinalis Cajetani laus, ejus Vitæ, ac mortis tempus.*
27 *Cardinalium testimonio, etiam sine juramento, credendum.*
28 *Henrici Henriquez dictum de solutione Matrimoniorum ratorum.*
29 *Ejus laudes, Vitæ bonitas, summa sapientia, & obitus.*
30 *Jo. Valeri attestatio de Matrimoniis ratis dissolutis per Papam.*
31 *Camilli Guarienfis Nob. Veronensis Matrimonium ratum solutum.*
32 *Jacobus Menochius Publicus Legum Professor Paduæ laudatus.*
33 *Rotæ Romanæ testimonium, quòd Matrimonia rata dissolvi possunt,*
34 *Burgi Urbs, vulgò* Burgos *est in Hispania.*
35 *Prosper Fagnanus cœpit esse Secretarius S. Congr. Concilii Anno* 1613.
36 *Urbani VIII. Litteræ dispensationis super Matrimonio rato.*
37 *Pœnitentiarius Major an dispenset in Matrimoniis ratis occultis?*
38 *Papa habet omnia jura in scrinio pectoris, & est fidei regula.*
39 *Doctores, qui tenent Papam in rato Matrimonio posse dispensare.*
40 *Resolutio rationum, quibus videbatur Matrimonium ratum insolubile.*
41 *Scotus bene declaratus à Mastrio.*
42 *Doctorum minor numerus à majori enervatur.*
43 *Papæ judicio standum est contrà Doctores.*
44 *Causæ duodecim, ob quas Papa potest solvere Matrimonium ratum.*
45 *Cupido cur cæcus, & oculis vitta opertis pingatur?*
46 *Morbus Gallicus quando sit contagiosus?*
47 *Ratum Matrimonium primum impedit, ac dirimit secundum quamvis consummatum.*
48 *Sponsorum solus consensus mutuus non sufficit pro dissolvendo Matrimonio rato.*
49 *Matrimonium ratum an solvi possit à Papa absque urgenti causa?*
50 *Pontifices, qui recusarunt dissolvere Matrimonium ratum.*
51 *Papa an per Legem generalem possit Matrimonia rata solvere?*
52 *Consensus utriusque conjugis an sit necessarius pro dissolvendo Matrimonio rato?*

VIdimus hucusque de primo casu, in quo solvitur vinculum Matrimonii Rati per Religiosam Professionem; nunc agendum est de secundo casu, per quem solvi potest ipsum Matrimonium, quem in *Decis. X. num.* 17. esse diximus Pontificiam dispensationem. Igitur disputant Theologi, atque Canonistæ, Utrùm Papa possit dissolvere Matrimonium ratum, nondum consummatum, ad effectum, ut prævia ejus dispensatione uterque conjux possit alii nubere; & cum alio novas Nuptias inire? Omnes scribentes vocant Quæstionem hanc gravissimam, & molestissimam, propter opiniones contrarias affirmativam, & negativam, quæ reperiuntur circa ipsam; & ob multitudinem, atque auctoritatem Doctorum pro utraque parte pugnantium, ac fortissimis rationibus innitentium. Plures, & præcipuè antiqui Doctores amplexi sunt opinionem negativam, docentes non posse Papam dissolvere Matrimonium ratum ex rationibus sequentibus.

Primò: Quia insolubilitas Matrimonii, etsi tantummodò rati, est de Jure Divino, & statuta ab ipso Deo, ut ostendimus supra *Decis. VII. num.* 25. & 26. & habetur *in cap. Unico. De Voto in* 6. atque in Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. *De Matrim.* Sed potestas Papæ non se extendit supra Legem Dei, neque dispensare potest contra Jus Divinum. *cap. Divinis præceptis cap. Sunt quidam. & cap. Omnes.* 25. *q.* 1. Ergo solvere non potest Vinculum Matrimonii rati. 2

Secundò: Si Papa posset dissolvere Matrimonium Ratum posset etiam consummatum. Sed hoc dissolvere non potest, ut plenè probavimus *d. Decis. VII. num.* 23. nec non *Decis. X. à num.* 17. *& seqq.* Ergo nec Ratum. Major propositio, in qua est vis argumenti, sic probatur. Matrimonium tam ratum, quam consummatum in ratione contractus sunt essentialiter idem; siquidem copula carnalis non est novus contractus; neque spectat ad ejusdem contractus essentiam. *cap.* 1. *& cap. Sufficiat.* 27. *q.* 2. Magister *in* 4. *Sent. dist.* 27. *litt.* D. Similiter in ratione Sacramenti non differunt, quia ratio Sacramenti fundatur in contractu, non in copula; ideòque ante eam habetur essentia Matrimonii; aliàs non fieret Sacramentum. Idcircò cùm Matrimonium Ratum, & Matrimonium consummatum sint unum, & idem Sacramentum; unus, & idem perfectus contractus; qui non potest solvere consummatum, neque Ratum solvere poterit. 3

Tertiò: Quia Papa facere non potest, ne Sacramenta suum operentur effectum: exempli gratia, ne baptizatus sit de familia Christi; ne Eucharistia consecrata contineat Corpus Christi; & ne alia Sacramenta collata subjecto capaci operentur in eo suos effectus, quos infallibiliter producunt ex Dei institutione. Sed unus ex effectibus Sacramenti Matrimonii est indissolubilitas; undè ait S. Augustinus, quem refert Magister *Sent. in* 4. *dist.* 31. *A. Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet Fides; Proles, & Sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum* 4 5

conju-

conjugale cum alio, vel alia coeatur. In prole, ut amanter suscipiatur, & religiosè educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur. Ergò cùm hæc indissolubilitas conjugii sit effectus Sacramenti, & veniat à Deo, non potest à Papa auferri; faciendo solubile Matrimonium Ratum, & dispensando, ut conjuges separentur, & aliis per novum Matrimonium jungantur.

Quartò: Quia Papa non debet operari contra Evangelium, neque contra doctrinam Apostolorum. Sed in Evangelio scriptum est, *Matt.* 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Divus Apostolus Paulus 1. *Corinth.* 7. docet, quòd *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, soluta est à Lege viri, cui vult, nubat.* Ergo Matrimonium Ratum à Papa solvi non potest; & solum per mortem alterutrius conjugis fit solubile.

Quintò: Quia si Papa posset dispensare in Matrimonio Rato fidelium, & illud solvere; etiam Principes Laici possent dispensare, atque
6 solvere Matrimonia suorum subditorum infidelium. Sed hoc est falsum, ut asseritur ab omnibus Theologis; & notant Salmanticenses *tract. 9. de Matrim. cap. 4. n. 57.* Ergo neque Papa potest solvere Matrimonium ratum inter fideles.

Sextò: Quia Ecclesia non permittit; ut quis privetur Jure suo, quod habet in aliquo; & ideò si servus ordinetur, invito, vel nesciente domino, deponitur, & ipsi domino restituitur. *cap. 1. & 2. De Servis non ordin.* & ratio est, quia justitia non patitur, ut Jus nostrum sine
8 nostro consensu nobis auferatur. *l. Id, quod nostrum 11. ff. de Regul. Jur.* Menoch. *cons. 161. num. 19.* Sed per Matrimonium ratum acquisitum est uni conjugi jus, & dominium in corpus alterius conjugis, ut ex Apostolo 1. *Cor. 7.* 4. ostendimus supra *Decis. II. num. 10.* Ergo à Papa non debet ei jus suum auferri, eodem invito, per dissolutionem Matrimonii rati.

Septimò: Quia in *cap. Hi, qui Matrimonium* 32. *q. 7.* respondit Nicolaus Pontifex, quod *Hi, qui Matrimonium jam contraxerunt, & uni ex duo-*
9 *bus dementia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem, & causam conjugia talium solvi non possunt. Similiter dicendum est de his, qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à barbaris exacti fuerint:* Ergò nulla de causa solubile est Matrimonium ratum.

Octavo: Quia Innocentius III. *in cap. Ex parte. 14. de Conversi. Conjugat.* interrogatus dixit: *ex quo Matrimonium inter legitimas perso-*
10 *nas, per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus, in nullo casu posse dissolvi, ut vivente reliquo alter ad secunda vota transmigret; etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum conjugium fieret hæreticus.* Igitur si in nullo casu potest dissolvi, neque per dispensationem Papæ, etsi consummatum non sit, sed solummodo ratum, poterit dissolvi.

Nonò: Quia si talis dispensatio, & dissolutio Matrimonii rati esset possibilis in Papa, posset etiam fieri ab omni Episcopo in sua Diœcesi; quandoquidem quidquid Papa potest in univer-
11 so Orbe, potest & Episcopus in sua Diœcesi, nisi sibi sit specialiter prohibitum, Salmanticenses *d. cap. 4. de Matrimon. num. 57.* Sanchez *de Matrim. libr. 1. disp. 61. num. 3. & libr. 2. disp. 14. sub num. 1. Vers. Octavò.* At nullibi id reperitur prohibitum. Ergo

Decimò. Quia sic sentit Scotus *in 4. sent. dist. 31. q. 1. Vers. Tertiò modo*; & cum eo tenet omnis Schola Scotistarum, inter quos S. Bonaventura, Almainus, Herinx, Tataretus, & a-
12 lii, quos citat, & quibus inclinat Eminen. Card. de Lauræa *disp. 16. de Matrim. art. 12. num. 232.* ex Thomistis autem Paludanus, Victoria, uterque Sotus, uterque Ledesma, Valentia, Gonetus, & alii cumulati per Basilium Pontium, iisdem tenaciter adhærentem *lib. 9. de Matrim. cap. 3. num. 3.* Ex Canonistis verò Emin. Card. de Turrecremata in *cap. Sunt, qui dicunt. 27. q. 2. art. 3. num. 5.* Alexander de Nævo *in cap. Duas. num. 14. De Sponsa duorum.* Covarruvias *in 2. p. de Matrim. cap. 7. §. 4. num. 13.* Antonius Cucchus *libr. 5. Instit. major. tit. 12. num. 27.* Bursatus *cons. 207. num. 18. lib. 2.* & alii innumeri, quos numerat Sanchez *de Matrim. d. libr. 2. disp. 14. num. 1. in fine*, & quos citat Diana *part. 8. tract. 1. resol. 62. & tract. 3. resol. 97.* Quæ resident in Coordinato *tom. 3. tract. 1. resol. 94. & 95.*

Affirmativa Sententia, quæ communior, ac verior est, & in praxi recepta, habet & ipsa suas rationes, atque gravissimos Authores Theologos, atque Canonistas defendentes, ac docentes, Summum Pontificem, tanquam Christi Vicarium in 13
terris, habere à Deo potestatem, justa, & gravi concurrente causa dispensandi in Matrimonio rato, & ejus vinculum dissolvendi, ad hoc ut ambo conjuges ab eodem vinculo liberati possint aliis nubere, si velint, & alias nuptias inire. Rationes hujus Pontificiæ potestatis sunt sequentes.

Primò: Quia Summus Pontifex recepit à Christo Domino plenissimam potestatem ad omnia, quæ necessaria sunt pro bono regimine fi-
14 delium, & ad commodum, & utilitatem eorum; & præcipuè ad ipsorum pacem conservandam. Sed ad hunc finem consequendum necessaria erat potestas dissolvendi Matrimonia rata, nondum consummata, ad evitanda mala, & ad tuendam concordiam in familiis, ac Regnis Christianis. Ergo hujusmodi potestatem Christus concessit Papæ, ut doctè demonstrat Jacobus Pignatellus in suis celeberrimis Consultationibus Canonicis *tom. 1. Consult. 148. num. 4.* ubi DD. sic docentes cumulat.

Secundò: Quia cui licet quod est plus, quod etiam minùs est licere debet, *cap. Cui licet. 44. de Regulis Juris in 6.* Sed Papæ licet dissolvere vo-
15 tum solemne Castitatis emissum in Professione Religiosa, quod est Majus, quàm Matrimonium ratum: nam per idem Votum dissolvitur hoc Matrimonium, ut fusè demonstratum est supra *Decis. XIII. à num. 9. & seqq.* Ergo ipsi Papæ licere debet etiam dissolvere Matrimonium ratum, quod est minus. Minor propositio, quòd Papa possit dissolvere Vota solemnia Religionis probatur auctoritate, & exemplis. Præstat auctoritatem S. Thomas in 4. *sent. dist. 38. q. 1. art. 4. ad 3.* his verbis: *Si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut*

unius

unius Regni, vel Provinciæ expoſceret, poſſet convenienter, & in voto continentiæ, & in voto Religionis diſpenſari. Hanc Angelici Doctoris ſententiam ſequuntur, & approbant plurimi Theologi, ac Canoniſtæ, antiqui, & moderni, quos congerit, & citat noviſſimè Fagnanus *in cap. Cum ad monaſterium. n. 65. De Statu Monachor. tom. 5.* & nos demonſtravimus ſupra
17 *Deciſ. XIII. num.* 33. Exempla Votorum ſolemnium Religionis per Papam diſpenſatorum ſunt, de Ramiro Rege Aragonum, qui relicta Religione, & Epiſcopatu, accepit Uxorem. De Conſtantia filia Rogerii Regis, quæ cùm eſſet Sanctimonialis nupſit Henrico VI. Imperatori. De Nicolao Juſtiniano Nobili Veneto, Sacerdote, & Monacho Benedictino in Monaſterio S. Nicolai de Littore, qui ab Alexandro III. ad inſtantiam Sereniſſimi Ducis Ve-
18 netiarum diſpenſatus fuit, ut Uxorem duceret, prout fecit, ne nobiliſſima Juſtinianorum familia extingueretur. De Cardinali Joyoſæ Fratre, Sacerdote Profeſſo, & Provinciali Ordinis Capuccinorum, qui pariter diſpenſatus fuit à votis à Gregorio XIII. ut Matrimonium iniret, prout ex approbatis Scriptoribus, ac Hiſtoriis refert idem Fagnanus *in cit. cap. Cum ad Monaſterium. num.* 66. *Statu Monachor.* & notat Bagatta *in Admirand. Orbis Chriſt. tom. 2. lib. 3. cap. 7. num.* 49. ubi de ſupradicto Monacho Juſtiniano Veneto hæc ait: *Nicolaus Juſtinianus jam Monachus, à Pontifice Alexandro Religionis initæ voto ſolutus, ut Familiam extinctam repara-*
19 *ret, Annam Vitalis Michaelis Ducis Venetiarum filiam in Uxorem duxit; ſuſceptis autem maribus liberis ſex, tribuſque fœminis, mutuo conſenſu, utérque Religionem ſuſcepit.* Igitur ſicut Summi Pontifices pluries diſpenſarunt, & diſpenſare poſſunt ex urgenti juſta cauſa in Votis ſolemnibus Religionis, & ea ſolvere; quod eſt quid majus, ita valent diſpenſare in Matrimonio rato, & illud ſolvere; quod eſt quid minus.

Tertiò: Quia, (ut ait Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 16. ſub num.* 253.) valet conſequentia de facto ad potentiam; ſed plurimi Ponti-
20 fices Romani ſanctiſſimi, ac doctiſſimi diſpenſarunt in Matrimonio rato, & ejus vinculo diſſoluto conceſſerunt, ut conjuges ad alias nuptias tranſirent. Ergo dicendum eſt, Summum Pontificem in Matrimonio rato poſſe diſpenſare. Quòd autem diſpenſaverit, probatur ex atteſtationibus ſequentibus. *Primò* ex diſſolutione Matrimonii rati, non conſummati, Godefredi (ex deformitate corporis nuncupati
21 Gibberi) atque Princepiſſæ Mathildis, per diſpenſationem Gregorii Papæ VII. Anno 1074. qui Godefredus Gibberus ad alias nuptias tranſivit, Mathilde Virgine, ac innupta remanente, ut ſcribit Emin. Card. Baronius *in Annalib. ad d. Annum Chriſti* 1074. *num.* 23. & refert Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 16. de Matrim. num.* 253. ubi ſubdit, alia exempla ante hoc invenire non potuiſſe; & *quòd Gregorius VII. Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelantiſſimus, & tot paſſus perſecutiones, ne tantillum à canonum ſeveritate deflecteret, non ſolviſſet Legem Dei, niſi ſibi poteſtatem à Chriſto datum eſſe ſciviſſet. Secundò* ex diſpenſationibus ſuper eodem Matrimonio rato conceſſis per
22 Martinum V. qui fuit creatus Pontifex Anno 1417. & per Eugenium IV. aſſumptum ad Pontificatum Anno 1431.; quas quidem diſpenſationes vidiſſe, ac legiſſe teſtatur S. Antoninus (qui obiit Anno 1459. ætatis ſuæ ſeptuageſimo, & fuit relatus in Catalogo Sanctorum ab Adriano Papa VI.) in ejus *Summa 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 3.* cui Sancto maximè eſt credendum, ut ait prædictus Emin. Cardin. de Lauræa *d. num. 253. Tertiò* ex diſſolutis Matrimoniis ratis, nondum conſummatis per Alexandrum VI. electum Papam Anno 1492. qui diſſolvit Matrimonium ratum non conſummatum Ludovici XII. Regis Franciæ, & Joannæ de Valois, quæ deindè fundavit Ordinem Sanctimonialium de Anunciatione, & inter eas religiosè vixit, ac ſanctè obiit Anno 1505. 4. *Febr.* teſte Bollando. *d. die in ejus Vita*, & Odorico Rinaldo *ad* Annum 1498. *num.* 6. Item per Paulum III. electum Pontificem Anno 1530. & Pium IV. Anno 1560. de quorum obtentis diſpenſationibus fidem facit Navarrus *in Summa Latina cap. 22. num.* 21. his verbis: *Dividitur etiam Matrimonium ante conſummationem* 23
per diſpenſationem Papæ, juſta de cauſa factam, ſecundum Gloſſam ſingularem in d. cap. Ex publico. de Converſ. Conjug. receptam ab omnibus puris Canoniſtis, & à Theologis canonum peritis contra puros Theologos, excepto Cajetano, in tom. 1. Opuſculor. tr. 28. *Quorum opinio adeò ſervatur, quòd etiam ter, vel quater ad petitiones conſilio meo, antequam in Urbem veniſſem, oblatas, fel. rec. Paulus III. & Pius IV. per ſuas diſpenſationes diſſolverunt quædam Matrimonia omninò clandeſtinè contracta, nondum conſummata, in remedium animarum, alioquin probabiliter peiturarum. Quod atteſtor, ne quis ſequutus Sotum lib. 7. de Juſt. & Jur. contra Cajetanum, ullum ſcrupulum ingerat iis, qui ejusmodi ſanctiſſima gratia fruuntur, vel poſt hac fruentur.* Hucuſque Navarrus; cui quidem eſt credendum tum ob ejus eximiam doctrinam, & pietatem, quam commendat Emin. Card. Bellarminus *De Scriptorib. Eccleſ. ad Annum* 1500. ita ſcribens: 24
Martinus Aſpilcueta Navarrus, Vir doctiſſimus, & piiſſimus, vivebat Anno 1500. *quippe qui natus eſt Anno* 1493. *& pervenit ad Annum* 1586. *ætatis ſuæ* 94. *ut eſt in Epitaphio ipſius, & colligitur ex verbis ejus, qui octogenarium ſe fuiſſe ſcripſit, cùm Manuale dedicavit Gregorio XIII. Pontifici Anno ejus primo*; tum quia ipſe ſic teſtatus eſt in ſuis tractatibus, non in conſiliis tantùm; ſiquidem magis credendum venit Doctori legenti id, quod dicit in lectura, quàm conſulenti in conſiliis, quia ibi Veritate, hic ve- 25
nalitate movetur, ut advertit Rota *part. 9. recent. deciſ. 438. num.* 12. & Emin. Card. de Luca *de Teſtam. diſc. 74. n. 7. Quartò* ex diſpenſationibus, quas Cardinalis Cajetanus *in Opuſcul. tom. 1. tract. 28. de Matrim. q. Unic.* dicit, ſuis temporibus fuiſſe à Summis Pontificibus elargitas, fides autem huic Doctori eſt præſtanda; de quo pariter Emin. Card. Bellarminus *eod. tract. de Scriptor. Eccl.* & *Anno* 1500. ita ſcribit: *Thomas de Vio, patria Cajetanus, Ordinis*

Prædicatorum Prior generalis, ac postea Cardinalis Presbyter à Leone X. creatus, Vir fuit Summi ingenii, nec minoris pietatis, vivebat Anno Domini 1500., & obiit Anno Domini 1534. ætatis suæ 60. præterquamquòd ob Dignitatem Cardinalitiam non est dubitandum de ejus dicto, attenta doctrina Cotonii *lib. 3. Controv. VIII. cap. 3. num.*
26 40. de fide præstanda assertioni uniuscujusque Cardinalis sic scribentis : *Cardinalis deponens de facto proprio facit probationem plusquam semiplenam. Rota coram Coccino Decis. XIX. num 1. Et in favorem familiaris magnum adminiculum. Rota apud Farinacium tom 4. Decis. DLVI. n 9. Multa etiam fides tribuitur fidei simplici, & extrajudiciali Cardinalis sine juramento; quamvis non plenè concludat. Rota coram eod. Coccino Decis. IV. num. 3. Imò Laudensis q. 56. absolute affirmat, credi testimonio Cardinalis sine juramento. Et quamvis Gloritius Resp. 12. n. 84. apud Dianam part. 5. tract. 2. resol. 31.* (quæ in Coordinato ejus opere est *tom. 9. tract. 7. resol. 69.*) *neget, credendum esse Cardinali in præjudicium tertii, Decius tamen in cap. Constitutus num. 9. de Appellat. ait, de consuetudine Romanæ Curiæ credi. Quintò* accedit testimonium Henriquezii Societatis Jesu, in Academia Salmanti-
27 censi olim Sacræ Theologiæ Professoris, qui in ejus Summa Theologiæ Moralis *lib. 11. cap. 8. n. 11. de Matrim. Litt. F.* notat, una die Gregorium XIII. cum undecim dispensasse; quod repetunt Moderni, inter quos Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 4. num. 60.* Vincentius de Justis *de Dispensat. matrimonial. lib. 2. cap. 10. num. 17.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. num. 253.* ubi tamen subjungit : *Sed adduci non possum, ut totalem fidem huic dicto præstem; si enim res hæc est adeò difficilis, ut Pontifices rarò, vel nunquam in ea dispensarint, quomodo fieri potuit, ut Pontifex ille Sapientissimus una die tot concesserit dispensationes ?* Cæterùm non videtur ambigendum de ejus assertione, inspecta ipsius religiosissima
28 Vita, & egregia Sapientia, quam testificatam habemus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu; ubi *pag. 326. col. 2.* sic : *Henricus Henriquez natione Lusitanus, patria Portuensis, Anno 16. natus nostræ se Societati sacravit Anno salutis 1552. In ea Professionem Votorum 4. edidit 1568. die 25. Aprilis Salmanticæ in Philosophicis, ac Theologicis disciplinis perfectè eruditus, eas etiam in Collegiis nostris Cordubensi, ac Salmanticensi, ubi Præfectus quoque studiorum fuit, magna doctrinæ opinione publicè professus est. Obiit Tiburi die 28. Januarii 1608. Scripsit Summam Theologiæ Moralis Tomis III. in quibus paucis verbis rerum quasi Summam perstringit, & tanquam textum proponit Lectori. Deindè Annotationibus uberioribus enucleat, & Auctorum testimoniis copiosius confirmat. Sextò*, pro justificatione dicti Henriquezii, & pro majori comprobatione, quòd Gregorius XIII. pluries dispensaverit in Matrimonio rato, facit testimonium Joannis Valeri *de Different. Utriusque fori. Verb. Dispensatio. Differ. 6. sub. num. 4.* ubi
29 ita affirmat ; *Et vidimus ita fecisse Gregorium XIII. cum Duce Albano, vulgò de Alva de Tormes, qui contraxerat primò Matrimonium de præsenti per Procuratorem cum filia Ducis de Alcalà Hispani; & secundò cum alia, quod consummaverat.* Et hoc idem de eodem Duce Albano asseverat Diana Coordinatus *tom. 3. tract. 1. resol. 94. §. 11.* desumpta ex Veteri *part. 8. tract. 1. resol. 62. Septimò* concurrit pro consimili dispensatione Matrimonii rati concessa à Gregorio XIII. attestatio Jacobi Menochii, qui scripsit in jure super veritate causæ, ob quam impetrata fuerat dicta dispensatio, in *consil. 385.*
30 ubi sic ait *in princ. Una causa est, quòd magna sit imparitas conditionis inter Magnificum Dom. Camillum, & Viennam; cum Dom. Camillus sit ex nobilissima Familia de Guarientis, & habeat patrem Jurisconsultum, qui & inter primarios Patricios patriæ Juæ Veronæ connumeratur, sitque ditissimus. Ipsa verò Vienna præter paupertatem, & summam inopiam, est filia Magistri Nicolai Sartoris.* Quis dubitare potest de veritate concessæ dispensationis in Matrimonio rato, cùm circa eam consuluerit tantus Vir, qualis fuit Jacobus Menochius, de quo Angelus Portenarius *in Histor. Patavina lib. 7. cap. 4. Anno 1566.* ita loquitur:
31 *Giacomo Menochio da Pavia Giurisconsulto di grandissimo nome, il quale fù Senatore di Milano, hà letto con fama immortale ambe le Leggi in Padova, e nella sua Patria ragione Civile.* Octavò irrefragabilis probatio deducitur prædictarum dispensationum à Romanis Pontificibus pro dissolutione Matrimonii rati concessarum ex testimonio Rotæ *in Una Burgen. Dissolutionis Matrimonii 17. Junii 1594.* quæ inter impressas post secundum Volumen Consiliorum Farinacii est *Decis. LXXXVI.* cujus Ar-
32 gumentum est : *Matrimonii rati, sed non consummati, dissolvendi ex dispensatione Papæ, justa causa est, quando Uxor adulterium commisit cum Patre sui mariti, propter quod Maritus eam vulneravit & occidere attentavit.* Et juxta tenorem prædicti argumenti narrat Rota, quomodo *contractum fuit Matrimonium per verba de præsenti inter Joannem Gili ætate idoneum, & Magdalenam della Scadas viripotentem, quod cum, ut prætenditur, fuisset ratum, & non consummatum, quinimò parvo temporis spatio interjecto, ipse Joannes à prædicta ejus Uxore, & à loco, ubi inhabitabat, se absentaverit, evenit, quòd Joannis Pater, diabolico spiritu ductus, eamdem Magdalenam carnaliter cognoverit, & gravidam reddidit. Quo audito à Joanne reversus est in patriam, atque ipsam Magdalenam, animo ipsam occidendi, graviter vulneravit; quæ tamen viva remansit. Postea idem Joannes supplicari fecit fel. rec. Gregorium XIII. narratis prædictis, & aliis, præsertim quòd Matrimonium prædictum copula carnali non fuerat consummatum, ut dignaretur de consensu amborum conjugum Matrimonium prædictum Auctoritate Apostolica dirimere, & totaliter dissolvere, qui Gregorius causam Ordinario*
33 *Burgen. commisit.* Burgi, vulgò *Burgos*, est Urbs Archiepiscopalis Hispaniæ Tarraconensis Castellæ veteris caput, ut notat Ferrarius *in*

Lexico

Lexico Geograph. Verb. Burgi. Constat itaque ex hac Decisione Rotali, quòd Gregorius XIII. dederat facultatem Archiepiscopo Burgensi dissolvendi prædictum Matrimonium ratum, si preces conjugum veritate niterentur, de quarum probatione agit Rota *ibidem*; subdens, esse certum, quòd Papa potest dispensare in Matrimonio rato ex justa causa, ad hoc ut conjuges alias nuptias ineant juxta Jurisperitos, atque Canonistas *num.* 1. *in fine* per eam allegatos, inter quos Castrensis *in Rubr. ff. Solut. Matrim. num.* 3. Natta *consil.* 190. Baldus *in l. fin. num.* 7. *C. de Episc. & Cler.* & Ancharan. *consil.* 239. *num.* 2. & 4. *Nonò* Jus facit specialis Congregatio deputata Romæ à Clemente VIII. *die* 16. *Julii* 1599. pro veritate indaganda super hac potestate dispensandi in Matrimonio rato, in qua intervenerunt octo Cardinales, quatuor Auditores Rotæ, & duo alii Theologi, omnes Viri sapientissimi, quos nominat Pignatellus *d. tom.* 1. *consult.* 148. *num.* 5. & omnes dixerunt, Papam posse dispensare. *Decimò* addenda est dispensatio, quàm benignè elargitus fuit Paulus Papa V. juxta relationem, quam facit Fagnanus *in cap. Perniciosam. num.* 61. *De Offic. Ordinar. tom.* 2 his verbis: *In Sacra Congregatione Concilii, cui prima vice interfui ut Secretarius, Anno* 1613. *die* 20. *Aprilis, resolutum fuit, concedendam esse dispensationem super Matrimonio contracto, & non consummato, inter Julium Cæsarem Stellam, & Ginevram Roverellam; prout postea, audita Sacræ Congregationis Sententia, Sanctissimus dispensavit.* Quis controvertet veritatem hujus dispensationis, de qua testatur ipsemet S. Congregationis Secretarius? Alias quatuor consimiles Declarationes S. Congregationis Concilii refert Pignatellus *d. tom.* 1. *consult.* 148. *à num* 18. *& seqq.* Undecimò: ratificatur hæc Veritas per dispensationem concessam ab Urbano Papa VIII. ad Apostolicam Sedem assumpto *Anno* 1623. *die* 6. *Mensis Augusti*, juxta ejus Litteras relatas tum à Pyrrho Corrado *in Praxi Dispensat. Apostol. lib.* 8. *cap.* 7. *num* 35. tum à Vincentio de Justis *de Dispensat. Matrimonial. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 17. tenoris hujusmodi. A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiscopo Neapolitano.* Intus verò.

Urbanus Papa VIII. Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Princeps, & Principissa de Concha Neapolitani, quod pro conservatione eorum Statuum, & Familiæ cupiunt, Joannam eorum Filiam Unigenitam cum aliquo Viro ex dicta Familia matrimonialiter copulari. Verùm quia dicta Joanna, tunc in decimotertio suæ ætatis anno constituta, Matrimonium cum dilecto filio Michaele Blanco, per Procuratorem, per verba de rato, contraxit, & quod ratione hujusmodi Matrimonii graves lites, & inimicitiæ ortæ jam sint, & majores fuissent, nisi auctoritate, & providentia dilecti Filii Nobilis Viri Comitis de Monte Rey Proregis Neapolitani provisum fuisset; Nos &c. Frater nitati tuæ committimus, & mandamus, quòd Matrimonium hujusmodi sic factum, & non consummatum, stante etiam consensu partium, nullum, & invalidum, & effectum ut dictus Michael cum alia Muliere; dicta verò Joanna cum alio Viro de dicta Familia, præcedente tamen dispensatione Apostolica super consanguinitatis, seu affinitatis gradu, quatenùs opus sit, liberè, & licitè valeant, Apostolica Auctoritate declares. Non obstantibus, &c. Datum Romæ, &c.

Duodecimò: & non solùm ipse Summus Pontifex solet in hujusmodi Matrimoniis ratis, secundùm casuum contingentiam dispensare; sed etiam Major Pœnitentiarius in occultis dispensat, ut fidem faciunt iidem Corradus *d. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 35. & Vinc. de Justis *d. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 18. qui ponunt Litteras S. Pœnitentiariæ datos pro prædicta dispensatione in foro conscientiæ; hodie tamen Major Pœnitentiarius hanc facultatem non habet, attenta reformatione Tribunalis ipsius, ac restrictione potestatis, facta per f. m. Innocentium XII. Anno 1692. cujus Bullæ continentiam, ac tenorem ego retuli in meis Decisionibus *de Sacram. Pœnitentiæ Decis. XLVIII. à num.* 11. *& seqq.* Igitur cùm ex hucusque deductis certum sit, Summos Pontifices solitos fuisse dispensare in Matrimonio rato ad effectum, ut qui illud contraxerunt, sed non consummarunt, possint aliis nubere; & de his dispensationibus habeamus testimonia, atque exempla per sexcentos continuos annos, nefas esset dubitare de potestate Summi Pontificis circa dissolutionem prædictorum Matrimoniorum; neque ullus, nisi impudens, diceret, Papam errasse contra Jus, nam habet omnia jura in Scrinio pectoris, & totam Juris Divini declarandi facultatem, ac proindè sit fidei regula. *cap. Quoties fidei cap. Rogamus. cap. Arecta. cap. In sede. & cap. Hæc est fides. 24. quæst.* 1.

Quatrò: Igitur verior, & communior est opinio, quòd Papa possit in Matrimonio rato dispensare, quæ est omnium Theologorum, Juristarum, ac Canonistarum, quorum quinquaginta octo nomen refert Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 14. *num.* 2. ita scribentium, ac docentium; prout etiam triginta DD. hanc Sententiam defendentes allegat Cevallos *commun. contra com. part.* 1. *quæst.* 343. quibus ex modernioribus adstipulantur Bonacina *de Matrim. quæst.* 2. *punct.* 11. *num.* 4. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. Aversa *de Matrim. quæst.* 2. *sect.* 6. *Vers. Tertiò ulteriùs.* Emin. Card. Tuschus *conclus.* 153. *num.* 1. *Litt. M.* Garzias *de Benific. part.* 7. *cap.* 10. *num.* 83. Barbosa *de Jure Eccles Univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 121. Diana Coordinatus *tom.* 3. *tract.* 1. *resol.* 94. 95. 96. & 97. Quæ extractæ sunt ex veteri *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 62. 63. 65. & *tract.* 3. *resol.* 97. Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. Cap.* 4. *num.* 61. Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispens. Apost. d. lib* 8. *cap.* 7. *num.* 26. Vinc. de Justis *de Dispensat. Matrim. d. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 15.

Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. de Matrim. art. 12. §. 2. per totum.* Et doctissimus Mastrius *in 4. Sent. disp. 7. num. 197. & 198.* qui omnes egregii Doctores absque ulla hæsitatione firmant, posse Summum Pontificem, justa, ac rationabili aliqua causa interveniente (de quibus mox dicam infra *num.* 43) dissolvere vinculum Matrimonii rati, nondum consummati, ex auctoritate sibi à Christo specialiter concessa, ut ejus Vicario, sivè dispensando super dicto Matrimonio, sivè declarando, in illo casu vinculum Matrimonii esse solubile, ut loquuntur ipsi DD. & præcipuè Barbosa *d. lib. 1. cap. 2. num. 121.* Et ita est tenendum, ut novissimè demonstrat Pignatellus *in d. tom. 1. consult. 148. num. 4. & 5.* ubi plurimos alios DD. cumulat, & ait, quod contrarium asserere esset temerarium.

Neque obstant rationes in contrarium ab initio allegatæ. Non *Prima*; quia esto insolubilitas rati Matrimonii sit de Jure Divino, Christus dedit potestatem specialem Papæ Vicario suo
39 illud solvendi pro bono regimine Ecclesiæ: ut dictum est supra *num.* 14. Non *Secunda;* quia pro consummato tantùm nulla penitùs data est alicui potestas solvendi; ut ait Summus Pontifex *in cap. Ex publico. 7 De Convers. conjugat.* secùs est pro Matrimonio rato, non consummato; ut obstendit idem Pignatellus *d. tom. 1. consult. 148. num. 4.* & ibi alii gravissimi Theologi, ac Canonistæ; & deducitur etiam ex diversitate significationis; nam Matrimonium consummatum innuit unionem indissolubilem Verbi Divini cum Humanitate Christi; ratum verò unionem Dei cum anima fideli quacunque per gratiam, quæ unio per peccatum solvi potest Salmanticenses *d. cap. 4. num. 67.* Non *Tertia*, quia Papa non impedit effectum Sacramenti, sed declarat effectum insolubilitatis à Deo aufetri in illo Matrimonio rato ob urgentem causam, ex speciali auctoritate sibi ab ipso Deo attributa, ut respondet Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 16. num. 259.* Non *Quarta*, quia Evangelium, & Apostolus loquuntur de Matrimonio consummato, non de rato; & quatenùs etiam de isto, intelligunt, ne solvatur propria auctoritate conjugum, secùs ex speciali facultate Vicarii Christi. Non *Quinta*, quia non currit paritas inter auctoritatem Principum Laicorum, & potestatem Papæ in hac materia; quia soli Papæ data est à Deo. Non *Sexta*, quia ad tollenda scandala permittitur ablatio juris acquisiti per conjugem in alium in solutione Matrimonii rati; tanto magis, quia conjux nihil perdit in substantia; dum declaratur liber & potest alteri nubere. Non *Septima*, quia Nicolaus Papa ibi loquitur de Matrimonio consummato. Non *Octava*, quia Innocentius III. intellexit, vel de Matrimonio consummato, vel de solutione vinculi, quam conjuges intendebant facere posse privata auctoritate, & à seipsis Non *Nona*, quia prorsùs falsa est illa regula; ut latè probat Perez *de Matrim. disp. 29. sect 8. num. 2.* & Diana *part. 8. tract. 1. resol. 64.* nunc residente in Coordinato *tom. 3. tract. 1. resol. 98.* ubi firmat, non posse Episcopum procedere ad dissolutionem Matrimonii rati, nisi ex speciali delegatione Summi Pontificis, ut vidimus supra *num.* 33. & 35. factum esse ab Archiepiscopis Burgensi, & Neapolitano. Non *Decima*, quia ut bene observat Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. num. 198.* gratis asseritur, Scotum dixisse, non posse Pa- 40
nem solvere vinculum Matrimonii rati; quia Scotus *in 4. dist. 31.* hunc causam non tractat, sed tantummodò differit, quo jure conveniat Matrimonio rato esse indissolubile; & ait ex jure Divino positivo; à quo tamen excepta est Professio Religiosa juxta praxim Ecclesiæ. Ideò subdit Mastrius, quòd imò contrarium deduci debeat: *Cùm enim Doctor ibi Legem Divinam interpretatur juxta usum, & praxim Ecclesiæ, consequenter credendum est (ut etiam inquit Hiqueus) quod idem dixisset Doctor in aliis casibus, si vidisset in praxi aliquam Pontificis dispensationem in Matrimonio rato, aut Ecclesiæ; & quòd in omnibus similibus sustineret interpretationem Divinæ Legis juxta sensum, & praxim Ecclesiæ.* De aliis Theologis non est curandum; tum quia 41
eorum opinio negativa ab aliis, in majori numero affirmativam tenentibus, enervatur, ut ait Fagnanus *in cap. Ne innitaris cum 166. De Constitut. tom. 1.* tum etiam quia contrarium facit Summus Pontifex, cujus judicio est omnino standum. Idem Fagnanus *in cap. Venerabili. num.* 42
36. de Testibus. tom. 3.

Cæterùm, quia unanimiter omnes Doctores dicunt, hanc facultatem dispensandi in Matrimonio rato non posse à Papa exerceri, nisi justa interveniente, eaque gravissima causa. Pignatellus, qui eos cumulat *d. tom. 1. consult. 148. num. 7. & 8.* videndum est, quænam sint causæ istæ? Et equidem sunt duodecim sequentes,

Prima est notabilis disparitas conjugum in qualitate, ut quando contrahentes sunt valdè dispares in conditione; sæpè enim vidimus, quòd aliquis adolescens Nobilis, amore captus, desponsat puellam ignobilem, nihil reflectens ad igno- 43
miniam, quam infert suæ prosapiæ; & injuriam suis genitoribus, ac consanguineis. Frequenter, cùm essem Vicarius Generalis hic Patavii, mihi insudandum fuit in divertendis Juvenibus nobilibus, ne puellas viles desponsarent, earum amore captis. Hinc antiqui pingebant Cupidinem cæcum, & oculos vitta opertos habentem, ut ostenderent, quòd Viri amore capti alicujus mulieris non advertunt, quò tendant, sed sola passione ducuntur, juxta illud Ovidii *in Epist.* 44

Quid deceat, non videt ullus amans.

Et Propertii 2. *Elegiar.*

Ante pedes cæcis lucebat semita nobis:
Scilicet insano nemo in amore videt.

Idcircò accurrentibus affinibus, audito impari conjugio facto, & impedientibus ne consummetur, ad tollenda scandala, lites, & alia inconvenientia inter Genitores, & Filium, potest Apostolica Sedes prævia dispensatione dissolvere hujusmodi Matrimonium ratum, non consummatum, ob nimiam disparitatem conditionis eorundem conjugum. Menochius *d. consil. 385. num. 1.* Pyrrhus Corradus *d. libr. 8. cap. 7. sub. num. 35.* Vincent. de Justis *d. libr. 2. cap. 10. num. 24.* Reginaldus *lib 31. num. 38.* & Sanchez *de Matrim. d. lib. 2. disp. 16. n. 2.*

Secunda causa est Lepra superveniens alteri ex conjugibus; quia cùm Matrimonium ordinetur ad mutuum corporis usum, ratione sobolis procreandæ, & ardoris libidinis extinguendi; Lepra hunc usum moraliter impedire censetur,

ob

ob magnum contagionis periculum; & ideò ob Lepram, qua infectus apparuit Sponsus, dispensasse, ac dissolvisse Matrimonium Martinum V. testatur Borgasius *de irregularit. Part. 6. in tit. de Sponsalib. num.* 74. & idem est dicendum de quocunque alio morbo contagioso; qualis est 45
morbus Gallicus, de quo Zacchias *in QQ. Medicolegal. lib. 3. tit. 3. quæst 4. num.* 26. ita scribit: *Sciendum est, quòd infectio ex morbo Gallico aut non pertransit pudendas partes, & eis proximas; aut penitiora penetrat, & ad hepar pervenit, inficiens illud contagio, quod cùm sit officina sanguinis, inficitur tota sanguinis massa; & sic morbus universo corpori communicatur. In priori ergo casu apparent ulcuscula in pudendis, aut virulenta gonorrhœa, & alia symptomata his non dissimilia; in posteriori apparent bubones primùm, dolores in universo corpore, ulcera maligna, depilatio, raucedo, & alia. His sic se habentibus, dicendum est, urgente morbo quocunque, semper imminere periculum infectionis.* Ergo talis morbus erit justa causa pro dissolutione Matrimonii rati, ne conjux sanus inficiatur eodem.

Tertia causa est timor magni scandali futuri, quia id cedit in grave damnum commune; nam rixæ, & graves discordiæ, ac neces indè oriri solent; cum maximè hujusmodi scandala evenire possint, vel ob fornicationis timorem, quando conjuges sunt genio difformes, & sibi valdè displicent; vel ob inimicitias, vel inter eorum consanguineos, vel cognatos probabiliter timentur. Felinus *cons. 26. num.* 19. Menochius *d. cons.* 385. *num.* 7. Sanchez *d. lib. 2. de Matrim. disp. 16. n.* 3. Vincentius de Justis *d. libr. 2. cap.* 10. *num.* 23. & Pignatellus *d. consult.* 148. *num.* 9.

Quarta causa est, dum alter conjugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi, nec potest induci ad illum habendum, nisi cum magno inimicitiarum periculo, vel mali exitus Matrimonii, ut demonstrat Menochius *in d. cons.* 385. *num.* 18. & Vinc. de Justis *d. cap.* 10. *num.* 25.

Quinta causa est, quando Vir omni conatu quærit Uxorem repellere, & evidens est ejus vitæ periculum absque spe emendationis. Idem de Justis *ibid. num.* 26. & facit Rota *post Vol. 2. Consilior. Farinacii Decisio* 86. in qua Sponsus Sponsam graviter vulnerant, & occidere volebat.

Sexta est, si Vir fuisset promotus ad Episcopatum, & hæc promotio esset valdè utilis, & necessaria ad bonum commune, tunc enim si sponsa recusaret religionem ingredi, nec continentiam vellet sectari, solvi posset hoc Matrimonium ratum, ut ipsa posset alii nubere. Sanchez *d. libr. 2. disp.* 16. *num.* 8. Diana Coordinatus *d. tom 3. tract. 1. resol.* 93. desumpta *ex part. 8. tract. 1. resol. 62.* in qua §. 14. hæc subdit: *Hinc notandum pro curiosis aliquem evectum ad Pontificatum ante Matrimonium consummatum posse dispensare in suo Matrimonio rato, ut docet* Sanchez *libr. 7. disp. 3*. *num.* 20.

Septima est, si conjuges essent inter se heterogenei, idest discordes animo, & ad invicem peterent dissolutionem rati Matrimonii, ob eorum quietem, ac pacem. Trullench. *tom. 3. libr. 7. cap. 4. dub. 4. num.* 8. & Card. Tuschus *litt. D. concluf.* 477. & ob hanc causam videtur dissolutum à Gregorio VII. Matrimonium Principissæ Mathildis & Godefredi Gibberi, de quo *supr. num.* 21.

Octava causa esset, si Hermaphroditus, qui prævalebat in sexu fœmineo, & contraxit Matrimonium tanquam fœmina; antequam consummasset, cœpisset prævalere in sexu virili. Ita Verricell. *de Mission. Apostol. q.* 196. *Dub.* 11. *num.* 89. Vel. si ex quacunque alia causa sponsus fieret impotens ad copulam. Sanchez *d. lib. 2. disp.* 16. *num.* 6.

Nona est periculum perversionis, ut si puella catholica Matrimonium contraxisset cum hæretico; notat Eminentiss. Cardin. Bellarminus *De Controv. Fidei libr. 2. de Monach. cap.* 38. Guttierez *de Matrim. cap.* 54. *num.* 3. Pignatellus *tom. 8. consult.* 105. ubi tamen dicit in hac materia non esse relaxandas habenas.

Decima est, si quis post Matrimonium ratum contractum cum una, & non consummatum; contraxisset cum alia, & consummasset, 46
quamvis enim hoc secundum Matrimonium consummatum non sit validum; quia primum ratio impedit, ac dirimit hoc secundum. *cap. Licet 3. & cap. fin. de Sponsa duor. cap. Si inter,* 31. *De Sponsalib.* nihilominùs ubi magna scandala timerentur, posset Summus Pontifex dissolvere primum ratum ad effectum, ut in secundo, prævio novo consensu, conjuges legitimè remanerent. Vincentius de Justis *d. lib. 2. cap.* 10. *num.* 32. & ibi Boerius *cons. 20. num.* 4. & Pavin. *de Visitat. part. 1. quæst. 9. num.* 31.

Undecima causa est, si conjuges contraxissent in tenera ætate, & ex cursu temporis sibi invisi, ac odiosi evaderent. Idem de Justis *ibid. num.* 33. & 34. subdens; hanc causam esse intelligendam inter personas Magnates, ac valdè potentes.

Duodecima tantem causa est, quando ageretur de pace in Republica servanda; seditionibus, inimicitiisque avertendis; ac de bono communi tuendo. Afflict. *Decis. CXLIX. num.* 7. Valerius *de Diff. Utriusq. for. Verb. dispensatio. Diff* 6. *num.* 4. Pyrrhus Corradus *d. lib. 8. cap. 7. sub num.* 33. Volpi *in Resolut. Moral. Verb. Matrimonium. resol.* 110. *num.* 5. Reginaldus *d. lib. 31. num.* 38. Vincentius de Justis *in cit. lib. 2. cap.* 10. *num.* 33. & 34. Zerola *part. 1. Verb. Dispensatio.* §. 2. atque Sanchez *de Matrim. libr. 8. disp.* 19. *num.* 5. qui tamen advertit *lib. 2. disp.* 16. *num.* 9. solum mutuum consensum ipsorum conjugum non esse causam sufficientem, ut Pa- 47
pa dissolvat Matrimonium ratum, quia præter eorum consensum requiritur aliqua justa causa ex supra notatis, ut scribit etiam Pignatellus *d. tom. 1. consult.* 148. *num.* 9.

Tandem Corallarii loco tria dubia, tribus in in verbis, sunt resolvenda, circa quæ Juristæ, ac Theologi digladiantur. *Primum* est: An Papa absque justa causa, sed pro libito suo pos- 48
sit in Matrimonio rato dispensare, & ejus vinculum solvere? Et licèt Glossa, & nonnulli Canonistæ in *cap. Ex publico. De Convers. Conjugat.* affirment, quia tenent indissolubilitatem in rato esse ex constitutione Ecclesiæ; omnes tamen Theologi docent, Papam non posse nec licitè, nec validè in eo dispensare,

nisi justa, & gravi causa interveniente. Ita Sanchez *d. libr. 8. de Matrim. disp. 15. num. 6.* Volpi *Verb. Matrimonium. resol. 110. num. 5.* Pyrrhus Corradus *d. libr. 8. Dispensat. Apostol. cap. 7. num. 26.* & Vinc. de Justis *de Dispensat. Matrim. d. lib. 2. cap. 10 num. 17.* qui referunt Summos Pontifices Innocentium VIII. Adrianum VI. & S. Pium V. non semel requisitos ab Oratoribus
49 Principum, ut dignarentur secum dispensare in Matrimonio rato, respondisse. *Non posse*, non quia deficeret in eis potestas, sed quia in illis casibus deficiebat justa causa; quæ omninò necessaria est, ut valida sit dispensitio; cùm indissolubilitas rati sit ex jure Divino, & facultas dispensandi in lege Divina data sit à Christo ob justam, & urgentem causam Vicario suo; qui propterea, tanquam fidelis dispensator, eam exercere debet in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem, ut differit Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. numer. 202.* Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. §. 2. num. 263. Secundum* dubium est, An Papa possit facere Legem generalem dispensativam, ac dissolutivam Matrimonii rati ex tali causa, vel ex tali conditione?
50 Et licèt Aversa *de Matrimon. quæst. 2. sect. 6. Vers. Potest autem* affirmet; negativa responsio datur communiter à Theologis, & jure quidem, nam agitur de Lege Divina, circa quam requiritur Summi Pontificis diligens, ac specialis inspectio in casu practico pro dispensando in ea, ut scribunt Sanchez *d. lib. 2. disp. 14. num. 4.* Mastrius *d. disp. 7. num. 203.* & Diana Coordinatus *d. tom. 3. tract. 1. resol. 97. §. 5.* quæ in inordinato reperitur *in part. 8. tract. 1. resol. 65. Tertium* tandem dubium est, An in casu dispensabili ob justam causam in Matrimonio rato, sit necessarius consensus utriusque conjugis? Et
51 communiter DD. respondent negativè; adeò ut, et si unus conjux sit invitus, & resistat petenti dispensationem eidem contradicendo; nihilominùs Papa poterit, eam concedere, ubi sic cognoverit, pro bono publico, & animarum salute, expedire; ut docent Sanchez *eod. libr. 2. disp. 15. num. 7.* Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 4. num. 62.* Volpi *d. Verb. Matrimonium. resol. 110. num. 5.* & ipse Diana Coordinatus *in cit. tom. 3. tract. 1. resol. 96.* quæ in veteri est *part. 8. tract. 1. resol. 62.* in qua in §. 6. ita loquitur: *Notandum est tamen hic primo, quòd, justa existente causa, dispensare potest Pontifex in Matrimonio rato absque mutuo consensu conjugum. Ratio est, quia potestas hæc dispensandi, non in gratiam, ac bonum præcipuè privatum ipsorum conjugum, sed inprimis ipsius Ecclesiæ concessa est.*

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

Præmissa duplici significatione, atque Etymologia hujus vocis *Sponsalia*, nec non nominum *Sponsi*, & *Sponsæ*, traditur definitio Sponsalium, eorum totam essentiam demonstrans. Declarantur singula verba definitionis, & plurimæ Quæstiones circa validitatem Sponsalium excitantur, ac resolvuntur. Recensentur gratiosæ eruditiones, præcipuè de Sponsalitiis muneribus Isaaci, ac Davidis: nec non de Annulis pronubis S. Annæ Matris Genitricis Dei; ipsiusque DEIPARÆ, ac aliarum Sacrarum Virginum. Item de usu osculandi Sponsam in Sponsalibus. Tandem notantur tres effectus à Sponsalibus validis provenientes.

SUMMARIUM.

1 *Sponsalium nomen significat duo. Et quæ?*
2 *Arrhæ cur dantur à Sponsis in Sponsalibus?*
3 *Sponsalia munera Orionis, & Rebeccæ Sponsæ Isaaci.*
4 *Item Davidis erga Michol em Sponsam suam.*
5 *Sponsalium Etymologia quæ sit?*
6 *Sponsalia antiquitus fiebant per stipulationem à parentibus Sponsorum.*
7 *Sponsus, & Sponsa tria significant, & quæ?*
8 *Sponsæ apud Hebræos vocabantur Uxores. Exempla hic.*
9 *Sponsi aliquando dicuntur conjuges, nondum consummato Matrimonio.*
10 *Et aliquando etiam post Matrimonium consummatum.*
11 *Sponsi & Sponsæ significant propriè conjuges de futuro.*
12 *Sponsalium definitio, eorum omnem essentiam denotans.*
13 *Promissio externa est necessaria pro Sponsalibus.*
14 *Interna locutio sufficit coram Deo; non coram hominibus.*
15 *Sponsalia in quo differant à Matrimonio?*
16 *Sponsus fornicarius cum libera An committat adulterium?*
17 *Sponsus fornicarius debet in confessione manifestare se esse Sponsum.*
18 *Promissio Sponsalium debet esse mutua, & cum repromissione.*
19 *Promittens, licèt ei non repromittatur, an sit obligatus?*
20 *Promissio in Sponsalibus non acceptata an obliget promittentem?*
21 *Fictè qui promittit in Sponsalibus, mortaliter peccat, & an sit obligatus adimplere promissionem?*
22 *Fictè promittens in Sponsalibus tenetur ad damna alterius Sponsi.*
23 *Libertas intellectus, & voluntatis necessaria in contrahentibus Sponsalia.*
24 *Aconcii fraus, ut Cydippe se ei Sponsam promitteret.*
25 *Insani mente, aut ebrii Sponsalia contrahere non valent.*

26 *Vis, & Metus quando faciant Sponsalia nulla? &* num. 28. & 29.
27 *Juramentum quando nullam pariat obligationem?*
30 *Clandestina Sponsalia an sint valida? Vel si pœna imponatur.*
31 *Impuberes ante septennium completum non possunt contrahere Sponsalia.*
32 *Malitia si suppleat ætatem, an Sponsalia valeant ante Septennium?*
33 *Dirimens, aut impediens impedimentum qui habet, non potest contrahere Sponsalia.*
34 *Promissio in Sponsalibus verbis, vel signis debet esse expressa.*
35 *Verba negativa an faciant valida Sponsalia?*
36 *Verba ambigua an irritent Sponsalia?*
37 *Silentium in puella an sufficiat in Sponsalibus.*
38 *Tutores, seu Curatores an possint contrahere Sponsalia promittendo pro pupillis?*
39 *Mutus, surdus, & cœcus an possit contrahere Sponsalia?*
40 *Signa an sufficiant loco verborum in Sponsalibus? Et quæ ea sint?*
41 *Annuli subarrhatio in Sponsalibus usus antiquissimus.*
42 *S. Annæ Matris Deiparæ Annulus pronubus ubi sit?*
43 *DEIPARÆ Sponsalitius Annulus ubi servetur?*
44 *Vvaldradæ Reginæ fœminæ punitio, quia in digito sibi imposuit Annulum Sponsalitium DEIPARÆ.*
45 *Virgines plures à Christo miraculosè per Annulum desponsatæ.*
46 *Dux Venetiarum cur quotannis desponsat Mare cum Annulo?*
47 *Osculum Sponsi in Annuli traditione signum promissionis cum Sponsa.*
48 *Oscula inter Sponsos, an sint licita?*
49 *Effectus tres à Sponsalibus provenientes. Et qui sint?*

EXplicuimus hucusque ea omnia, quæ spectare videbantur ad naturam, & essentiam Matrimonii, tum in genere contractus, tum in genere Sacramenti, & præcipuè illa, quæ scitu necessaria erant circa ejus indissobilitatem; cujus occasione satisfecimus respondendo exemplis antiquorum, qui Uxores dimittebant; Judæorum, qui libellum repudii dabant; & aliorum Principum, etiam Christianorum, qui Vinculum maritale solvere tentarunt. Subindè, quomodo infidelium conjugia fiant solubilia, si unus eorum convertatur ad fidem demonstravimus; nec non quomodo solvantur inter fideles per Professionem Religiosam, vel si rata sint, non consummata, per Pontificiam dispensationem. Nunc, antequam impedimentorum satis prolixam explicationem aggrediamur, de Sponsalibus est agendum; siquidem Sponsalia ipsa præcedunt Matrimonium; & ab eis exordiuntur, qui hunc contractum inire, Sacramentumque suscipere volunt. Tria autem in præsenti Decisione examinabimus circa Sponsalia, Videlicet: 1. Quot significationes habeat hoc nomen Sponsalia? 2. Quæ sit Etymologia hujus Vocis? Et 3. Quæ sit definitio Sponsalium?

Quo ad Primum. Nomine Sponsalium, seu Sponsaliorum, (utroque enim modo Theologi, atque Canonistæ declinant hoc nomen) duo significantur, nempè promissio futuri Matrimonii, de qua dicemus infra in definitione Sponsalium; nec non Arrhæ, seu Sponsalitia munera, quæ occasione Sponsalium, & ejusdem futuri Matrimonii, à Sponsis adinvicem sibi ipsis mittuntur; tum in signum amoris, tum in confirmationem contractus, ad ejusque securitatem, & ut contrahentes ad effectum illud perducant. *l. Arrhis. 3. l. ult. C. De Sponsal. l. Si quis. 38. ff. de Ritu Nuptiar. cap. ult. De Desponsat. Impuber.* & ibi Emanuel Gonzalez *tom. 4. Commentar. num. 2.* atque fusiùs Petrus Gregorius Tholosanus in *Syntagm. Jur. Univ. part. 2. libr. 8. cap. 7.* ubi *num. 11.* notat, Arrhas solitas fuisse dari à Sponsis, ut si quis eorum nollet nuptias exequi, & arrhas dedisset, eas perderet; si verò recepisset, teneretur eas duplicare; id est restituendo non solùm id, quod acceperat à Sponso, sed etiam tantumdem eidem solvendo. Subdit ulteriùs easdem arrhas appellatas esse Sponsalitiam largitatem; etsi hæc verè, & propriè significet munera, quæ à parentibus mittebantur Sponso & Sponsæ, de quibus Imperator Justinianus *in Novell. 119. §. 1.* Porrò solitos fuisse Sponsos puellis sibi desponsatis Sponsalitia, idest munera donare, comprobat ipse Tholosanus *d. cap. 7. num. 30.* ex auctoritate Parthenii *in Eroticis* referentis, *Orionem Hiriei filium propter Herum filiam Oenopionis, & Nymphæ Ethicæ Insulam Cicurem reddidisse, quæ tunc feris erat referta.* Sed clariora, antiquioraque exempla ostendit Scriptura Sacra, in qua *Genes. 24. 51.* narratis Sponsalibus initis inter Rebeccam, & Isaacum, stipulantibus pro illa genitore, ac fratre, pro isto autem Eliezere servo Abrahami, *num. 53.* ait, quòd ipsemet Eliezer, *prolatis Vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus, & matri dona obtulit.* En Sponsalitia largitas; en Sponsalia, res scilicet pretiosæ dono datæ Sponsæ Rebeccæ nomine Isaaci Sponsi tanquàm arrhæ futurarum Nuptiarum. Aliud exemplum legitur *1. Reg. 18. 20.* Ubi cùm ageretur, ut Michol filia pulcherrima Regis Saulis nuberet David, & ipse se non dignum assereret, dicens: *Ego sum vir pauper, & tenuis*; indicans ob paupertatem Sponsalia, ac munera Micholi Sponsæ mittere se non posse; Rex Saul hoc ei dedit responsum: *Non habet Rex Sponsalia necesse, nisi, tantùm centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis*; quod cùm audisset David *ut fieret gener Regis; post paucos dies surgens abiit cum viris, qui sub ipso erant, & percussit ex Philistiim ducentos viros, & attulit eorum præputia: & annumeravit ea Regi, ut esset gener ejus.* En fortitudo David in præliando. En ejus generosum cor in muneribus Regi Sauli Socero suo, nomine Sponsæ Micholis filiæ suæ petenti, offerendis? cùm enim Saul postulasset pro Sponsalitia largitate, arrhis, donisvè nuptialibus à David Philistinorum præputia centum, ducenta ipse obtulit, ac donavit.

Quo

Quo ad Secundum. Sponsalium Ethymologia venit à verbo *Spondeo*, cujus duplex est
5 ratio; Prima, quia *Spondere* est spontè promittere, & in contrahendis Sponsalibus maximè requiritur spontanea promissio. Secunda, quia mos erat antiquis, ut puella nuptura promitteretur viro à patre, vel tutore, vel amicis, ut ex Aulo Gellio, Alciato, ac Varrone demonstrat Sanchez *de Matrim. libr.* 1. *disp.* 1. *num.* 1.
6 & plenius Petrus Gregorius Tholosan. *d. libr.* 8. *cap.* 2. ubi *num.* 3. refert sequentia verba Servi Sulpitii in libro, quem scripsit de Dotibus, videlicet: *Qui Uxorem ducturus erat in Latio stipulabatur eam in Matrimonium ductum iri. Qui daturus erat, idem Spondebat. Is contractus stipulationum, Sponsionumque dicebatur Sponsalia. Tunc quæ promissa erat, Sponsa appellabatur: qui spoponderat ducturum, Sponsus.* Concordat Divus Bernardus *in Serm. de Virginib. tom.* 2. ità loquens: *Sponsæ vel Sponsi nomen ab eo, quod est Spondere, Grammatici derivant: dicuntur autem Sponsus, & Sponsa, quia se sibi alterutrum spondent, ut nec ille, nec illa alteri nubat.*

Cæterùm advertere oportet, quòd hæc nomina *Sponsus & Sponsa* tria solent significare, videlicet. 1. eos, qui contraxerunt Sponsalia de futuro. 2. illos, qui contraxerunt Matrimonium de præsenti; & 3. eos, qui & contraxe-
7 runt Matrimonium, & consummarunt. De primis loquuntur *l.* 1. *l.* 3. *de Sponsalib. & l. Sponsio. ff. de Verb. Signific.* nec non *cap. Nostrates.* 30. *q.* 5. & integer titulus *de Sponsalibus*, quibus omnibus in locis Sponsi, ac Sponsæ dicuntur, & nominantur illi, qui Sponsalia tantùm de futuro inierunt. Est tamen verum, quòd antiquitus apud Hebræos hujusmodi Sponsæ de
8 futuro aliquando vocabantur Uxores. Exemplum habetur in *Genes.* 29. 1. ubi Jacob Sponsalia inierat de futuro cum Rachele filia Labani, qui eam illi despoponderat cum conditione tamen, ut Matrimonium per verba de præsenti non contraheret cum ipsa, nisi post septem futuros annos, & interim ei deserviret. Subdit ergo Scriptura Sacra. *Servivit ergo Jacob pro Rachele septem annis: Dixitque ad Laban: Da mihi Uxorem meam; quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.* Quomodo dicit: *Da mihi Uxorem meum*; si erat tantummodò Sponsa? Quia apud Hebræos Sponsæ vocabantur etiam Uxores, & ideò S. Lucas *cap.* 2. *Vers.* 5. de S. Joseph ait, quòd ivit in Bethlehem, *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Quorum verborum pro explanatione S. Hieronymus in *Matth.* 1. ita dicit: (& habentur *in cap. Genuit.* 27. *q.* 2.) *Recordare consuetudinem Scripturarum, quòd Sponsi vocentur Viri, & Sponsæ Uxores.* Hoc idem innuit Eugenius Papa III. *in cap.* 3. *De Sponsalib.* ubi, loquens de puella nondùm Septenni desponsata, vocat eam conjugem Sponsi, ibi, *Quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur*, idest *Sponsa* subdit ibidem Glossa. Igitur appellatione Sponsi, & Sponsæ verè & propriè intelliguntur illi, qui contraxerunt Sponsalia per verba de futuro, etsi hi quoque appellarentur Viri, & Uxores ex adductis Exemplis. Secundò hæc Vox *Sponsus, & Sponsa* aliquando denotat illos, qui contraxerunt per verba de præsenti Matrimonium; quod inter eos est ratum, nondum autem consummatum. Exempla habentur in 27. 9
q. 2. *cap. Conjuges*: ubi sic: *Conjuges verius appellantur à prima desponsationis fide; quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus.* Item in *cap. Tertio loco* 13. *De Præsumptionib.* ubi Papa sic loquitur: *Tertio loco quæstionis hujusmodi nodum Tua Fraternitas petiit explicari, An juvenis Sponsam, in quam per verba de præsenti consentit, debeat Uxorem habere, &c.* Ergo mulier post contractum Matrimonium per verba de præsenti, & nondum consummatum, vocatur Sponsa. Item *in cap. Accepisti.* 2. *de Sponsa duorum*, in quo ita: *Accepisti illam in Uxorem tibi, quam alter sibi desponsatam habuerat. Dimitte illam &c.* Verbum illud *desponsatam* denotat per verba de præsenti, ut declarat Glossa *ibi*, aliàs secundus maritus non posset eam dimittere, si fuisset cum primo desponsata tantummodò per verba de futuro. Similiter in *cap. Sicut ex litteris. in cap. Si inter. in cap. Duo pueri, & in cap. Is qui. De Sponsal.* Matrimonium per verba de præsenti contractum exprimitur per verbum desponsationis; ac ipsi conjuges, quia nondum illud consummaverant, Sponsus, & Sponsa appellantur; undè fit, ut non rarò in Jure hæc nomina Sponsus, & Sponsa, prout etiam desponsatio, denotent Matrimonium initum per verba de præsenti.

Tertiò per hæc nomina *Sponsus & Sponsa* significantur conjuges, à quibus non solùm fuit initum Matrimonium; sed etiam consummatum. Exemplum habetur *Exod.* 4. 26. *ubi Sephora, uxor Moysis, eidem dixit: Sponsus* 10 *Sanguinis mihi es:* & tamen filium ex eo conceperat, quem in eodem tempore, ac loco, in quo verba hæc protulit, circumcidit; ut observat Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 37. *n.* 2. ubi addit alia mystica Exempla hujus significationis ex Scriptura Sacra, nempè *in Psalm.* 8. *Tanquam Sponsus procedens de thalamo suo.* In *Joel.* 2. *Egrediatur Sponsus de cubili, & Sponsa de thalamo*, ac in *Osee* 4. *Sponsæ vestræ adulteræ.* Ergo, concludit Eminentia sua, nomine Sponsi, & Sponsæ accipiuntur Maritus, & Uxor cohabitantes, & post concubitum.

Est tamen verum apud omnes tam Theologos, quàm Canonistas, quòd in communi sensu, ac locutione hæ voces *Sponsus & Sponsa* denotant eos, qui sibi promiserunt de Matrimonio contrahendo per verba de futuro. San- 11
chez *de Matrim. d. libr.* 1. *disp.* 1. *num.* 2. Basilius Pontius *eod. tract. libr.* 21. *cap.* 1. *num.* 3. Salmanticenses *tract.* 9. *de Sacram. Matrim. cap.* 1. *num.* 1. & Gobatus *in Theolog. Experiment. tract.* 10. *num.* 3. & 4. ubi tria dicit notatu digna. Unum est, quòd quotiescunq; aliqua lex, vel statutum in materia favorabili loquitur de Sponsis, intelligenda est etiam de illis, qui contraxerunt per verba de præsenti, sed nondum Matrimonium consummarunt, nisi fortè ob peculiarem aliquam circumstantiam aliud dicendum videatur. Alterum est, quòd si lex, vel statutum nomine Maritum, & Uxorem, comprehendat in materia favorabili etiam Sponsos de futuro; in materia autem indifferenti illos tantum, qui contraxerunt per verba de præsenti, sive Matrimonium consummarint, sivè non. Tertium, quòd in materia odiosa, & pœnali solùm eos, qui consummarunt, per hæc nomina, *Maritum & Uxorem*,

Uxorem, esse intelligendos, ut latiùs DD. quos ibi allegat.

Quo ad Tertium: Plures leguntur definitiones Sponsalium apud Theologos, & Canonistas; verùm quia omnes nimis breves, & concisæ sunt, neque aptæ ad declaranda omnia, quæ necessaria sunt ad hunc contractum Sponsaliorum validè ineundum; placet dare sequentem,
12 videlicet: *Sponsalia sunt promissio de futuro Matrimonio, mutua, & acceptata, vera, deliberata, ac libera, facta à personis habilibus, verbis, vel signis expressa.* Singula verba declarabimus ex quorum explicatione Studiosus Lector ea, quæ ad essentiam Sponsalium spectant, discet; atque præcipuas quæstiones, quas Doctores promovent circa hunc contractum, percipiet. Igitur.

Primò dicitur, quòd *Sponsalia sunt promissio*, ut intelligamus, quòd simplex intentio, propositum, aut desiderium, etiam exteriùs explicatum non sufficit ad contrahenda Sponsalia; sed debet esse externa promissio. *cap. Nostrates* 30. *q.* 5. ibi: *Sponsalia, quæ futurarum sunt*
13 *Nuptiarum promissa.* Et hujus externæ promissionis triplex est ratio. *Una*, quia Sponsalia sunt contractus humani commercii, qui non subsistunt actibus internis. Ideò requirunt externam promissionem, qua promissario intimatur, & notificatur propositum rei, in ejus gratiam faciendæ. *Altera* quia consensus internus non manifestatus per externa signa non sufficit ad Matrimonium. Ergò neque ad Sponsalia. *Tertia*, quia Sponsalia sunt contractus humanus. Ergo faciendus humano modo. At inter ho-
14 mines interna locutio non sufficit, etsi coram Deo sit satis, & coram bonis Angelis, atque Sanctis in cœlo existentibus, coram quibus corde tantùm possumus loqui, audiri, & obligari. Ergo propositum de futuro Matrimonio contrahendo cum aliquo debet ei explicitè insinuari, per promissionem, ut contrahantur Sponsalia. Ita Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. *de Matrim. art.* 2. §. 1. per totum. Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 2. & Sanchez *de Matrim. lib.* 1 *disp.* 1. *num.* 7.

Secundò dicitur *de futuro Matrimonio* ad differentiam contractus ipsius Matrimonii; nam
15 aliud sunt Sponsalia, aliud Matrimonium. Illa sunt contractus, in quo contrahentes promittunt, ac obligant se devenire post aliquod tempus ad contrahendum simul Matrimonium. Hoc est contractus, in quo de præsenti initur, & perficitur Matrimonium. Et ex hac differentia duo deducuntur. *Unum* est, quòd si Sponsus post contracta Sponsalia de futuro, vel ipsa Sponsa coeant cum altero, non committunt adulterium
26 in foro conscientiæ (quidquid sit in foro exteriori, de quo videndus Basilius Pontius *d. lib.* 8. *de Matrimon. cap.* 6. *num.* 6.) Et ratio est, quia ut ait S. Thomas 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. *Adulterium est alieni thori violatio.* Sed Sponsi de futuro nondum habent commune thorum inter se. Ergo coeuntes cum altero non sunt adulteri. Ita Pontius *d. num.* 8. Henriquez, Filiucius, & alii apud Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 4. & Sanchez *d. libr.* . *disp.* 2. *n.* 2. *Alterum* est, quòd fornicatio, quam Sponsus vel Sponsa de futuro committeret cum aliena persona, includit malitiam à fornicatione diversam, & specialiter exprimendam in confessione, ea ratione, quia ex parte utriusque frangitur fides Sponsalium, & injuria adinvicem irrogatur; eò quod tam Sponsus, quàm Sponsa ex vi contractus Sponsalium acquisivit jus ad corpus alterius, quàmvis non in corpore, id-
17 est ad rem, non in re. Gonetus *tom.* 5. *de Matrim. disp.* 3. *art.* 3. Guttierez *cap.* 1. *num.* 20. & alii citati per Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 1. *num.* 11. ubi reprobant DD. asserentes vel nullam malitiam diversam à fornicatione reperiri, vel solam Sponsam fornicantem teneri hanc circumstantiam initorum Sponsalium in confessione manifestare; siquidem verior opinio est, quòd etiam Sponsus teneatur ad eam aperiendam; tum quia hæc est sufficiens causa ad dissolvenda Sponsalia, ut infra ostendemus; tum quia ex ea acciperet Sponsa suspicionem se minùs à Sponso præ altera amari, minùsque amandam post initum Matrimonium, tum denique quia est periculum, ne nascatur proles sumptibus communibus postea alenda; & ideò aperienda est in confessione hæc circumstantia non solùm à Sponsa peccante cum altero, sed etiam ab ipso Sponso, & ab illis, cum quibus uterque rem carnalem habuerit.

Tertiò dicitur in definitione, quòd promissio, quæ fit in contrahendis Sponsalibus, debet esse *Mutua*: quia non sufficit, ut fiat à solo viro, vel à sola fœmina; sed ab utroque contra 18
hente fieri debet. Rota *part.* 12. *recent. Decis. CCXXVII. num.* 18. quod colligitur ex *l.* 1. *ff. de Sponsalib.* ubi promissio Sponsalitia dicitur repromissio, idest utriusque promissio, & in hoc omnes DD. consentiunt. Gobatus *d. tract.* 10. *num.* 19. Sanchez *d. lib.* 1. *disp.* 5. Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 13. Basilius Pontius. *d. libr.* 8. *cap.* 4. & Eminen. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 37. *n.* 20. ubi doctè advertit, promissionem Sponsalitiam fieri posset tripliciter, vel uno solo promittente, & altero nihil prorsùs respondente; vel uno promittente, & altero acceptante gratiasque agente, sed non expressè repromittente: vel uno promittente, & altero acceptante, atque repromittente; sicque mutuò, & adinvicem reciprocam promissionem, ac repromissionem, utroque Sponso sibi faciente. Ex his promissionibus prima, & secunda non sunt vera Sponsalia; sed tertia tantum. Ratio est, quia Sponsalia sunt contractus onerosus, & per stipulationem conficitur. Ergo ab utroque contrahente debet exprimi reciproca promissio; adeò ut si unus tantùm promittat, & alius acceptet, sed non repromittat, non est stipulatio, sed mera complacentia, quæ, cùm acceptantem non obliget, non perficit contractum. Rota *part.* 15. *recent. Decis. CXLII. n.* 4. & *part.* 18. *Decis. DXXXVIII. n.* 4. & *Decis. DCXXI. per totam.*

Advertunt tamen quòd licèt acceptans, & non repromittens non sit obligatus; qui tamen promisit tenetur ad adimplendam promissionem, eam promissario exigente, & hoc jure naturæ, 19
& ratione fidelitatis, quia promissa sunt semper adimplenda, ut latè probat idem Eminent. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. *à num.* 31. & *seqq.* cum quo consentiunt Sanchez *d. lib.* 1. *disp.* 5. *num.* 5. Layman *libr.* 5. *tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 2. & alii, quos citant, ac sequuntur Salmanticenses *d.*

tract. 9. cap. 1. num. 1. num. 18. & seqq. Mihi tamen dicendum videtur, quòd ubi promissio, etsi acceptatæ, non correspondet repromissioni, acceptantis vel physica, vel moralis, ipse promittens ad nihilum sit obligatus. Ratio est, quia sicut Matrimonium claudicare non potest sed debet esse validum ex utraque parte, vel ex nulla; ita & Sponsalia: idcircò si acceptans promissionem, & non repromittens non est obligatus ad futurum Matrimonium ineundum; neque obligatus erit ipse promittens; qui quidem eatenus promissionem fecit de se ipso, quatenùs credidit, sibi idem repromitti à promissario; quo remanente libero à promissione, ab eadem etiam promittens liber esse debet, contractus enim *Do, ut des*; vel *facio, ut facias*, non obligat unum ex contrahentibus ad dandum, vel faciendum; nisi alter quoque sit obligatus ad idem præstandum. Et sic contra Sanchezium *d. libr. 1. disp. 5. num. 7.* contrarium tenentem, docet Basilius Pontius *libr. 12. cap. 4. num 2* quem refert etiam, & commendat Diana Coordin. *tom. 2. tr. 6. res. 144.* residente in Veteris ejus operis *part. 3. tract. 4. resol. 244.*

Quartò subjungitur in definitione, quòd ipsamet promissio sit *acceptata* ad hoc, ut obligationem pariat; & ideò usque dum acceptetur non obligat promittentem, qui pro libito suo 20 poterit à promissione recedere, & à Sponsalibus resilire. Ita Lessius *de Just. & Jure libr. 2. cap. 18. dub. 6. num. 34.* Castropalaus *de Matrim. disp. 1. punct. 3. num. 2.* Pontius *d. libr. 4. num. 4.* Aversa *quæst. 8. sect. 1* & Salmanticen. *d. cap. 1. num 14.* hanc reddentes rationem, quia nulla promissio regulariter obligat ante acceptationem vel promissarii, vel alterius, ipsius vices gerentis; hanc enim conditionem implicitam habet quælibet promissio, nimirum si à promissario acceptetur. Idem docent Guttierez *de Matrim. cap. 6. num. 16.* & Sanchez *d. libr. 1. disp. 6 num. 24. & 25.* ubi ampliant hanc doctrinam procedere, quamvis talis promissio esset juramento firmata, ab ea enim, antequam acceptetur, potest promittens absque peccato recedere; quia accessorium sequitur naturam sui principalis; & in hoc casu Juramentum est accessorium promissioni. Ergo si promissio ante acceptationem non obligat, etiamsi juramento firmetur, non obligabit.

Quintò dicit definitio, quòd hujusmodi mutua promissio in Sponsalibus *sit Vera*, videlicet cum intentione se obligandi, & adim-21 plendi quod promittit; ille enim qui fictè promittit, & cum animo non se obligandi, & non adimplendi peccat mortaliter, quia proximum decipit in re gravissima: & violat præceptum Justitiæ, quæ vult, ut in contractibus utrimque obligatoriis, uterque contrahens non fictè, aut ex joco, sed verè contrahat, animumque habeat adimplendi quod contraxit. Ita Aversa *quæst. 8. de Matrim. sect. 2.* Sanchez *d. lib. 1. disp. 9. n. 3.* & Salmanticenses *d. cap. 1. num. 23.* Sed gravem quæstionem excitant Theologi. *Utrum qui fictè promisit in Sponsalibus, teneatur in conscientia ea adimplere?* Circa quam distinguunt ita: Si promittens animum promittendi non habuit, quamvis verbis exterioribus promiserit? & in hoc casu certum est non obligari ad promissionem adimplendam, quia verè non promisit, sed joco, seu fallacia verba protulit. Ita Salmanticenses *d. cap. 1. num. 25.* & fusiùs Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 37. §. 3. à num. 44. & seqq.* pluribus rationibus hanc assertionem comprobans, quam ampliat etiamsi in ficta hanc promissione interveniisset juramentum. Vel fictè promittens habuit animum promittendi, sed non se obligandi? Et in tali casu duæ sunt opiniones DD. Una, quòd sit obligatus adimplere promissionem; quia qui vult antecedens, vult enim consequens. Sed promissio ducendi aliquam in Uxorem est antecedens; obligatio adimplendi promissum est consequens. Ergo si voluit promittere, & promisit, debet etiam adimplere. Sotus *d. Just. lib. 7. q. 1. art. 2.* Ledesma *quæst. 43. art. 1. diff. 2.* & Basilius Pontius, alios allegans *d. lib. 12. cap. 2. num. 7.* Altera opinio est, in prædicto casu promittentem non teneri ex justitia stare promissis, quia separari potest intentio promittendi ab intentione se obligandi; cumque habuerit animum non contrahendi obligationem, ad eam non est adstrictus. Sanchez *d. libr. 1. disp. 9. num. 5.* Bonacina *quæst. 1. punct. 1. num. 5. de Matrim.* Adversa *d. q. 8. sect. 3.* & alii, quos congerunt, & sequuntur Salmanticenses *d. tract. 9. cap. 1. num 28. & 29.* ampliantes id etiamsi interveniisset juramentum; & reddentes *num. 30.* hanc rationem, quia conditio contraria substantiæ contractus Matrimonii invalidat ipsum contractum. *cap. fin. de Condition. apposit.* Sed intentio non se obligandi in Sponsalibus ponit conditionem contrariam substantiæ promissionis, de cujus ratione est ipsa obligatio. Ergo ipsam promissionem annullat; & ratione illius non est obligatus eam adimplere.

Hæc tamen doctrina procedit, dummodò alteri Sponso, qui fallitur, aliquod damnum ex violata promissione non resultet; quia si sub prætextu promissionis fictè promittens sponsam defloraſſet, vel cum ea, etiamsi viduam co-22 isset, teneretur vel eam ducere in Matrimonum, & promissionem adimplere; vel si inter ipsos Sponsos magna esset disparitas, vel ex Matrimonio gravia scandala, rixæ, aut inimicitiæ forent orituræ, esset obligatus in conscientia ei dotem dare, ac damnum quodcunque resarcire, ut docet S. Thomas *in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. ad 4.* cujus doctrinam sequuntur Lessius *de Just. & Jur. libr. 2. cap. 10. dub. 3.* Sanchez *d. libr. 1. disp. 10. num. 3.* & alii, quos referunt Salmanticenses in praxi videndos, & consulendos *d. cap. 1. à num. 30. usque in fin.* ubi varias circumstantias examinant, & quid secundùm eas faciendum docent, circa prædictam fictam promissionem in Sponsalibus, initam cum animo non se obligandi ad eam adimplendam.

Sextò ait definitio, quòd promissio in Sponsalibus non solùm sit *mutua, acceptata, & vera*; sed etiam quod si *deliberata*, ideſt facta 23 cum plena libertate tum intellectus, tum voluntatis amborum Sponsorum; siquidem ad validitatem Sponsalium requiritur libertas physica cum plena deliberatione, & advertentia; adeò ut absit omnis fraus, & omnis violentia, ut docent Bonacina *d. quæst. 1. punct. 1. num. 4.* Sanchez *d. lib. 1. disp. 8. n. 5.* & alii DD. apud Salmanticen. *d. cap. 1.*

cap. 1. *num.* 57. illam allegantes rationem, quia Sponsalia sunt contractus humanus, qui humano modo fieri debet. Sed quod sine deliberatione perfecta, & sine libertate fit, humano modo fieri non censetur. Ergo si fraus decipiat intellectum, vel quid aliud impediat usum rationis in Sponsis; seu vis, vel metus gravis cogat eorum voluntatem ad promittenda Sponsalia, hæc erunt nulla, & invalida; ut etiam differit Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 4. ubi *num.* 160. *& seq.* adducit textum in *cap. Ex Litteris. de Desponsat. Impuber.* & ibi Glossam dicentem, Sponsalia invalida esse ob defectum plenæ deliberationis in Sponsis promittentibus. Ex his deducitur primò, Cydippem, de qua Horatius *Epist.* 12. quæ amatur ab Aconcio, sed cùm ipse ob conditionis disparitatem eam petere in Uxorem non auderet, sequentes versus per ipsum insculptos in pomo aureo, ac in Cydippes sinum, dum Dianæ sacrificaret, projecto, fecit, ut ipsa legeret: 24

Juro tibi sanè per mystica Sacra Dianæ,
Me Tibi venturam comitem, Sponsamque futuram.

Deducitur, inquam, primò Cydippem per hanc juratam promissionem, quam ore protulit, non fuisse obligatam nubere prædicto Aconcio; quia fuit absque deliberatione, & illa verba pronunciavit per fraudem, ipso facto Sponsalia annullantem; ut refert Petrus Gregorius Tholosanus *d. lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 4. Deducitur 25 secundò, quod qui est insanus mente, seu amens, vel ebrius, eo tempore, quo subjacet his defectibus, non potest contrahere Sponsalia; nisi habeat lucida intervalla, & horum tempore illa ineat, sciens, & intelligens quid agat, ut notant Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 58. Deducitur tertiò, quòd si quis spopondisset, & Sponsalia contraxisset in magno calore iracundiæ, non fuisset obligatus per textum in *cap. Divortium. De Pœnit. dist.* 1. Dixi in magno iracundiæ calore, quia secus esset, si tanta mediocritate, quæ intellectum obtenebrare, & deliberationem liberam auferre non fuisset satis. 26 Deducitur quartò, quòd Sponsalia inita per metum, aut vim cadentum in constantem virum, sunt nulla, & invalida; secus si metus, aut vis fuisset levis. Aversa *quæst.* 8. *sect.* 4. Sanchez *libr.* 4. *disput.* 19. *num.* 6. Bonacina *quæst.* 1. *punct.* 9. *propos.* 2. & Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 60. Qualis autem sit vis, & metus cadens in constantem Virum? explicabimus infra, quando de impedimento dirimente Matrimonio per vim, & metum contracto differemus. Deducitur quintò, quòd licèt disputent DD. an Sponsalia per vim, & metum contracta sint invalida ipso jure: vel sint à Judice invalidanda: Et pro utraque opinione sint Autores; nihilominùs verior, & communior opinio est, talia Sponsalia ipso Jure nulla esse, neque aliquam obligationem parere in eo, qui metu contraxit. Sanchez *d. lib.* 4. *disp.* 19. *num.* 3. *& disp.* 21. *n.* 3. Covarruvias, Adversa, Becanus, & alii, quos nominant, & sequuntur Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 62. Deducitur sextò, nulla fore prædicta Sponsalia per vim, & metum gravem inita, etiamsi firmata fuissent juramento. Diana Coordin. *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 6. quæ extat *in Vet. part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 277. ac Salmanticenses *d. num.* 62. & 63. ubi reddunt hanc rationem, quia ipsa sunt non solùm contra bonos mores, sed etiam contra publicam utilitatem, quo casu nulla insurgit ob- 27
ligatio, non obstante Juramento, *cap. Si diligenti. De foro competen.* & ideò non est opus dispensatione super juramento. *d. cap. Ex Litteris. De Desponsat. Impub.* DD. quos citat, & approbat Barbosa *in collect. ad d. cap. Ex Litteris. num.* 4. Quamvis contrarium teneat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 4. ubi *à num.* 164. *& seqq.* nititur probare, quòd Juramentum obliget adimplere Sponsalia, nisi dispensatio obtineatur ab Episcopo; & videtur idem tenere S. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad.* 3. At Salmanticenses concordant dicentes, juramentum obligare, etsi per vim extortum, quando interponitur super contractu non prohibito tanquam contra bonos mores, & contra publicam utilitatam. Idcircò quia his de causis Sponsalia per vim, & metum contrahi prohibentur; ideò Juramentum appositum super illis est nullum omninò. Deducitur septimò, hanc nullitatem procedere sivè vis, & metus sit incussus ab alio sponso, sivè à quacunque alia persona. Salmanticenses *d. cap.* 1. *n.* 66. declarantes hoc esse verum, si vis, aut metus sit illatus absque justa causa; nam causa justa interveniente non irritat Sponsalia. Deducitur octavò, quòd licèt 28
pars, quæ passa est vim & metum gravem, non teneatur adimplere Sponsalia; altera tamen pars obligata est ad illa adimplenda; & hoc ratione suæ promissionis liberè emissæ & ab alia parte acceptatæ; quæ si velit devenire ad celebrationem Matrimonii, tenetur altera pars il- 29
lud celebrare. Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 66. qui *num.* 67. *& seqq.* benè advertunt, in celebratione Sponsalium non esse opus præsentia Parochi, vel testium; & esse valida, quamvis clandestinè contrahantur, quod concedunt omnes DD. tum quia talis est usus, ac praxis Ecclesiæ; tum quia nulla est lex, quæ præcipiat, 30
Sponsalia fieri publicè, seu cum Parochi, & testium præsentia; ut plenè demonstrat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 5. Deducitur nonò, quòd adeò libera debet esse promissio in Sponsalibus, ut in eis non possit imponi aliqua pœna, qua Sponsi adstringantur ea adimplere, quod si imponatur; nulla sit. *cap. Gemma. de Sponsal. l. fin. C. eod.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 30. Emin. Card. de Lauræa *disp.* 37. *art.* 8. &, Salmanticenses *d. cap.* 1. *punct.* 8. ubi latè de hac pœna.

Septimò: in Sponsalium definitione dicitur, quòd eorum promissio *facta sit a personis habilibus*; quæ quidem verba à contrario sensu denotant, quòd personæ inhabiles, si Sponsalia contrahant, nulliter contrahunt, cùm non habeant habilitatem ad ea contrahenda. Porrò duo sunt genera personarum inhabilium pro contrahendis Sponsalibus. Primum genus continet impuberes, legitimam ætatem non habentes. Secundum genus comprehendit omnes illos, qui affecti sunt impedimentis dirimentibus Matrimonium, 31
vel illud impedientibus. Quo ad primum genus, pueri, & puellæ, qui septem annos ætatis suæ non habent, inhabiles sunt ad contrahenda Sponsalia; & de facto si contrahant, sunt nulla. *c. Litteras c. Accessit. & c. Ad dissolvendum. De Desponsat. Impuber.*

Impuber. cap. Unic. eod. tit. in 6. S. Thom. 3. *part. quæst.* 43. *art.* 2. in quo reddit rationem dicens, quia ante septennium præsumitur non adesse in pueris, & puellis sufficiens usus rationis. Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 71. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 5. *per totum.* At quærunt DD. an sufficiat septennium incœptum, vel debeat esse completum pro validitate Sponsalium? Et equidem pro utraque opinione habentur DD. quos citat Diana Coordin. *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 2. *resol.* 3. & *resol.* 4. quas reperire licet in Veteri *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 273. *resol.* 274. ac *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 65. At verior, & securior opinio est, quòd debeat esse completum, ut demonstrat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 5. *à num.* 189. & *seqq* tum quia Canones loquuntur de septennio completo. *cap. Litteras. & cap. Accessit. De Desponsat. Impub.* tum etiam quia illa ætas est necessaria ad contrahenda Sponsalia, quæ requiritur ad inducendum impedimentum publicæ honestatis. Sed hoc non inducitur, nisi completo septennio, ut *in dd. texx.* & *in cap. Unico in* 6. *eod. tit.* Ergo idem dicendum est pro contrahendis Sponsalibus, ut bene confirmat etiam Narbona *de Ætate Anno VII. quæst.* 19. *num.* 12. ubi Theologos cumulat ita sentientes. Et quamvis plures DD. inter quos Pontius *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 5. *num.* 5. Rebellius *lib.* 4. *quæst.* 5. ac Diana Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 5. quæ habetur in inordinato *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 63. prætendant valere Sponsalia inita ante septen-
32 nium completum, saltem in foro poli, quando malitia supplet ætatem, & usus rationis est perfectus in Sponsis ante prædictam ætatem; contrarium tamen est tenendum, quia aliàs dispositio Juris, præscribens septennium completum, esset frustratoria, ut respondent Hurtadus *de Matrim. disp.* 1. *difficul.* 14. *num.* 61. & Castropalaus *tom.* 5. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 8.

Secundum genus personarum inhabilium ad contrahenda Sponsalia includit illas omnes, quæ inter se, vel in se habent impedimentum aliquod impediens, ac dirimens Matrimonium;
33 sivè impediens tantum modò; idcircò non solùm qui emisit Votum solemne castitatis, vel in Ordine Sacro, vel in Religione, non potest inire Sponsalia, sed neque qui semplex castitatis Votum fecit, & idem dicendum de quocunque alio impedimento ut latè differunt Sanchez *d. lib.* 1. *disp.* 15. Aversa *q.* 8. *sect.* 7. Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 70. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 6. Qui tamen DD. omnes limitant hanc regulam, nisi in contractu Sponsalium ponatur hæc conditio, & pactum; ut valere debeant, quando ablatum fuerit impedimentum, vel per Pontificiam dispensationem, vel alio modo legitimo; tunc enim cessante impedimento Sponsalia incipiunt valere.

Octavò, & ultimò additur in definitione Sponsalium, quòd eorum promissio sit: *Verbis, vel Signis expressa*, ea ratione, quia pro-
34 missio merè interna, non sufficit ad Sponsalia; sed requiritur, ut exprimatur per verba, vel signa; sunt enim Sponsalia, ut sæpè dictum est, contractus humanus, ac proindè humano modo debent perfici, exteriùs explicando quod in mente habetur; maximè cùm debeat esse promissio mutua, & acceptata: promissio autem unius nequit acceptari ab alio, nisi per verba, vel signa manifestetur, ut ex doctrina S. Thomæ *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. nec non *in* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. demonstrant Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 41. & 42. Cæterùm quo ad verba quatuor dubia sunt resolvenda. Unum est, An per verba negativa contrahantur Sponsalia? e. g. Si Cajus dicat Titiæ, *Non ducam aliam à te. Vel* 35 *Non ducam aliam, nisi te.* Alii dicunt, non posse contrahi, & dicta verba non esse obligatoria. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 19. *num.* 5. Basilius *lib.* 1. *cap.* 10. & Bonacina *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 13. Posse contrahi affirmant Bartolom. Ledesma *dub.* 25. & Petrus de Ledesma *q.* 43. *art.* 1. quia negans ducere aliam quamcunque censetur affirmare, se ducturum illam, cui ita spondet. Alii dicunt esse verba ambigua, quæ tum perficere, tum nulla reddere possunt Sponsalia ex aliis circumstantiis in sic loquente concurrentibus. Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 44. Esse verba inutilia, & nihil concludentia pluribus rationibus probat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 37. §. 6. *à num.* 101. & *seqq.* ubi dat hoc exemplum, si quis dicat, *nullum faciam heredem, nisi te*; per hæc verba nec ille, cui dicuntur, fit heræs; neque illa dicens obligatus est facere illum hæredem. Secundum dubium est, *An verba ambigua satis sint ad firmanda Sponsalia?* Et idem Emin. Cardin. de 36 Lauræa respondet negativè *in d. disp.* 37. *num.* 106. quia non exprimitur verus consensus, qui est necessarius pro validitate contractus. Tertium dubium est: Si Sponsus promittat puellæ eam in Uxorem ducere; illa verò taceat, *Utrùm illud silentium cum consensu interno sufficiat?* Et videtur respondendum affirmativè per regulam *Qui tacet, consentire videtur*, Sed negativè re- 37 spondent Castropalaus *disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 11. Bonacina, & alii apud Salmanticenses *d. cap.* 1. *num.* 45. ob aliam regulam *Qui tacet nec consentire, nec dissentire videtur*; & sic est tenendum, quia promissio debet esse mutua, & acceptari ab utraque parte; & id fieri non potest in illo silentio. Regula autem *Qui tacet, consentire videtur*, procedit in favorabilibus, secus autem in præjudicialibus, & in obligatione contrahenda, prout est in Sponsalibus, in quibus uterque contrahens obligat se tradere suum corpus alteri. Ita Salmanticenses *d. c.* 1 *n.* 45. & 46. ubi id limitant, quando parentes filiorum impuberum contrahentium, & tacentium sunt præsentes, & ipsi eorum vice spondent, ut habetur in *cap. Unico. De Desponsat. Impub. in* 6. & concedunt Sanchez *libr.* 1. *disp.* 23. *num.* 3. & alii apud eosdem Salmanticenses. *d. num.* 46. qui *num.* 47. id extendunt, etiamsi filii essent absentes, dummodò ratam habeant genitorum promissionem de ipsis factam, & expresè illam confirment, aliàs secus, ut ait Rota *part.* 18. *rec. Decis.* 267. *num.* 10. ubi tenet, non fuisse datum consensum à puella, quæ audiens à Patre se desponsatam tali Viro, tantummodò subrisit. At hæc non procederent, si tutores, vel curatores, aut alii à genitoribus ita contraherent. Sanchez *ibid. num.* 12. Guttierez *cap.* 13. *num.* 2. & Salmanticenses *num.* 48. Quar- 38

tum

tum dubium est, *An Mutus, Surdus, & Cœcus aptus sit ad contrahenda Sponsalia?* Negativè respondet Gobatus. *d. tract. 10. num. 115.*
39 si his tribus simul defectibus quis laboret; secus si uno tantum; vel si Mutus, & Surdus sit, videat, & sit perspicacis ingenii, quem posse contrahere Matrimonium diximus in Decisionibus *de Sacram. Pœnitentiæ Decis. 22. num. 8.* & docet Sanchez *d. libr. 1. disp. 8.* & alii apud eundem Gobatum *tract. 10. num. 115.*

Quò verò ad Signa; ea sufficiunt loco verborum ad contrahenda sponsalia; si talis sit usus Provinciæ, ut per signa contrahatur promissio
40 Sponsalium. Sanchez *d. lib. 1. disp. 22.* Aversa, Palaus, & alii apud Salmanticenses *d. cap. 1. num. 49.* Apud nos signa certa sunt pro validitate contractus Sponsalium, si adstantibus parentibus, propinquis, ac amicis Sponsus immittat annulum in digito Sponsæ, & eam osculetur, & hanc consuetudinem approbant Menochius *lib. 3. Præsumpt. 2. num. 6.* Rota *part. 4. recent. tom. 1. Decis. 666.* & plurimi Canonistæ, ac Theologi, quos citat, & sequitur Sanchez *d. lib. 1. disp. 22. per totam.* Et equidem antiquissimus est usus contrahendi
41 Sponsalia per annuli subarrhationem; de ea enim S. Isidorus Hispalensis, qui florebat Anno 630. *lib. de Eccles. Offic. cap. 19.* ita scribit: *illud verò, quod in primis Annulus à Sponso Sponsæ datur, sit hoc nimirum vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Undè & quarto digito Annulus idem inseritur, quòd in eo vena quædam (ut fertur) sanguinis ad cor usque perveniat.* Et Tertullianus, qui anno 230. scribebat, sic ait *Apologet. cap. 6.* de puellis desponsatis: *Aurum nulla norat præter unico digito, quem Sponsus oppignorasset pronubo Annulo*, quem quidem Annulum S. Petrus Chrysologus *Serm. 5.* vocavit *annulum honoris, titulum libertatis, arrham cœlestium nuptiarum.* Et de eodem cecinit etiam Juvenalis *Satyra 6.*

Conventum tamen, & pactum, & Sponsalia, nostra
Tempestate paras, jamque à tonsore Magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.

Verùm ad demonstrandam antiquitatem immissionis Annuli pronubi in digito Sponsæ in signum contractorum Sponsalium, refertur Annulus, quo desponsata fuit S. Anna Mater Deiparæ à S. Joachimo, de quo Marchantius
42 *tract. 7 Candelabri Mystici lect. 4.* hæc habet: *Annulus, quo S. Joachim Annam MARIÆ parentem sibi conjunxit, servatur Romæ apud Sanctimoniales Sanctæ Annæ; estque argenteus, & rudis, cum chrystallina gemmula, maculis circumcingentibus nigris, in medio pellucida, ex qua imago, veluti è speculo resilit; quo hebetes, & caligantes oculos, quibus admoveri solet in festo S. Annæ, plurimùm juvari tradunt.* Sed magis Lectorem delectabit audire ea, quæ refert Begatta *tom. 1. Admirand. Orbis Christ. libr. 5. cap. 3. num. 1.* de Annulo Sponsalitio ipsius Sacratissimæ Virginis MARIÆ Matris Dei: vi-
43 delicet: *Servatur Perusii in Italia, in Templo S. Laurentii, summa veneratione, & populorum concursu Annulus, quo B. JOSEPH MARIAM desponsavit; estque miraculis clarus, à Clusinis ad Perusinos divina providentia delatus. Non potest autem dignosci, ex qua materia sit; non enim ex argento, aut auro, sed ex lapilli alicujus genere est. Solent verò Matronæ conflatos ex ebore annulos Perusium mittere, attactu illius consecrandos, in partu profuturos. Asserunt enim partui propinquas mulieres, difficili nixu se excruciantes, si hos annullos digito gestent, sublevari. Annulus quoque iste Sacratissimus DEIPARÆ reconciliandis conjugum dissidentibus animis mirè prodest; cujus rei gratia, plures voto adstricti se Perusium conferunt, & fructu domesticæ pacis fruuntur, eliminata discordia. Denique multi à dæmonibus vexati, & obsessi ad Aram Sacram, ubi hic Annulus servatur, confugientes liberati sunt. Nec hoc silendum, quod cùm nobilis, & Regii sanguinis fœmina, nomine Vvuldrada, præcipiti pietate, dum ei gemma spec-* 44
tanda exhiberetur, manu eam accepisset, & digito annulari inseruisset, illum protinùs digitum exaruisse in pœnam temeritatis præsensit. Quæ res in populi concursu contigit, dum adhuc Clusii existeret. Nec mirum videatur, tanta in veneratione illum haberi; quandoquidem Annulus ille pronubus humanæ felicitatis auspicium dederit.

Igitur immissio Annui in digito Sponsæ facta per Sponsum est signum desponsationis ejus; quod professa est S. Agnes Virgo, & Martyr, dum dixit tyranno, *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus JESUS CHRISTUS, & tanquam Sponsam decoravit me corona.* Sic 45
Ven. Lucia Narniensis, ex Ordine S. Dominici, adhuc septennis à Christo fuit desponsata, dato Annulo aureo; & ne testes deessent, præsens aderat DEIPARA, cum S. Dominico, & S. Catharina Senensi, ut ex Coquetio refert Bagatta *d. tom. 1. libr. 3. §. 3. num. 5.* alia consimilia exempla narrans devotis Virginibus à Christo Domino desponsatis, inter quas Ven. Soror Dominica de Paradiso, quæ vix duodecimum expleverat annum, cùm apparens ei Christus Dominus, una cum Beata Virgine, aliisque Sanctis, eam sibi in Sponsam elegit, Annulumque digito ejus imposuit, ut fusiùs scribit Ignatius de Nente *in ejus Vita.* Plura de hoc Annuli signo pro comprobatione Sponsalium deducit Petr. Greg. Tholosanus *in Syntagm. Jur. Univ. d. lib. 8. cap. 7.* in quo sub. *num. 6.* allegat *texx. in cap. Illud 11. de Præsumpt. & in cap. Tenor Litterarum 16. de Sent. & re judic.* atque *num. 7.* observat, Serenissimum Ducem Venetiarum quotannis desponsare Mare Adriaticum injiciendo Annulum au- 46
reum in illud, in signum dominii, & Imperii Veneti super ipsum, prout disserit Cardin. Contarenus *lib. 2. de Republ. Venet.*

Alterum Signum Sponsalitiæ promissionis est osculum, quod ad maxillam Sponsæ Sponsus infigit in Annuli traditione, de quo signo 47
plures dat eruditiones ex antiquis collectas idem Tholosanus *lib. 9. cap. 8. per totum;* & hunc deosculandi Sponsam usum antiquissimum esse ex illis verbis Salomonis: *Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1.* latè demonstrat Sherlogus *tom. 2. in Cantic. Vestigat. 1. sect. 5. num. 42.* ubi ex Leffio *de Just. & Jur. libr. 4. cap. 3. dub. 8. num. 56.* ac aliis gravissimis Theologis advertit, osculum inter Sponsos esse licita, & immunia 48

etiam à veniali culpa ; nempè si honestè fiant, in signum benevolentiæ , & ad conciliandum amorem mutuum in ordine ad Matrimonium contrahendum. Ratio est , quia sicuti Matrimonium cohonestat copulam , ita Sponsalia , uti Matrimonii initium , debent cohonestare osculum expressivum dilectionis in ordine ad ipsum Matrimonium ; quod censetur inchoari per Sponsalia de futuro , & sic ex natura rei major facultas competit iisdem Sponsis , dummodò absit periculum pollutionis , vel volitio copulæ. Navarrus *in Summ. cap.* 14. *num.* 18. *& cap.* 16. *num.* 12. Graffius *Decis. part.* 1. *libr.* 2. *cap.* 82. *num.* 3. Idcircò Propositionem 40. ab Alexandro VII. damnatam , quæ asserebat , *Esse probabilem opinionem , quæ dicit , esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem , & sensibilem , quæ ex osculo oritur , seclusо periculo consensus ulterioris , & pollutionis*; non esse intelligendam de Sponsis , sed de personis liberis , ac solutis existimant DD. moderni , inter quos Cardenas in Crisi Theologica *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 45. *cap.* 16. *num.* 201. & 202. & Mastrius in Theologia Morali *disp.* 11. *num.* 139. *ac num.* 142. ubi ait , contrarium tenere Henriquez, Rebellium, & Lessium, utramque tamen opinionem esse probabilem ; etsi primam mitiorem , secundam verò tutiorem ob supradictam Propositionem damnatam.

Igitur ex Verbis definitionis Sponsalium hucusque explicatis colligat studiosus Lector, quòd quando Promissio , quam Sponsi inter se faciunt , de futuro Matrimonio , est mutua , acceptata , vera , deliberata , ac libera , verbis, vel signis expressa ; & ipsi sunt habiles ad ea contrahenda , tunc Sponsalia sunt valida , & producunt tres sequentes effectus. Unus est obligatio ea adimplendi per contractum Matri-
49 monii de præsenti opportunè ineundum , sub pœna peccati mortalis , nisi Sponsalia dissolvantur ob aliquam ex justis causis , in sequenti Decisione XVII. adducendis. Sanchez *d. lib.* 1. *disp.* 14. Bonacina *quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 271. & Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 1. ubi *num.* 89. *& seqq.* docent resilientem à Sponsalibus absque justa causa esse compellendum ad ea adimplinda in utroque foro , nisi scandala , vel mali exitus timerentur futuri. Alter effectus est , ut resiliens absque justa causa , sic arrhas accepisset , teneatur eas duplicatas restituere , at legitima causa interveniente acceptas tantùm. *l. fin. C. d. Sponsalib.* Nicolius *in Instit. Civil. libr.* 1. *tit.* 10. *num.* 24. Tertius effectus est , ut ex iisdem Sponsalibus oriatur impedimentum Publicæ honestatis impediens , ac dirimens Matrimonium cum parentibus respectivè alterutrius ex Sponsis usque ad primum gradum , etiamsi Sponsalia dissolverentur ex mutuo consensu ipsorum Sponsorum , ut declaravit S. Congregatio Concilii *die* 6. *Julii* 1658. cujus Decretum ponit Nicolius *d. lib.* 1. *tit.* 10. *num.* 54. quod ab Alexandro Papa VII. fuit approbatum; & nos referemus infra in explicatione Impedimenti Publicæ Honestatis.

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Solubilia esse Sponsalia , etsi jurata , superveniente aliqua justa causa , præsens Decisio ostendit. Recensentur omnes , & singulæ causæ , à DD. approbatæ , pro Sponsalium dissolutione. In earundem causarum explanatione plura curiosa dubia , & Quæstiones scitu necessariæ circa Sponsalia dissolvenda , excitantur , & resolvuntur ; atque hujusmodi materia Historiis, Exemplis, Medicorum Aphorismis , ac Rotalibus Decisionibus, illustratur.

SUMMARIUM.

1 *Sponsalia sunt solubilia ex aliqua honesta causa.*
2 *Juramentum sequitur conditionem rei , in qua apponitur.*
3 *Causæ justæ solvendi Sponsalia , quæ sint?*
4 *Consensu mutuo Sponsorum Sponsalia dissolvuntur.*
5 *Impuberes an possint dissolvere eorum Sponsalia?*
6 *Impuberum Sponsalia quam vim habeant?*
7 *Differentia Sponsalium per puberes , vel impuberes initorum.*
8 *Impubes factus pubes an possit statim resilire à Sponsalibus?*
9 *Claudicare quando possit contractus Sponsalium?*
10 *Impuberes facti puberes an possint resilire à Sponsalibus juratis?*
11 *Professione Religiosa dissolvuntur Sponsalia.*
12 *Habitus Religiosi-susceptio an dissolvat statim Sponsalia? Triplex Opinio.*
13 *Religiosus quomodo fieri possit , qui contraxerat Sponsalia jurata?*
14 *Religionem ingredi licet , non obstantibus Sponsalibus juratis.*
15 Cap. Comissum. De Sponsalib. *declaratio.*
16 *Copula carnalis habita inter Sponsos de futuro , an impediat eorum ingressum in Religionem?*
17 *Ordinis Sacri susceptio dirimit Sponsalia.*
18. *Votum de Religione intranda , vel Ordine Sacro suscipiendo an dissolvat Sponsalia?*
19 *Et an simplex votum Castitatis?*
20 *Exempla Sponsarum , quæ per votum Castitatis solverunt Sponsalia.*
21 *Sponsus habens votum Castitatis , fornicando , quot peccata committat?*
22 *Matrimonium de præsenti cum una , quomodo solvat Sponsalia præcedentia cum altera?*
23 *Et quid si ipsum Matrimonium solvatur an reviviscant priora Sponsalia?*

24 *Sponsa-*

24 *Sponsalia prima quomodo solvantur per secunda?*
25 *Copula carnalis cum secunda Sponsa an dissolvat prima Sponsaliu?*
26 *Sponsalibus primis dissolutis post inita secunda, An hæc sint adimplenda?*
27 *S. Vulmarius ob ejus dissoluta Sponsalia fit Religiosus.*
28 *Mora nimia in adimplendis Sponsalibus quando ea dissolvat?*
29 *Domicilium à Sponso translatum in aliam Civitatem an dissolvat Sponsalia?*
30 *Absentia nimis longa Sponsi an Sponsalia solvantur?*
31 *Infirmitas gravis Sponsorum an dirimat Sponsalia?*
32 *Lepra supervenienus Sponsis liberat eos à Sponsalibus.*
33 *Lucinii Nobilis Franciæ Sponsalia soluta ob Lepram Sponsæ.*
34 *Deformitas Sponsæ ob Variolas an solvat Sponsalia?*
35 *Variolarum morbus descriptus.*
36 *B. Felicis Cappuccini oleo Lampadis puer sanatur à Variolis.*
37 *Ansberti Sponsalia dissoluta ob deformitatem Sponsæ ex morbo.*
38 *Hæresis, aliave gravia delicta, si comittantur, solvunt Sponsalia. Item jactura bonorum, inimicitiæ, morum sævitia, ac fornicatio; nec non impedimenta dirimentia, vel impedientia tantùm, si superveniant: aut alia causa mali exitus.*
39 *Sponsi an à Sponsalibus possint de per se ob causam resilire?*
40 *Judex Ecclesiasticus adeundus in causa Sponsalium.*
41 *Dispensatione obtenta super impedimento inter Sponsos, opus est novo consensu eorum pro validitate Sponsalium.*
42 *Rotæ Romanæ optnio prævalet opinionibus aliorum Doctorum.*

VIdimus in antecedenti quomodo contrahantur Sponsalia, & qualitates, quas habere debent Sponsi illa inituri, ut eorum promissio valida evadat, & producat tres illos effectus, quos ibi in fine recensuimus: nunc oportet videre, An Sponsalia postquam validè sunt contracta, possint dissolvi? & quibus ex causis eorum dissolutio obtineri valeat?

Quo ad primum, extra omnem controversiam est, quòd Sponsalia, etsi validè, ac legitimè contracta, sunt solubilia ex aliqua honesta
1 causa; ea ratione quia eorum contractus neque jure naturæ, neque jure divino, neque jure Ecclesiastico est indissolubilis; quod patet manifestè, tum quia naturali Jure omnes contractus sunt solubiles de consensu partium; tum quia neque in scriptura Sacra, neque in Jure canonico reperitur aliqua prohibitio circa hanc solutionem; imò pluribus in locis ipsa solutio Sponsalium approbatur, & rata habetur; ut *in cap. Præterea. De Sponsalib.* in quo Innocentius III. ait: *Si autem se adinvicem admittere noluerint, ne fortè deteriùs contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur, quod adinstar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, possit in patientia tolerari.* ubi Glossa super *d. Verb. In patientia*, subdit: *Ex quo ad Matrimonium non est processum, possunt Sponsi se absolvere; nam omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem resolvitur ex cap. Omnis, de Reg. Jur.* Hanc assertionem probat etiam S. Thomas *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3.* & *in 3. part. Supplement. q. 43. art. 3.* Mastrius *in 4. sent. disp. 7. num. 296.* Salmanticenses *de Matrim. tract. 9. cap. 2. in princ.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa, *eod. tract. de Matrim. disp. 37. à num. 326. & seq.* eandem extendens etiamsi Sponsalia firmata fuissent cum juramento, & allegat text. *in cap. De illis. De Sponsalib.* in quo Alexander III. ita
2 respondendo concedit. Ratio est, quia juramentum adjectum sponsalibus, censetur fieri juxta conditionem illorum; & ideò cum illa de sui natura sint solubilia, ita & juramentum; maximè quia hoc est emissum in commodum earum partium, quæ jurarunt, & sic censetur factum sub illa conditione, nisi ex aliqua justa causa sit à Sponsalibus resiliendum, & hoc modo à Deo acceptatur. S. Thomas *2. 2. q. 89. art. 9. ad 2.* Salmanticenses *d. cap. 2. num. 4. & 5.* ubi idem dicendum docent, licet Juramentum factum fuisset in honorem Dei, & causa pietatis, ut si quis juraſſet ducere aliquam pauperem fœminam, ad sublevandam illius inopiam ob amorem Dei, nam ea remittente, vel alia justa causa militante, non esset obligatus eam ducere, quod latius probant Aversa *de Matrim. quæst. 8. sect. 11.* Lessius *de Just. & Jur. libr. 2. cap. 42. dub. 12. num 57.* Palaus *disp. 1. punct. 17. num. 4.* & Sanchez *de Matrim. libr. 1. disp. 52. num. 8.*

Quo verò ad causas justas, & honestas, propter quas licitum est dissolvere Sponsalia, & ab
3 eis resilire, cùm illæ sint multiplices, referemus hic magis practicabiles, à variis Doctoribus propositas, summatim tamen, & compendiosè, ne nimis prolixa sit hæc Decisio, remittentes Studiosum Lectorem ad eosdem Doctores, quos allegabimus, ut in casu practico, & quatenùs accidat respondere, vel decidere, An causa aliqua sit sufficiens pro dissolutione prædicta, possit ab illis rationes ampliores desumere.

Prima itaque causa dissolutionis Sponsaliu est mutuus consensus illorum, qui ea contraxerant. S. Thomas *in 4. d. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 5.* nec non *in 3. p. q. 43. art. 3. ad 5.* Ratio est, quia res quæcunque per quas causas producitur, per easdem dissolvitur. *cap. Omnis res. 27. q. 2. cap. 1. de Reg. Jur.* Sed Sponsalia generantur mutuo contrahentium consensu. Ergo mutuo contrahentium consensu solvuntur. Ita DD. communiter apud Salmanticenses *d. cap. 2. num. 1.* Mastrius *in 4. d. disp. 7. num. 297.* Aversa *d. q. 8. sect. 11.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 37. de Matrim. art. 11. §. 2. num. 332.* Hæc autem causa est intelligenda inter Sponsos puberes; masculum scilicet habentem

tem annos quatuordecim, & fœminam attingentem annum duodecimum; hi enim mutuo
5 consensu possunt à suis Sponsalibus resilire; at si impuberes forent, vel ambo, vel unus eorum non esset licitum Sponsalia solvere per mutuum consensum; quia expectare debent complementum annorum, quo pubertatem consequantur. *cap. De illis. 7. De Desponsat. Impuber.* ubi Alex. III. ita loquitur: *De illis, qui infra annos aptos Matrimoniis Sponsalia contrahunt, sivè uterque sivè alter reclamet, antequam ad annos Matrimoniis aptos pervenerint, postulent separari, non sunt ullatenus audiendi.* Ratio hujus dispositionis est, ut immaturitati impuberum succurratur, quia ut ait ibi Glossa *in Verb. ullatenus* ob fragilitatem ætatis non censentur habere maturam deliberationem; & ideò tempus pubertatis est expectandum. *cap. De bis dist. 28. cap. Illud. 20. qu. 1. & l. Denique. ff. De Minor.* Salmanticenses *d. cap. 2. de Matrim. num. 8.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 37. num. 343.* & Mastrius *d. disp. 7. num. 298.* qui doctissimè tria notat; *Unum*, quòd Sponsalia in-
6 ter impuberes inita non habent vim simpliciter obligandi ad contrahendum Matrimonium in pubertate; sed continent vim ligandi, ne interim alia Sponsalia ineantur, & inducunt publicæ honestatis impedimentum. *Alterum*, quòd si ex Sponsis impuberibus, unus priùs perveniat ad pubertatem, quàm alter, non possunt Sponsalia dissolvi, nisi alter quoque ad pubertatis annos pervenerit; reprobato Becano *cap. 43. quæst. 16.* & aliis opinantibus, quòd priùs factus pubes possit statim resilire, nec teneatur expectare, pubertatem alterius; quia contrarium dicitur *in d. cap.* De *illis* dum decernitur ambos ad pubertatem esse expectandos, ut perveniat antequam audiantur. *Tertium*, quòd ad annum pubertatis cùm uterque pervenerit, tunc dissolvi poterunt Sponsalia, non solùm ex mutuo amborum consensu; sed etiam uno eorum tantùm reclamante; & in hoc differunt Sponsalia contracta per impube-
7 res ab illis, quæ contrahuntur à puberibus; hi enim non possunt ea dissolvere, nisi ex mutuo amborum consensu; at illi etiam ex dissensu unius tantùm; tunc tamen, & quando utrique impuberes pervenerint ad pubertatem; & ita servandum affirmat tam in foro externo, quàm in interno, ut etiam advertit Aversa *d. quæst. 8 sect. 11.*

Porrò Salmanticenses *d. cap. 2. num. 9.* opinantur, quod ille, qui priùs fit pubes, possit, si velit, reclamare, & à Sponsalibus resilire, non expectata pubertate alterius; quia, ajunt, frustra expectatur eventus cujus nullus futurus est effectus. *cap. Cùm contingat, De offic. deleg.* Quòd
8 si pubes contraxerit Sponsalia cum impubere, non poterit resilire ab eis, nisi alter fiat pubes, & consentiat dissolutioni; & si impubes factus pubes nolit adimplere Sponsalia, potest altero invito ab eis discedere; quia contractus in favorem minoris potest claudicare. Sanchez *d. libr. 1. disp. 51. num. 10.* Reginaldus *libr. 31. num. 261.* & Salmanticenses *d. cap. 2. num. 11.* & 12. addentes, quòd si ipsi impuberes per triduum post adeptam pubertatem non reclamaverint
9 contra Sponsalia, censentur, ea rata habere, ita ut deindè non possint ampliùs ab illis resilire, nisi ex mutuo alterius Sponsi consensu *arg. l. fin. C. de Errorib. Advocat. & l. fin. C. de Judic.* Prædicta autem reclamatio, pro foro exteriori debet esse expressa; pro foro conscientiæ sufficit etiam tacita. Sanchez. *d. disput. 51. num. 17.* Perez *de Matrim. disp. 9. sect. 2.* & Aversa *d. quæst. 8. sect. 11. Vers. Sextò.* propè finem *pag. mihi 420.* Sed Utrùm impuberes
10 adepta pubertate possint resilire à Sponsalibus antea juramento firmatis, si unus eorum petat adimplementum, & non consentiat dissolutioni? Stant DD. pro affirmativa, & pro negativa, quos allegat Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol. 9. & resol. 10.* quæ resident in Veteri *part. 3. tract. 4. resol. 287. & 345.* & inter illos stat pro negativa Sanchez *d. libr. 1. disp. 51. quæst. 3. num. 22.* Sed Affirmativam tuetur Basilius Pontius *de Matrimon. libr. 12. cap. 9. num. 7.* à studiosis legendi.

Secunda causa dissolvendi Sponsalia est ingressus in Religionem, & Professio in illa. *cap. Ex publico. De Convers. Conjugat.* Ratio est manifesta, quia Sponsalia sunt præambula ad Matrimonium; sed Matrimonium ratum dissolvitur per in-
11 gressum, ac Professionem in Religione, ut *d. cap. Ex publico*; & latè dmonstravimus supra *Decis. XIII. a num. 9. & seqq.* Ergò multò magis ipsa Sponsalia. Verum tres à DD. hic agitantur quæstiones. Prima est: *An solus ingressus in Religionem, & sola habitus Religiosi susceptio statim dissolvat Sponsalia, non expectata Professione?* Circa quam tres sunt opiniones, una, quæ
12 ait expectandam esse Professionem, neque ante illam Sponsalia dissolvi. Ita Armilla *Verb. Sponsalia num. 22.* Durandus *in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 3.* Paludan. *ibid. q. 1. art. 4.* Covarruvias *1. p. de Matrim. cap. 5. num. 15.* & S. Thomas *3. p. q. 43. art. 3. ad 1.* asserens, Sponsalia dissolvi per ingressum Religionis, quia est mors spiritualis, quod non verificatur, nisi in Professione. Accedit, nullum reperiri Canonem, qui approbet dissolutionem Sponsalium per solam habitus Religiosi susceptionem, & per solum in Religionem ingressum. Altera opinio omninò contraria affirmat, solum ingressum in Religionem, & ejus habitus assumptionem solvere Sponsalia; nam sic se habent Sponsalia ad Matrimonium, sicut Novitiatus ad Professionem; utraque enim sunt præambula ad illam, & ad illud. Ergo sicut Professio dissolvit Matrimonium ratum ex parte utriusque conjugis; sic Novitiatus debet solvere Sponsalia quo ad utrosque Sponsos. Item quia votum intrandi Religionem extinguitur per solam susceptionem habitus, & ingressum in Novitiatum bona fide factum, ac animo permanendi. Igitur idem dicendum de Sponsalibus. Ita arguunt & tenent Eminentiss. Cardin. Toletus *in Sum. libr. 7. cap. 21.* Sanchez *d. libr. 1. disp. 42. num. 2. & 5.* Bonacina, *qu. 1. punct. 5. num. 2.* & Becanus *quæst. 21. cap. 43.* Tertia opinio, quæ censetur verior, docet, dissolvi quidem Sponsalia per ingressum Religionis, ac Novitiatum, quoad Sponsum remanentem in sæculo, qui si vult alteri nubere, non tenetur expectare Professionem alterius sui primi Sponsi. At quoad eum, qui ingreditur Religionem, Sponsalia non dissolvuntur, nisi facta per eum Professione; adeò ut si illam non emittat, & ad sæculum redeat, tenetur fidem Sponsalium servare; &

ea

ea adimplere si alter Sponsus petierit. Ita Rebellius *libr.* 4. *q.* 8. *sect.* 6. Basilius Pontius *libr.* 12. *cap.* 10. *num.* 3. & 4. Layman. *libr.* 5. *tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 2. & alii plures, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 2. *num.* 21. & 22. ubi reddunt hanc rationem pro dissolutione respectu remanentis in sæculo, quia ingrediens in Religione censetur statim cedere juri suo circa dicta Sponsalia; & nimis immutat statum suum; itaut si non profiteretur, & habitum Religionis desereret, sivè sit Sponsa, sivè Sponsus; alter, qui remansit in seculo, abhorreret nubere Moniali, vel Monacho religiosi habitus desertori. Respectu verò ipsius ingredientis Religionem statim non solvuntur Sponsalia, ne via fraudibus aperiatur, itaut post paucos dies habitum dimittat, ac Religionem deserat, prætendens se liberatum à Sponsalibus, & alteri nubat. Hanc tertiam opinionem eligunt tanquàm veriorem eximii Scotistæ Mastrius *in* 4. *d. disp.* 7. *num.* 300. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 11. §. 3. ubi respondent argumentis contrariis, videlicet ad rationem S. Thomæ, quòd ingressus in Religionem non est mors Spiritualis, nisi facta Professione; ad paritatem Sponsalium, ac Matrimonii cum Novitiatu, & Professione, eam verificari in aliquibus effectibus, sed non in hoc de liberando Novitium ab obligatione Sponsalium; prout neque in paritate Voti, quia eatenus illud solvitur per Novitiatum bona fide assumptum, quia ita satisfacit promissioni de Religionis ingressu.

Altera quæstio, circa hanc secundam causam, dissolvendi Sponsalia per ingressum, ac
13 Professionem Religionis est: *Quid Juris si Sponsalia fuissent jurata?* Et communis responsio est, quòd Sponsus debet priùs contrahere Matrimonium, & adimplere juramentum; & deindè abstinendo à copula intrare Religionem, & in ea profiteri; sic enim Matrimonium ratum dissolvitur, & alter Sponsus potest cui voluerit nubere juxta *text. in capit. Commissum. De Sponsalib.* in quo Alex. III. sic ait: *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd tutius est ei, religione juramenti servata, priùs contrahere; & postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* Ratio est, quia omnia juramenta licita obligant ad exequendum, quando executio non vergit in dispendium æternæ salutis. *cap. Cum contingat. & cap. Si verò. De Jure jur.* Accedit alia ratio, quia qui vult ingredi Religionem, debet priùs sua debita solvere. Sed Sponsus, qui juravit Sponsæ eam ducere in uxorem, est illi debitor de ea ducenda; & de Matrimonio contrahendo. Ergo debet contrahere Matrimonium; & statim ingredi Religionem. Ita tenent Scotus *in* 4. *dist.* 30. *q.* 2. E. Navarrus *in cap. Non dicatas.* 12. *q.* 1. Rebellius *libr.* 4. *de Matrim. q.* 8. *sect.* 6. *conclus.* 2. Vega *libr.* 1. *Summ. cap.* 389. & Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 37. *à num.* 363. *& seqq.* qui respondet rationibus contrariis, præcipuè, quòd sic contrahendo, & statim Religionem ingrediendo, est quædam fictio, ac delusio contractus, nam (ait) quòd jurans Matrimonium contrahere nunquam intendit sibi præjudicare circa electionem melioris status, ac privilegium sibi à jure concessum de ingredienda Religione; prout quod sic faciendo, infert magnam displicentiam alteri Sponso; nam, (subdit) potest illam evitare, remittendo parti juramentum, & licentiam ei generosè concedendo, ut solutis Sponsalibus juratis, absque eorum adimplemento possit ingredi Religionem; procedit enim hæc quæ- 14
stio, quando alter Sponsus recusat licentiare Sponsum volentem amplecti statum religiosum; & instat pro Sponsalium juratorum adimplemento.

Nihilominùs magis communis opinio est negativa, quæ asserit etiam parte renuente posse Sponsum, qui jurata inierat Sponsalia, ingredi Religionem, absque obligatione priùs contrahendi Matrimonium. Ratio est, quia juramentum sequitur conditiones contractus, cui adhæret. *cap. Quemadmodum. De Jure juran.* Sed Sponsalium conditio est, ut in eis contrahendis, semper subintelligatur, *nisi meliorem statum elegero.* Ergò etiam juramentum censetur factum sub hac conditione. Et ita sentiunt Sanchez *lib.* 1. *disp.* 43. *num.* 3. Palaus *disp.* 1. *punct.* 16. *num.* 3. Aversa *d. q.* 8. *sect.* 12. Basilius Pontius *libr.* 12. *cap.* 10. *num.* 9. & alii plures, quos allegant, & sequuntur Salmanticenses. *d. cap.* 2. *num.* 18. & iisdem adhæret etiam Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 303. ubi respondet ad *text. in cap. Com-* 15
missum. De Sponsalib. dicens, quòd ibi Pontifex non obligat eum, qui Sponsalia jurata inivit, ut priùs contrahat, quàm Religionem ingrediatur; sed solùm consulit tanquam tutius, ut priùs contrahat. Ergo tutum est, ut non contrahat. Ad aliam rationem de debitis priùs solvendis ante ingressum Religionis, respondet, in eis non inesse tacitam conditionem, nisi promittens elegerit Religionem, prout inest in Sponsalibus.

Quæstio Tertia est: *Quid Juris, si post jurata Sponsalia, copula carnalis secuta fuisset, possetne Sponsus non contrahere, & ingredi Religionem?* In hoc casu omnes DD. conveniunt dicentes, 16
quòd sivè Sponsa defiorata à Sponso fuerit Virgo, sive honesta Vidua Matrona, non potest Sponsus ingredi Religionem, nisi Matrimonium cum ea contrahat, ita ea inflante; & hoc ad consulendum ejus famæ, & honori; ac multò magis, si nata esset proles, ad eam legitimandam. Lessius *de Just. & Jure libr.* 2. *cap.* 10. *dub.* 4. *num.* 35. Bonacina *disp.* 1. *punct.* 5. *num.* 4. Aversa *d. q.* 8. *sect.* 12. Salmanticenses *d. cap.* 2. *num.* 16. & Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 303. *in fine.* Ipse tamen Eminentiss. Cardin. de Lauræa excipit, *dicta disp.* 37. *num.* 366. dicens, quòd si abesset scandalum, & mulier defiorata contentaretur receptione dotis, posset sponsus, non obstante copula, ingredi Religionem absque obligatione contrahendi Matrimonium.

Tertia causa dissolvendi Sponsalia etiam jurata est Susceptio Ordinis Sacri (non autem minorum) ratione voti solemnis castitatis, quod est incompossibile cum Matrimonio, & quia est status magis 17
perfectus. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 37. *art.* 11. §. 4. *per totum.* Et Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 304. At quærunt DD. an Sponsus sic ordinatus in Sacris irrequisita, vel reluctante Sponsa, peccet mortaliter? Affirmant Sanchez *d. libr.* 1. *disp.* 47. *num.* 3. Palaus *punct.* 19. & Rebellus *d. libr.* 4. *q.* 8. *sect.* 5. Negant Sotus *in* 4.

dist. 27. q. 1. art. 5. Basilius *d. libr. 12. cap. 11. num. 3.* & alii congesti, ac approbati à Salmanticensibus *d. cap. 2. num. 26.* ob illam rationem, quòd in Sponsalibus inest conditio, *Nisi ad meliorem statum transiero.*

Quarta causa pro Sponsalibus dissolvendis
18 non solùm est ingressus in Religionem, & susceptio Ordinis Sacri, sed etiam Votum de eodem ingressu, seu de suscipiendo Ordine sacro emissum post inita Sponsalia, etiam jurata. Ita Salmanticenses *d. cap. 2. num. 29.* Mastrius *d. disp. 7. num. 304.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 37. num. 381.* ea ratione quia semper inest in Sponsalium promissione illa conditio, *si non elegero statum perfectiorem.* At cælibatus est perfectior, quàm Matrimonium, juxta Concilium Tridentium *Sess. 24. can. 10* in quo habetur: *si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel cœlibatus; aut non esse melius, ac beatius manere in Virginitate, aut cœlibatu, quàm jungi Matrimonio. Anathema sit.* Et hæc procedunt de Voto emisso post contracta Sponsalia, quia si ante eorum contractum quis vovisset, Ordinem Sacrum sumere, vel ingredi Religionem, Sponsalia postea contracta essent ipso jure nulla, ut bene notant Salmanticenses *d. cap. 2. num. 30*

Quinta causa dissolvens Sponsalia est ipsum
19 votum simplex castitatis, post eorum contractum ab uno ex Sponsis emissum, & hanc causam omnes DD. admittunt ad favorem Sponsi, qui relinquitur, & excluditur à Matrimonio per alterum Sponsum voventem. At circa hunc qui ita vovet, duplex est sententia: Una asserit, voventem non liberari ab obligatione Sponsalium, quia illicitè, & invalidè promittitur Deo, quod erat debitum, & promissum homini; & ideò contra sic voventem in *cap. Venient. Qui clerici, vel voventes &c.* Papa præcipit, imponendam esse pœnitentiam. Et pro hac opinione stant Sanchez *d. libr. 1. disp. 46. num. 9.* Lessius *de Just. libr. 2. cap. 41. num. 54.* Layman *libr. 5. tract. 10. p. 1. cap. 2. num. 3* & alii citati à Salmanticensibus *d. cap. 2. num. 32.* Altera sententia est, quòd tale votum simplex castitatis sit licitum, & validum; dissolvatque Sponsalia etiam jurata ipso facto; ea reiterata ratione, quia in promittendis Sponsalibus inest illa conditio, *Nisi elegero meliorem statum*, qualis est cælibatus ex Tridentino Concilio supra allegato. Et equidem Sponsalium solutorum, ob castitatis votum post illa emissum, Exempla legunrur apud Torellum *in Sæculis Augustinian. Anno 413.*
20 §. 3. de Demetriade Nobile Virgine Romana, quæ desponsata à Parentibus ante diem Nuptiarum vovit castitatem, & Sponsalia elisit. Prout etiam Fridelburga Comitissa desponsata Sigisberto Regi Francorum, à Deo inspirata, emisso Voto castitatis, se ab ejus Nuptiis liberavit, ut narrat Emin. Card. Baronius *Anno 614. num. 6. 7. 8.* Igitur Votum simplex castitatis post contracta Sponsalia factum dissolvit præcedenia Sponsalia; & constat Votum ipsum esse validum ex eo, quòd si vovens Matrimonium contraheret, non posset petere debitum, ut omnes Scribentes docent.

Neque obstat *d. cap. Veniens*, quia tbi Votum factum fuerat in fraudem, ut sub prætextu illius vovens liberaretur à primis Sponsalibus, & posset nubere alteri. Ita Suarez *libr. 2. de Voto cap. 4. num. 13.* Vasquez *Opuscul. de Restit. cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 17.* Henriquez *de Matrim. cap. 14. num. 4.* Basilius *d. libr. 12. cap. 12. num. 4.* Mastrius *d. disp. 7. num 304.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 37. num. 379.* & concordant Salmanticenses *d. cap. 2. num. 33. & seqq.* alios DD. allegantes, atque *num. 35.* notabiliter advertentes, cavendum esse à anchezio *d. libr. 1. disp. 46. num. 8.* à Bonacina *q. 1. punct. 5. num. 13. de Matrim.* ac aliis docentibus, Sponsum, post emissum castitatis Votum, fornicantem peccare tantùm contra Votum, non contra Sponsalia; eundemque obtinentem dispensa-
21 tionem à Voto non teneri adimplere Sponsalia; siquidem totum contrarium est verius, ut demonstrat Rebellius *d. libr. 4. de Justitia q. 8. sect. 7. num. 49.* & Aversa *de Matrim. q. 8. sect. 12.* Et ratio est, quia prior obligatio Sponsalium extinguitur solùm in ordine ad servandam castitatem, & non penitùs extinguitur, sed determinatè, & quasi conditionatè quandiu in tali statu castitatis permanserit. Undè si ab illo recedat, peccat etiam contra Sponsalia, quorum obligatio non est extincta, nisi sub dicta conditione, & determinatione castè, & in cælibatu vivendi; quod Confessarii potissimùm notare debent, ob circumstantiam Sponsalium exprimendam à Sponso fornicante in confessione, ut diximus supra in *Decis. XVI. num. 17.*

Sexta causa ejusdem dissolutionis Sponsalium est subsequens Matrimonium per verba de præsenti contractum ab uno ex Sponsis cum alia persona; ut habetur in *cap. Sinter. De Sponsalib.* &
22 *in cap. de Sponsa duor.* Quæ quidem solutio Sponsalium intelligenda est circa Sponsum, vel Sponsam innocentem; nam circa illum, qui frangendo fidem Sponsalium contraheret cum alia, durat eorundum obligatio; adeò ut si illud Matrimonium ob aliquod impedimentum esset irritum, esset obligatus adimplere prima Sponsalia; nam *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum. l. Non præstat. De Reg. Jur. Regula 53. eod. tit. in 6.* Basilius Pontius *d. libr. 12. cap. 13.* Aversa *q. 8. sect. 13.* Salmanticenses *d. cap. 2. num. 26.* Mastrius *d. disp. 7. num. 309.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 37. art. 11. §. 7. à num. 404. & seqq.* qui omnes notant, prædictum Sponsum cum alia persona Matrimonium contrahentem mortaliter peccare.

Dubitant verò DD. *An iste sic contrahens remaneat obligatus ad priora Sponsalia etiam post solutum hoc Matrimonium, vel per dispensationem Papæ, siratum tantummodò fuerit; vel si consummatum post mortem conjugis?* Et non esse amplius
23 obligatum asserunt Sanchez *libr. 1. disp. 48. num. 3,* Bonacina *q. 1. punct. 7. num. 1.* Layman. *libr. 5. tract. 10. part. 1. cap. 1.* & alii apud Salmanticenses *d. cap. 2. num. 38.* Eorum ratio est, quia obligatio semel extincta, non revivisci. *cap. Quæris. De Consecr. dist. 4.* At esse obligatum docent Aversa *d. q. 8. sect. 13.* Pontius *d. libr. 12. cap. 13. num. 4.* Vega, Ledesma, Palaus, Gonet, & alii, quos nominant, & sequuntur Salmanticenses *d. cap. 2. num. 39.* Mastrius *d. disp. 7. num. 310.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 37. num. 413.* Ea ratione, quia per prædictum subsequens Matrimonium priora Sponsalia non fuerunt extincta, sed tantùm suspensa; ideò cessante

Matrimo-

Matrimonio reviviscunt, & si pars innocens insistet pro adimplemento, tenetur iste, qui cum alia contraxerat, illa adimplere; exemplo illius, qui Voto castitatis adstrictus nubit, nam mortua Uxore tenetur Votum adimplere, ac servare; ut latiùs his, & aliis comprobant Salmanticenses, Mastrius, Emin. Cardin. de Lauræa, & alii DD. locis supracitatis.

Septima causa solutionis prædictæ priorum Sponsalium est, *si contrahantur ab aliquo ex Sponsis secunda Sponsalia cum altera persona*; tunc enim pars relicta remanet libera, (si ita 24 velit) nec amplius tenetur ad priora Sponsalia: at pars contrahens secunda remanet obligata ad prima; quia à secundis Sponsalibus non dirimuntur prima, sed à primis dirimuntur secunda, quæ propterea censentur illicitè, & invalidè contracta; & ideò non destruunt primam obligationem, sed ab ea destruuntur. Salmanticenses, qui dicunt, hoc certum esse apud omnes *d. tract. 9. cap. 2. num. 37.* Basilius Pontius *d. libr. 12. cap. 14. num. 1. & 2.* ubi id verum esse affirmat, etiamsi secunda Sponsalia essent jurata. Aversa *d. quæst. 8. sect. 13. Vers. Quintò* Mastrius *d. disp. 7. n. 312.* atque Emin. Card. de Lauræa *ead. disp. 37. à n. 389. & seqq.* ubi allegat *text. in cap. Sicut. & in cap. Si inter. De Sponsalibus.* & alias rationes id probantes adducit.

Sed ecce famosum dubium, & quod frequenter occurrit in praxi. *Quid dicendum si contrahens secunda Sponsalia cum Virgine, vel alia* 25 *honesta fœmina nihil sciente de primis, cum eadem copulam carnalem habeat?* Dicitur ignara de primis Sponsalibus, quia si de illis habuisset notitiam, & adhuc voluerit carnaliter cognosci; nihil prætendere potest, & absque dubio priora Sponsalia sunt adimplenda. Salmanticenses *d. cap. 2. num. 42.* Sed quid si sit ignara? De Jure antiquo, & ante Concilium Tridentinum in tali casu copula carnalis transibat in Matrimonium de præsenti, & dissolvebat priora Sponsalia *cap. Is, qui fidem. De Sponsalib. cap. Veniens. eod. tit.* Sed de Jure novo, cùm Matrimonia clandestina, ac præsumpta sint abolita, & per Concilium Tridentinum ad Matrimonii validitatem requiratur præsentia Parochi, & testium, remanet dubium supradictum. *An per secunda Sponsalia cum copula dirimantur prima?* Circa quod duæ sunt opiniones. Una negat, asserens per hanc copulam nihil esse derogatum obligationi priorum Sponsalium; & Sponsum, non obstante carnali copula habita cum secunda, teneri ducere primam; nam non potuit derogari primæ obligationi; & licèt secunda patiatur damnum in fama ob copulam, resarcienda est per dotem, aut alio oportuno remedio. Ita Sanchez *d. libr. 1. disp. 49. num. 5.* Hurtadus *disp. 2. diff. 8.* atque Aversa *d. quæst. 8. sect. 13. Vers. Sextò*, ubi plurimos citat sic sentientes. Altera affirmat, priora Sponsalia solvi ad effectum, ut Sponsus possit cum secunda carnaliter cognita Matrimonium contrahere: 1. Quia secunda venditio ejusdem rei facta cum traditione prævalet primæ. *l. Quoties 15. C. de rei vindicat.* Sed per copulam traditum est corpus in secundis Sponsalibus. 2. Quia habens Votum ingrediendi Religionem, si Virginem defloraverit, tenetur eam ducere, non autem adimplere Votum. 3. Quia Jus fortius, quale est fœminæ carnaliter cognitæ, destruit jus minus forte, quod habet prima Sponsa adhuc intacta; ideòque sic sententiandum in utroque foro ob has, & alias rationes, quas allegant, constanter tenent Basilius Pontius *d. libr. 12. cap. 14. num 4.* Rebellus *d. libr. 4. q. 8. sect. 4. num. 50.* Leander, Coninch. Palaus, & alii, quos congerunt, & quibus adhærent Salmanticenses *d. cap. 2. n. 44.* & Mastrius *ead. disp. 7. num. 312.* ex quorum DD. sententia deducitur, hæc secunda Sponsalia cum copula producere etiam impedimentum publicæ honestatis, ut notant iidem Salmanticenses *ibid. num. 46.* addentes, quòd si hæc secunda Sponsalia solverentur vel per mortem mulieris carnaliter cognitæ, vel per ejus consensum, habita dote, Sponsus remaneret obligatus adimplere prima Sponsalia, si prior Sponsa exigeret adimplementum.

Aliud dubium excitant DD. circa secunda Sponsalia contracta subsistentibus primis; videlicet *Casu quo prima Sponsalia dissolvantur vel ex* 26 *mutuo consensu, vel per mortem prioris Sponsæ, An teneatur Sponsus ea adimplere cum secunda Sponsa, etsi intacta, nec carnaliter cognita?* Affirmat Covaruvias *in 4. Decretal. part. 1. cap. 4. §. 1. num. 10.* & Rebellius *d. libr. 4. q. 8. sect. 8.* quia, ajunt, promissio, & juramentum de re aliàs illicita obligat, quando fit licita; & quod non valet eo modo, quo fit; saltem, valet, quantum valere potest, ut patet in conjugato, qui si profiteatur in Religione, non valet ejus professio in præjudicium Uxoris; valet tamen in ratione Voti simplicis castitatis. *cap. Quidam. De Convers. Conjug.* Et similiter quamvis dicta secunda Sponsalia non valeant in ratione Sponsalium, valere debent in ratione simplicis promissionis. Negant tamen prædictum Sponsum esse obligatum secunda Sponsalia adimplere, contracta subsistentibus primis, etiamsi prima extinguantur. Sanchez *d. libr. 1. disp. 50. num. 6.* Basilius Pontius *d. libr. 12. cap. 14. num. 2.* Aversa *d. q. 8. sect. 13.* & Salmanticenses *d. cap. 2. num. 48.* quia quod ab initio fuit invalidum, tractu temporis non convaluit. *cap. Non firmatur. de Regul. Jur. in 6.* Sed dicta posteriora Sponsalia, etsi jurata, fuerunt invalida à principio; Ergo non consurgit obligatio eorum, etsi priora dissolvantur. Confirmant id exemplo illius, qui habens Votum castitatis iniret Sponsalia, nam etiam obtenta relaxatione Voti non tenetur ad illa, quia ab initio fuerunt invalida. Item si conjugatus profiteatur inscia Uxore; neque ea mortua obligatus est stare in Religione; quia professio ejus non fuit valida. Ad contraria respondent, primum nihil concludere, quia promissio, quæ fuit nulla ab initio, est semper nulla; ille autem, qui vovet castitatem in conjugio, tenetur eam servare non petendo debitum, quia sic proposuit, & se obligavit, cùm non præjudicet Uxori, cui petenti debitum reddere potest & debet.

Reassumendo itaque hanc septimam causam, ex ea colligimus, priora Sponsalia non destrui à posterioribus etiam juraris, nisi secunda Sponsa fuerit carnaliter cognita: Sed è contra à prioribus posteriora tolli, & elidi. Hujus rei legimus Exemplum apud Surium *die 20. Julii*

27 *Julii* in Vita S. Walmari Nobilis Civitatis Bononiæ Gallicanæ, qui bona fide contraxit Sponsalia de futuro cum Istoralda nobili pariter, ac pulcherrima Virgine ejusdem Civitatis; cumque dispositio fieret ad celebrandas Nuptias; surrexit alius Civis asserens, se ante Valmarum cum eadem Virgine Sponsalia contraxisse. Re ad Supremum Principem delata, & præcepto facto ne ad arma venirent, jussit, ut à Judice, servatis servandis, controversia dirimeretur. Factis probationibus, sententiatum fuit contra Valmarum, & ad favorem competitoris. Valmarus admiratus rerum mundanarum instabilitatem, & à Deo motus ingressus est Monasterium, atque Religiosam vitam professus adeò virtuosè vixit, ut post mortem inter Sanctos meruerit connumerari. Narrat hunc eventum etiam Hieronymus à Basilica Petri in *suis Metamorphos. part. 1. in Convers.* 3.

Octava causa dissolvendi Sponsalia est nimia mora alterius ex Sponsis in celebrandis Nuptiis. Pro cujus causæ intelligentia tres ca-
28 sus sunt distenguendi. Unus est, si tempus fuit expressum in Sponsalibus, intra quod sit celebrandum Matrimonium, puta intra annum, vel biennium, aut aliud tempus; quo transacto, & non celebrato, cesset obligatio; & in hoc casu certum est, transacto illo tempore, soluta esse Sponsalia, & nullus ex Sponsis, qui recuset, potest amplius obligari ad ea adimplenda; etsi qui fuit in mora asserat, se fuisse legitimè impeditum. Layman. *lib. 5. tract. 10. prima part. cap. 2. num.* 17. Palaus, & alii apud Salmanticenses, quibus ipsi quoque adhærent, *d. tract. 9. cap. 2. num.* 57. & consentit Mastrius *d. disp. 7. num.* 318. quia obligatio fuit restricta ad illud tempus, quo transacto expirat ex conventione partium; etsi contrarium teneant Sanchez *lib. 1. disp.* 53. *num.* 7. & Basilius *libr. 12. cap. 16. num.* 4. Secundus casus est, quando prædictum tempus fuit injunctum non ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam executionem, & tunc lapsu temporis Sponsalia non dissolvuntur. Sanchez *d. lib. 1. disp.* 53. *num.* 5. Salmanticenses alios allegantes *d. cap. 2. num.* 54. Tertius casus est, quando in contrahendis Sponsalibus nullum tempus fuit injunctum pro celebratione Matrimonii; & hoc casu per quemvis lapsum temporis non dissolvuntur; & quando una pars sit in mora, recurrendum est ad Judicem, qui ei tempus præfigat ad Matrimonium ineundum; aliter, eo transacto, altera pars, si velit, possit alii nubere; si autem insistat pro executione Sponsalium, qui est in mora compellatur opportunis Juris remediis ad ea adimplenda; ut latiùs differunt, ac demonstrant Bonacina *q. 1. punct. 6. n. 7.* Rebellius *lib. 4. q. 8. sect. 3.* Perez *disp. 9. sect. 9. num. 1.* ipsimet Salmanticenses *d. cap. 2. num.* 52. & 53. & Mastrius *d. disp. 7. num.* 319.

Nona causa dissolvendi Sponsalia est, quando Sponsus transfert suum domicilium in aliam civitatem. *cap. De illis. 5. De Sponsalib.* ubi sic Papa respondit: *Qui præstito juramento pro-*
29 *mittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea dimittunt terram, se ad alias partes transferentes; liberum erit mulieribus ad alia se vota transferre.* Ratio est, quia Sponsa non tenetur illum sequi, & Sponsus per hanc translationem domicilii censetur renunciasse obligationi Sponsalium. Salmanticenses *d. cap. 2. num.* 59. & ibi Layman, Coninch, & alii; Basilius Pontius *d. cap. 12. cap. 15. num. 2.* & concordat Mastrius *d. disp. 7. num.* 320.

Decima causa est nimis longa absentia Sponsi à Civitate; circa quam sciendum, quòd de Jure Civili Sponsa tenetur expectare Sponsum per biennium, si absit intra Provinciam. *l. 2. C. de Sponsalib.* & per triennium, si absit extra Provinciam. *l. 2. C. de Repudiis*, imò donec justa 30 causa absentiæ cesset. *l. Sæpè ff. de Sponsalib.* nihilominùs jus Civile correctum est à Jure Canonico; itaut ab arbitrium Judicis intimandum sit absenti, ut intra legitimum terminum revertatur, ultra quem Sponsa eum non sit obligata expectare; & si velit, possit alteri nubere. Bonacina *q. 1. punct. 6. num.* 8. Sanchez *libr. 1. disp.* 54. *num.* 6. Palaus, Aversa, Gonet, & alii apud Salmanticenses *d. cap. 2. num.* 61. & 62. atque Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. num.* 321. nec non Basilius Pontius *d. libr. 22. cap. 15. num.* 4. & Rebellius *d. libr. 4. q. 8. sect. 3.*

Undecima causa est, si Sponso, vel Sponsæ superveniat gravis, vel habitualis infirmitas, per istam enim solvuntur Sponsalia, etsi jurata. *cap. Quemadmodum 25. de Jurejuran.* & ratio est, 31 ne tale Matrimonium perpetuam displicentiam generet, & malum exitum habeat. S. Thomas *in supplem. 3. part. quæst. 43. art. 3. ad 3.* Sanchez *d. libr. 1. disp. 57. n. 1.* Pontius *d. lib. 12. cap. 17.* Aversa *quæst. 8. sect. 14.* Salmanticenses *d. cap. 2. num.* 66. Mastrius *d. disp. 7. n.* 324. & latè Zacchias *in Q. Q. Medicoleg. libr. 9. tit. 10. quæst. 5.* qui inter alias infirmitates nominant paralysim, malè olentiam oris, & oculi, vel nasi amissionem, morbum Gallicum in Sponso, atque lepram in Sponsa; & jure quidem; illum enim esse contagiosum plerumque diximus supra *in Decis. XV. n.* 45. & præbere causam sufficientem Papæ dissolvendi etiam Matrimonium ratum. De Lepræ autem morbo idem Zacchias *in lib. 7. tit. 3. qu. 5. n. 1.* ita scribit: *Ex Lepra promptissimè* 32 *infici potest sanus conjux à Leproso; unde non modo summum imminet sanitatis detrimentum, sed etiam manifestum vitæ periculum, quia Lepra cancer universalis est ipsum corpus depascens, ultra indicibile, quod secum affert, tædium, & inenarrabilem molestiam, quà homines affligit, & abominabilem turpitudinem cæteris hominibus odiosam.* Ideò ex Lepræ supervenientia dirimi Sponsalia ostendit idem Zacchias *lib. 3. tit. 3. q. 1. n.* 15. alios Medicos, & Canonistas sic docentes allegans. Tempore Clotarii Francorum Regis, qui regnare cæpit *Anno Christi* 527. fuit inter aulicos Principes quidam *Lucinus*, seu *Licinius*, ejusdem Regis consanguineus, cui genitor ejus de consensu Clotarii in Sponsam obtulit Virginem quandam natalibus, pulchritudine, ac virtutibus eximiam, & cum ea iniit Sponsalia de futuro. Cùm autem appropinquasset dies celebrandi Matrimonii, comperfum est, Sponsam ipsam Lepræ morbo esse 33 affectam; quo ex morbo soluta sunt Sponsalia, adeòque hujus mundi miseriis pertæsus Lucinius fuit, ut tonso capite clericalem vestem induerit, & tantum in amorem Christi, ac animarum salutem exarserit, ut totum se in

conver-

convertendis infidelibus ad Christianam Religionem applicuerit, ac prout vixerat, sanctissimè obierit, ut latiùs scribit Bollandus *in Vitis Sanctor. die* 14. *Februarii*; & ex eo Hieronymus à Basilica Petri *in Metamarphos. Sacris part.* 1. *Converſ.* 5.

Duodecima causa ad dissolvenda Sponsalia à DD. reputatur deformitas superveniens in Sponsa, quæ antea pulchra esset, ut si amitte-
34 ret oculum, vel nasum, aut præcedentem pulchritudinem, præcipuè ex Variolarum infirmitate. Variolæ sunt pustulæ, vel papulæ majores, minoresvè, ab initio sub forma macularum rubentium in toto corpore, aut plurimis ejus partibus erumpentes, cum febre acuta Epide-
35 mica, in augmento sese elevantes, & sub statu materiam viscidam quodammodo puri similem continentes, interdum & aqueam; tandem in declinatione degenerantes in crustam; ut legitur in *Lexico Medico Verb. Variolæ*; quæ quidem crusta cùm exsiccatur, ita faciem obsignat, deturpat, ac offendit, ut penitus omnis venustas, & pulchritudo auferatur, ex ejusdem malignitate morbi, quem pestilentem, & contagiosum ex antiquorum Medicorum testimonio, quos citat, & sequitur, demonstrat Zacchias in *d. QQ. Medico-legal. lib.* 3. *tit.* 3. *quæst.* 5. *num.*
36 5. & *lib.* 10. *consil.* 32. ubi refert miraculum B. Felicis Capuccini, dum oleo ejus Lampadis puer Variolis oppressus, ac morti proximus, inunctus in instanti sanus evasit; quamvis oleum morbillis, ac variolis sit adversum, undè cavetur à Medicis, ne corpora hujusmodi oleo tangantur, quia (ut subdit ibidem Zacchias) *adauget oleum inflammationem, & putredinem.* Igitur si ex variolis, aliovè consimili morbo deformetur facies Sponsæ, licitum erit Sponso à sponsalibus recedere; quæ intelliguntur facta, rebus in eodem statu permanentibus, & nulla notabili mutatione de novo adveniente. Sanchez *d. lib.* 1. *disp.* 57. *n.* 4. Basilius Pontius *d. libr.* 12. *cap.* 17. *num.* 5. Aversa *d. quæst.* 8. *sect.* 14. Salmanticenses *eod. cap.* 2. *num.* 67. & alii apud Dianam Coordinatum *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 17. desumpta ex inordinato *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 284.

Aliud Exemplum legitur apud Surium *die* 9. *Februarii* in Vita S. Ansberti Episcopi Rothomagensis, qui adolescens Sponsalia contraxerat,
37 tempore ejusdem Regis Clotarii, cum Angadrisma puella nobili, ac pulcherrima, filia Rurberti eximii Comitis, qui ipsiusmet Clotarii annuli gerulus fuerat. Matrimonii adveniente tempore Sponsa infirmatur, & pustulis tota repletur, à quibus (ait Surius ibidem) *facies illius ita exulcerata apparuit, ut à consortiis hominum, quicunque eam vidisset, extemplo segregandam deceruerent.* Undè Ansbertus, sic instante Patre ejusdem Angadresinæ dissociabilem condidit libellum; & deindè Monasticam vitam amplexus ob ejus egregias virtutes, ac sanctitatis famam Episcopus Rothomagi fuit electus. Andragisina pariter inter sacras Virgines velari voluit; *quo facto* (subdit Auctor Vitæ) *pristinæ pulchritudini, & speciei eleganti extemplo est reddita, itaut cuncti dicerent, quia eam Christus sibi Sponsam elegisset perennem.*

Tandem dissolvuntur Sponsalia propter delictum hæresis, si in illud Sponsus, vel Sponsa incidant; similiter ob quodcunque grave aliud
38 delictum, ex quo infamia generetur; propter jacturam bonorum, & paupertatis superveniens; ob graves inimicitias exortas inter eosdem Sponsos, vel ipsorum consanguineos; ob sævitiam, seu morum asperitatem, in iisdem Sponsis detectam. Si ipsi Sponsi fornicentur cum alia persona; quamvis Sponsa vi ab alio fuisset violata; de qua causa, & ejus probatione videnda est Rota *part.* 10. *rec. Decis.* 19. Item si superveniat in Sponsis aliquod impedimentum, vel dirimens, vel impediens tantummodò Matrimonium inter illos; (quamvis impedientia tantùm, Voto castitatis excepto, non dissolvere Sponsalia plures DD. dicant apud Salmanticenses *d. cap.* 2. *num.* 69.) Ac denique si ob aliquam novitatem malus exitus Matrimonii timeatur, aliævè causæ insurgant, quæ satis essent, conjuges separare quo ad thorum; nam propter earum quamcunque Sponsalia dissolvere, & ab eis resilire Sponsi possunt; etsi cum juramento inita fuissent, ut latè demonstrant DD. omnes supracitati, ac præcipuè Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 324. & 325. & Eminen. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 37. §. 8. *per totum*; in quo Canones, rationes, & auctoritates pro prædictarum omnium causarum validitate in dissolvendis Sponsalibus abundanter cumulat; prout etiam Salmanticenses *d. cap.* 2. *à n.* 70. & *seqq.* & Rota *part.* 14. *recent. Decis.* 185. *num.* 3. & *seqq.*

Pro complemento hujus Decisionis adhuc duo sunt Corollaria addenda, ac notanda. Primum est, quòd quando aliqua ex supradictis causis Sponsalia dissolventibus certa est, ac indubitata, uterque Sponsus potest in utroque foro à Sponsalibus resilire: at si dubia causa sit,
39 aut non ita certa, debet Judicem adire, & sententiam super dissolutione Sponsalium postulare. Basilius Pontius d. *libr.* 12. *cap.* 18. *n.* 8. Aversa *quæst.* 8. *sect.* 16. Sanchez *libr.* 1. *disp.* 69. *num.* 7. & 8. & alii apud Salmanticenses, *d. cap.* 2. *num.* 100. & *seqq.* ubi *n.* 104. advertunt in tali casu Judicem debere esse Ecclesiasticum, & quòd pro foro conscientiæ sufficit
40 unus testis, omni tamen exceptione major, qui testificetur super veritate causæ, per quam Sponsus vult dissolvere Sponsalia; at in foro fori necessarii sunt saltem duo testes; & jure quidem, nam in controversiis circa Sponsalia requiruntur plenæ, ac concludentes probationes, & quòd testes sint bonæ famæ, & conditionis. Rota *part.* 1. *recent. Decis.* 207. & *part.* 14. *Decis.* 242. *num.* 3.

Secundum Corollarium notandum est, quòd si contrahentes Sponsalia affecti sint aliquo impedimento dirimente, seu impediente tantùm Matrimonium inter illos, itaut opus sit impetrare dispensationem; ea obtenta opus est novo
41 consensu pro validitate Sponsalium; quia ab initio erant nulla; & nulla remanent, etsi habita sit dispensatio, nisi per novum consensum à Sponsis ipsis revalidentur. Rota *part.* 5. *recent. Decis.* 107. nec non *part* 12. *Decis.* 217. *n.* 22. ubi Barbosa DD. cumulans *in cap. Non debet. De Consanguinit. & Affinit.* atque Ludovisius *Decis.* 410. Notet has auctoritates Studiosus Lector, ne fallatur à DD. contrarium docentibus, inter quos Sanchez *lib.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 3. *n.* 12.

Basilius Pontius *lib. 3. cap. 15. num. 5.* Comitolus *in Resp. Moral. libr. 1. quæst. 145.* Rebellius *part. 2. libr. 2. quæst. 10. sect. 6. num. 46.* & alii, quos nominat, sed confutat Diana *part. 3. tract. 4. resol. 289. & part. 11. tract. 2. resol. 70.* quæ nunc existunt in Dianæ Coordinati *tom. 2. tract. 6. resol. 19. & resol. 25.* in qua §. 5. ci-
42 tat plures alias Decisiones Rotales; & meritò quidem, nam propter eminentiam Auditorum Rotæ, eorum opinio prævalere debet dictis cujuscunque privati Doctoris. Menochius *cons. 1196. num. 2.* adeò ut (juxta Lotterium *De Re Benefic. libr. 1. quæst. 1. num. 80.*) *Vix posset excusari à maxima arrogantia Judex, qui in judicando deflecteret ab opinione tantorum Patrum, suæ prudentiæ innixus.*

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Præmissa Impedimentorum Matrimonialium Definitione, Etymologia, ac Divisione in impedientibus tantùm; & in dirimentibus; & quòd impedientia statui possunt etiam à singulis Episcopis, & à Principibus Laicis; circa dirimentia ostenditur, eorum inductionem provenire tantùm vel à Summo Pontifice, vel à Conciliis Generalibus, vel à Legitima consuetudine; non etiam ab Episcopis, neque à Laica Potestate. Refertur Historia nullitatis Matrimonii Ducis Aureliæ, vulgò *d' Orleans*, Fratris Ludovici XIII. Regis Galliæ de Anno 1634. tanquam contracti sine consensu ipsius Regis: & circa eandem, ac circa Matrimonia filiorum familias plura notatu digna ponuntur ex Caramuelis, ac Tonduti relationibus. Tandem, An consuetudo possit abrogare impedimenta? Et an his detentus peccet contrahendo.

SUMMARIUM.

1 *Parochis, ac Confessariis necessaria est scientia Impedimentorum Matrimonialium.*
2 *Impedimentum Matrimonii quid sit?*
3 *Impedimenti Etymologia.*
4 *Impedimenta Matrimonii à quo Jure procedant?*
5 *Impedimenta à Jure naturali provenientia quæ sint?*
6 *Impedimenta à Jure Ecclesiastico emanantia, quæ?*
7 *Impedimentorum Matrimonii divisio.*
8 *Scotus Doctor subtilis quo anno vivebat?*
9 *Impedimenta Matrimonii tempore Scoti, & ejus carmina.*
10 *Impedimenta eadem hujus temporis, & eorum Versus.*
11 *Impedimenta impedientia tantùm olim duodecim, & quæ?*
12 *Nunc quatuordecim, & quæ?*
13 *Episcopi possunt Impedimenta impedientia statuere.*
14 *Principes quoque sæculares*
15 *Decretum Senatus Veneti contra contrahentes Matrimonia absque debitis solemnitatibus; & Proclama Rectorum Paduæ.*
16 *Impedimenta dirimentia an fieri possint?*
17 *An per ea mutetur Materia, Forma, ac Ministri Matrimonii?*
18 *Concilia Generalia, ac Summus Pontifex constituunt Impedimenta dirimentia.*
19 *Pontifex an sine justa causa possit statuere Impedimentum dirimens? Vel aliquem facere inhabilem ad Matrimonium?*
20 *Consuetudine an Impedimenta dirimentia possint introduci?*
21 *Consuetudo inducens Impedimentum dirimens an à Papa approbata esse debeat?*
22 *Episcopi in eorum Diœcesi nova Impedimenta dirimentia statuere non possunt.*
23 *Episcopi tantam Jurisdictionem habent, quantam eis Papa concedit.*
24 *S. Congr. Cardinalium Declarationes, quòd sint valida Matrimonia contracta coram Parocho invito.*
25 *Principes Laici an possint statuere impedimenta dirimentia Matrimonium?*
26 *Caramuelis relatio de potestate Principum Laicorum circa Impedimenta dirimentia Matrimonium.*
27 *Caroli Calvi Regis Franciæ Filia nulliter nupsit sine consensu Patris.*
28 *Ducis Aureliæ Fratris Regis Galliæ Matrimonium nullum. Et cur?*
29 *Baptaglini Episcopi Mucerini narratio ejusdem Matrimonii.*
30 *Parlamenti Parisiensis Sententia super nullitate d. Matrimonii Anno 1634.*
31 *Clerus Gallicanus confirmat nullitatem d. Matrimonii Anno 1635.*
32 *Toudnti relatio de nullitate Matrimoniorum in Gallia, contra Regias ordinationes initorum.*
33 *Melda, vulgò* Meaux *civitas in Gallia.*
34 *Filii familias in Gallia nulliter nubunt, parentibus invitis.*
36 *Consuetudine dirimuntur Matrimonia in Gallia, inita sine consensu Regis, & Parentum.*
36 *Nullitas Matrimonii Fratris Ludovici XIII. Regis Galliæ Anno 1634 justificatur.*
37 *Clotarii Regis Galliæ tempore erat consuetudo requirendi consensum Regis pro Matrimoniis consanguineorum ejus.*

38. *Consue-*

38 *Consuetudo prædicta rationabilis demonstratur.*

39 *Consuetudo an possit abrogare Impedimenta dirimentia.*

40 *Impedimento detentus, & contrahens an peccet? & an valide contrahat, si credat habere impedimentum dirimens, quod non habet?*

IN præcendentibus actum est de quidditate Matrimonii, atque Sponsalium; nunc differendum venit de impedimentis; in quorum intelligentia, scientia, & cognitione versati esse debent Parochi, atqui Confessarii pro bona directione animarum, non solùm in contrahendis Matrimoniis de futuro; sed etiam in Confessionibus Sacramentalibus pro Matrimoniis præteritis, in quibus non ratò irrepserunt impedimenta etiam dirimentia; & opus est remedio, quod suggerere Confessarii non valent, si ipsi omnia impedimenta rectè non noverint; ideò in meo oneroso Ministerio, (quod per annos quadraginta continuos exercui) sub regimine hujus Episcopatus Patavini nunquam satis laudatorum Antistitum, ac verè Ecclesiasticorum Principum, & vigilum Pastorum GEORGII CORNELII, & GREGORII CARDINALIS BARBADICI examinandi, & approbandi Confessarios; eos præcipuè circa impedimenta Matrimonii interrogabam, & instructos esse volebam; aliter iisdem mandatum audiendi Confessiones constanter denegabam. Igitur antequam ad explicationem singulorum impedimentorum accedamus, de ipsis tria generatim sunt videnda.

Primò: Quid sit Impedimentum Matrimonii?

Secundò: Quot sint Impedimenta; & quomodò dividantur?

Tertiò: Quibus competat potestas statuendi Matrimonialia impedimenta?

Quo ad primum: Gobatus *in Theolog. Experim. tract. 9. num. 6.* ait, quòd *Impedimentum Matrimonii est conditio, seu circumstantia, cum qua non licet inire Matrimonium.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 4. Sent. tom. 3. disp. 18. num. 1.* dicit quòd nomine impedimenti, respectu Matrimonii, aliud non est intelligendum, nisi *res, actio, formalitas, relatio, vel quid simile, quod facit, ut Matrimonium sit vel illicitum, & irritum; vel tantùm illicitum.* Thomas Tamburinus *de Matrimon. lib. 8. cap. 1. num. 1.* scribit, *Impedimentum esse id, quod obstat, ne Matrimonium aut valide, aut licitè contrahatur.* Ex his deduci potest sequens definitio, videlicet: *Impedimentum Matrimonii est inhabilitas, illud contrahere volentium, provenieus vel à naturali, vel ab Ecclesiastico Jure; per quam, si de facto contrahant, aliquando illicitè tantùm; aliquando illicitè, & invalide simul contrahunt.* Dicitur *inhabilitas* tanquam genus; & denotat incapacitatem, impotentiam, & defectum facultatis progrediendi ad actum celebrandi contractum Matrimonialem in illis, qui aliquo impedimento juridico detinentur: impedimentum enim ita nominatur quasi pedum tenimentum; seu obstaculum, ne quis progredi, seu transmeare possit, prout vult. Hinc in exercitibus sarcinæ, aliaque involucra vulgò *bagaglio*, appellantur impedimenta, quia obstant concitato cursui, ac velocitati militum juxta id, quod de iisdem militibus ponit Julius Cæsar *lib. 1. Bell. Gall.* ibi: *Ad impedimenta, & carros suos se contulerunt.* Impedimenta autem Matrimonii non sunt quid physicum, quod detineat contrahentes, sed quid morale, seu legale, obstans, & resistens eorum desiderio, ac voluntati; ad exemplum irregularitatis, quæ in rebus sacris impedit vel suscipere Ordines, vel susceptos exercere; seu ad similitudinem Legum Civilium, quæ prohibent debitoribus publicarum gravedinum accessum in Consilium Civitatis; vel non insignitis Lauræa Doctorali se professores gerere Legum, sivè Medicinæ. Dicitur in definitione, quòd prædicta *inhabilitas* provenit *vel à Jure Naturali, vel à Jure Ecclesiastico*; quia utrumque Jus est principium, fons, & origo, undè ipsa impedimenta dimanant; siquidem cùm de Jure naturæ omnis contractus involuntarius, idest initus sine libera voluntate contrahentium, sit invalidus; ita ex hoc jure naturali procedunt impedimenta, quæ concernunt conjuges contrahentes absque libera voluntate; & talia sunt Error, Vis, Metusque cadens in constantem virum, aut ignorantia personæ, vel ejus conditionis, cum qua aliquis contrahit, putans aliam esse vel in substantia, vel in qualitate ab illa; dicit enim Aristoteles *2. Ethic. cap. 5. Involuntarium esse, quod vi, vel ignoratione accidit.* Item cùm jure naturali nulli sint omnes illi contractus, in quibus res, quæ traditur vel non est libera, vel non est apta ad illum contractum, sic ex eodem jure procedunt impedimenta ligaminis, & coire non valentis; nam corpora eorum, qui cum his impedimentis contrahunt, aut non sunt habilia, aut non sunt libera, ut mutuentur in Matrimonii contractu; ut plenè differit, ac doctè demonstrat Eminentiss Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 1.* per totum. Similiter ex Jure Ecclesiastico procedunt cætera impedimenta concernentia graduum propinquitatem in triplici cognatione, Naturali, Spirituali, ac Legali; item Affinitatis; prout etiam Voti solemnis castitatis, criminis, cultus disparitatis, raptus Sponsæ, atque clandestinitatis; hæc enim omnia statuta sunt ab Ecclesia ad bonum regimen animarum; & ut fideles cum debita honestate, ac decentia vivant; ad quem effectum inducta sunt etiam impedentia tantùm, de quibus singillatim in decursu harum Decisionum erit agendum. Tandem dicitur, per quam inhabilitatem, *qui contrahunt aliquando illicitè tantùm: aliquando illicitè, ac invalidè simul contrahunt*; ex quibus verbis sumitur sequens Impedimentorum omnium divisio. Idricò:

Quo ad secundum: Si quærimus quot sint ipsa impedimenta; & quomodo dividantur? Respondetur, unicam, sed famosam esse Impedimentorum Matrimonii divisionem; videlicet, quòd alia sunt impedientia, simulque Matrimonium dirimentia: alia verò, impedientia tantùm. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 6.* Basilius Pontius *eod. tract. lib. 6. in princ.* Gobatus *d. tract. 9. n. 6.* Mastrius *disp. 7. num. 327.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 18. art. 1. & 2.* noviſſimè doctiſſimi Salmanticenſes *tract. 9. de Matrim. c. 11, in princ.*

ita

ita scribentes: *Duo sunt genera impedimentorum, quæ Matrimonium prohibent contrahendum; alia sunt dirimentia, quæ non solum illicitum reddunt Matrimonium, sed etiam nullum; & ideò sunt contra illius substantiam: alia, quæ solum id illicitum reddunt, non tamen irritant, quia non sunt contra substantiam Matrimonii, sed contra illius debitam solemnitatem. Priora dicuntur dirimenda, posteriora impedientia.* Antiquitus impedimenta dirimentia erant tantummodò duodecim; undè Fr. Joannes Duns Scotus, subtilissimus Magister
8 nominatus, qui vivebat *Anno Christi* 1300. ea refert *in* 4. *Sent. dist.* 42. *sub. M.* collecta in his versibus, quos in tanti Auctoris, ac antiquitatis obsequium, etsi aliquantulum duros, non me tædet transcribere; videlicet:

Vis, fraus personæ, servi dationis, & amens,
Addita conditio, tria conjugii bona tollens,
9 *Frigidus, arcta, puer, truncatus, præstigiatus,*
Aterius conjux obstant mutuæ dationi.
Ordo Sacer, Votum, Duo cultus, Sponsio mœchi.
Carnalis, Legis, Cognatio Spiritualis
Hæc vi præcepti: sit huic affinis Honestas.

Excellentia horum versuum non stat in elegantia; sed in mystica significatione Juris, à quo impedimenta in eis expressa procedunt; siquidem, ut observat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 18. *num.* 20. quatuor primi Versus continent impedimenta, quæ repugnant naturæ contractus Matrimonii; & sic sunt illa, quæ emanant, & constituta sunt à Jure naturali; & illa verba in fine versus quarti, *obstant mutuæ dationi*, volunt dicere, quod omnia prædicta impedimenta obstant dationi mutuæ; per quam fit Matrimonium. Reliqui tres Versus amplectuntur impedimenta, quæ sunt de Jure Ecclesiastico & ab Ecclesia constituta. Deficiunt in iisdem duo alia impedimenta, Raptus scilicet Sponsæ; & clandestinitas per deficientiam Parochi, & duorum saltem testium; quia tempore Scoti non aderant; & fuerunt constituta in Concilio Tridentino, ut dicemus suo loco; undè si quis vellet prædicta carmina perficere, deberet hoc aliud addere:

Si Sponsam rapies, si clandestinus inibis.

Cæterùm hisce temporibus omnia impedimenta dirimenta, quæ sunt quatuordecim, communiùs, & faciliùs exprimuntur sequentibus versibus, quos ponunt Sanchez *de Matrim. libr.* 7. *disp.* 6. *num.* 3. Gobatus *d. tract.* 9. *num.* 13. Tamburinus *de Matrim. tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. & passim omnes; videlicet:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen,
Honestas.
10 *Si sis Affinis, Si fortè coire nequibis;*
Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis,
Raptavè sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Hos eosdem Versus, sed cum aliqua mutatione, ac diversitate Vocabulorum, etsi eadem impedimenta significantium, referunt Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *cap. ult.* & Gobatus *d. tract.* 9. *num.* 15. ibi à curiosis videndus.

Impedimenta autem impedientia tantùm de jure antiquo erant duodecim in his carminibus comprehensa.

Ecclesiæ vetitum, nec non Tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia jungito Votum,
Incestus, Raptus Sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, Mors Presbyte- 11
ralis.
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc Connubium Sociandum.

Referuntur à Tamburino *d. libr.* 8. *de Matrim. tract.* 1. *cap.* 16. *num.* 1. à Perez *eod. tract. disp.* 23. *sect.* 8. & præter alios Moralistas, ac Scholasticos à Gobato *d. tract.* 9. *num.* 7. & 8. & qui advertunt, eadem impedimenta, per contrariam consuetudinem esse abolita, quatuor exceptis, quæ adhuc vigent, & in hoc carmine restringuntur:

Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

sed nihilominùs, ne Studiosus Lector antedictos Versus videns, & eorum sensum non intelligens, remaneat in tali quali amara obscuritate; eos cursim hic declarare non me piget. Idcircò *Ecclesiæ Vetitum* significat impedimentum impediens, quod provenit à prohibitione, quam ex aliqua justa causa facit Episcopus, seu etiam Parochus alicui, ne audeat Matrimonium pro nunc inire; vel si ille sit excommunicatus. *cap.* 1. *De Matrim. contra Interdict. Eccles.* Tamburin. *d. cap.* 16. *num.* 3. & ibi Chartarius *Decis.* 23. Verbum *Tempus feriatum* innuit tempora tum Adventus, tum Quadragesimæ, in quibus non licet Matrimonia celebrare. Concil. Trid. *sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 10. Vox *Catechismus* impediebat Patrinum, qui tenebat puellam ad januam, non etiam ad fontem in baptismo, ne contraheret Matrimonium cum illa, aut cum consanguineis ejusdem. *cap.* 2. *de Cognat. spirit. in* 6. Nomen *Sponsalia* indicat eum, qui illa celebravit cum una, non posse nuptias inire cum alia, ut ostendimus supra *Decis. XVII. à num.* 22. *& seqq.* Dictio *Votum* denotat habentem Votum simplex castitatis, seu vitam cælibem agendi, cui censetur prohibitum Matrimonium; ut *in d. Decis. XVII. num.* 18. *&* 19. Vocabulum *incestus* ostendit illum, qui carnaliter cognoscebat aliquam consanguineam suam, nam & iste repellebatur à quocunque Matrimonio. *cap.* 1. *&* 2. nec non *cap. Transmissæ.* 4. *De eo, qui cognovit consanguin.* Verba *Raptus Sponsatæ*, & *Mors mulieris* illos comprehendunt, qui vel adduxerant Sponsam alienam, vel propriam Uxorem necaverant. *cap. Statutum.* 27. *quæst.* 2. *cap. Interfectores* 33. *quæst.* 2. Nomina *Susceptus propriæ sobolis*; atque *Mors Presbyteralis* signant tum illam, qui levabat de fonte filium suum in fraudem debiti erga Uxorem, tum interfectores iniquos alicujus

jus Sacerdotis, quibus omnibus postea novum contrahere connubium vetitum erat. *cap. De eo.* 30. *quæst.* 1. *cap.* 2. *De Pœnitent. & Remission.* Ultima verba *Vel si pœniteat Solemniter; aut Monialem accipiant*, repræsentant publicos Pœnitentes, prout eos, qui ausi essent ducere Monialem in Uxorem; hi enim omnes arcebantur à thoro conjugali, ut in pœnitentiæ lamentis se vehementer, dum vixerint, afficerent, ut ait *text. in cap. Hi ergo.* 27. *quæst.* 1. & *cap. Antiqua* 33. *quæst.* 2. & copiosè differit Morinus *in Commentar. Histor. De Sacramento Pœnitentiæ libr.* 5. *tit.* 22. in quo *à num.* 3. *& seqq.* cumulat plurimos Sacros Canones prohibentes contrahere Matrimonium his, qui aliquo enormi delicto erant affecti; subdens *ibid. num.* 17. hunc Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem durasse usque *ad Annum.* 1200. postea verò remissiùs actum esse, itaut in præsens serventur quatuor illa impedimenta tantùm, quæ jam explicuimus, nempè *Sacratum tempus*, *Vetitum*, *Sponsalia*, *Votum*; ut notant Moralistæ, ac Sum-
12 mistæ omnes, præter P. Georgium Gobatum, qui *d. tract.* 9. *Experiment. Theol. n.* 9. addit, Constantiæ *in Synodalibus Constitutionibus part.* 1. *tit.* 16. *n.* 41 aliud impedimentum impediens haberi, nempè *Hæresim Sponsæ*; subdit tamen, quòd in locis mixtæ Religionis non solet peti ulla dispensatio circa hoc impedimentum, quando aliqua Acatholica Catholico nubit; & de talium Matrimoniis disputat diffusissimè *d. tract.* 9. *à n.* 212. & nos dicemus infra ad impedimentum dirimens Disparitatis cultus.

Quo ad Tertium; in quo quæritur, quibus competat potestas statuendi Matrimonialia impedimenta? Observandum est, quòd circa Impedimenta impedientia tantùm nullus est, qui
13 neget, esse in Ecclesia potestatem ea præfigendi pro bono regimine populi Christiani, & ideò non solùm Summos Pontifices, ac Concilia Generalia, sed etiam Episcopos, & Concilia Provincialia posse hæc impedimenta statuere, prout ad bonum, & quietem Provinciæ, vel Diœcesum cognoverint expedire, ut scribunt Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 11. *num.* 1. ubi in his impedimentis impedientibus tantùm extendunt hanc potestatem etiam ad
14 Principes sæculares, qui prohibere possunt, ne Matrimonia fiant certis modis, aut formis, scandalum, rixas, vel alia incommoda in perniciem quietis publicæ causantibus; Hujus rei exemplum habemus in Libro Litterarum Pastoralium s. m. Eminentissimi, ac Reverendissimi GREGORII CARDINALIS BARBADICI, olim hujus Diœcesis Patavinæ Pastoris Vigilantissimi, in quo quidem Libro *ad pag.* 86. 87. & 88. legitur Proclama Excellentissimorum Dominici Gritti Potestatis, & Aloysii Georgii Capitanei Paduæ *diei* 5. *Septembris* 1676. quia in executione Decreti Serenissimi Principis, ac Senatus
15 Venetiarum *die* 28. *Februarii* 1662. emanati, prohibent sub gravissimis pœnis, ne qui audeant contrahere Matrimonium absque debitis solemnitatibus per Ecclesiam statutis, & præcipuè ne ex abrupto comparentes cum duobus testibus coram Parocho, & sic ad ejus præsentiam, & dictorum testium, fraudulenter, violenter, nullisque denunciationibus præmissis Matrimonium ineant. Idcircò, ut supra dictum est, de his impedimentis impedientibus tantùm, & quæ faciunt Matrimonia illicita, sed non invalida, dubitat nemo, ea posse decerni ab utroque Superiore Ecclesiastico, & Laico.

At de impedimentis dirimentibus, & Matrimonia annullantibus, videtur difficultas, tum quia si Matrimonium consideretur ut contractus Civilis, debet relinqui sub tota libertate, quæ illi convenit de Jure naturali; tum eò ma- 16
gis quia si consideretur ut Sacramentum, nulla humana potestas immutare potest ejus materiam, formam, & ministros, cùm hæc omnia sint à Christo Domino instituta; & immutatio videtur fieri quando præfigitur impedimentum dirimens, & irritum reddens Matrimonium, etsi initum cum materia, cum forma, & à ministris per Filium Dei in elevatione hujus contractus ad esse Sacramenti determinatis. His tamen non obstantibus, certum est in Ecclesia Catholica esse potestatem statuendi etiam impedimenta dirimentia; imò hoc est de fide non solùm ex Concilio Senonensi sub Clemente VII. de quo *in tom.* 5. *Concilior. cap.* 17. sed etiam ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *de Matrim. can.* 4. in quo ita definitum: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse. Anathema sit.* Hoc idem tradiderunt ante prædictorum Conciliorum plura sæcula Scotus *in* 4. *Sent. dist.* 4. *I.* & *N.* & Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 34. *art.* 1. *ad* 4. & *in addit.* 3. *p. q.* 50. *art. Unic.* prout etiam *libr* 4. *contra Gentes cap.* 78. & consentiunt omnes Theologi, ac Canonistæ, quos longa serie allegat Sanchez *de Matrim. libr.* 3. *disp.* 4. *per totam.* quibus concordant inter novissimos Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 11. *dub.* 1. Basilius Pontius *libr.* 6. *cap.* 1. *num.* 8. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 329. atque Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 18. *art.* 3. Respondent autem omnes rationibus in contrarium adductis; videlicet; ad primam, quòd licèt Matrimonium sit de Jure naturæ tanquam contractus, potest restringi ad certas conditiones, & qualitates contrahentium, ut honestè, & sine fraude celebretur, prout in cæteris contractibus civilibus præscribuntur formalitates, sine quibus remanent invalidi, & irriti. Ad Secundam, sumpto etiam Matrimonio, prout est, tanquàm Sacramento, Ecclesia per instituta impedimenta dirimentia non immurat Materiam, Formamvè, aut Ministros Sacramenti à Christo præscriptos; quia Christus elevando Matrimonii contractum ad esse Sacramenti statuit pro Materia, & Forma contractum legitimum, ac pro Ministris personas legitimas; conditiones autem, qualitates, formalitates, & alia requisita pro legitimitate contractus, atque contrahentium Matrimonium, non fuerunt ab ipso Christo Domino præscriptæ; sed illas præscribendi reliquit potestatem Ecclesiæ suæ, juxta temporum, locorum, nationum, & morum hominum circumstantias. Quapropter Matrimonia inita cum impedimentis dirimentibus sunt nulla, & invalida, non ex mutatione 17
Materiæ, Formæ, ac Ministrorum à Christo institutorum, sed quia Materia, ac Forma non est legitima; sivè quia Ministri non sunt legitimi, prout requirit institutio Christi, à quo non omnis contractus Matrimonialis factus est Ma-

teria, & Forma Sacramenti Matrimonii; neque omnis Masculus, & Fœmina instituti sunt Ministri ejusdem Sacramenti; sed tantummodò contractus, ac contrahentes legitimi, ut latiùs disserunt Salmanticenses *d. cap.* 11. *à num.* 4. *& seqq.* Basilius Pontius *d. libr.* 6. *cap.* 1. *num.* 10 11. *&* 12. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 330. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 18. *num.* 41.

Porrò appellatione Ecclesiæ habentis potestatem instituendi impedimenta dirimentia Ma-
18 trimonium venire Ecclesiam Universalem, idest Concilia Generalia, ac ejusdem Ecclesiæ Universalis caput, nempè Summum Pontificem omnes scribentes concedunt; quia ab initio ipsius Ecclesiæ per omnia subsequentia sæcula tùm à Conciliis Generalibus, tum à Summis Pontificibus usque ad tempus Tridentini Concilii dirimentia impedimenta fuerant statuta, tam circa gradus consanguinitatis, affinitatis, ac publicæ honestatis, quàm circa clandestinitatem, Votum solemne castitatis, Ordinem Sacrum, & alia, prout exemplificat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 18. *art.* 4. *à num.* 48. *& seqq.* & notant Salmanticenses *d. cap.*
19 11. *num.* 7. Pontius *d. libr.* 6. *cap.* 1. *num.* 12. & aliis relictis, Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 1. in qua *num.* 6. advertit, requiri justam causam, ut per Pontificem statuatur novum impedimentum dirimens, & *num.* 7. plurimos DD. allegat docentes, posse alicui privato prohibere, ex causa justa (puta magnæ disparitatis) ne contrahat Matrimonium sub pœna nullitatis; quod etiam affirmat Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 332. & 333. etsi nunquam auditum sit, Pontifices hanc prohibitionem fecisse, & eam facere non expedire scribat Navarrus *libr.* 4. *consilior. tit. de Sponsalib. in* 1. *edit. cons.* 24. At *in* 2 *edit. tit. de Matrim. contra interd. Eccl. cons.* 1. Idcircò iidem Doctores circa hanc potestatem statuendi, & inducendi impedimenta dirimentia de tribus tantùm dubitant, & quæstionem faciunt, videlicet de Consuetudine, de Episcopis, atque de Principibus Laicis, & de his nunc est agendum.

Quo ad Consuetudinem: etsi Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 4. *à n.* 5. *& seqq.* multas excitet difficultates, ac diversos modos dicendi Doctorum, quos ibi cumulat; ipse tamen *num.* 11. sic suam opinionem firmat. *Existimo,*
20 *consuetudinem legitimè præscriptam, ac rationi consonam* (*qualis petitur cap. fin. De Consuetud. ad Legem statuendam, & statutam derogandam*) *vires habere inducendi novum impedimentum dirimens, ac subindè Matrimonium, adversus eam consuetudinem initum, esse nullum, idque solam consuetudinem posse absque scandalo, & adminiculo alterius Juris, nec ad eam inducendam desiderari scientiam Pontificis; sed eo ignorante, posse talem consuetudinem legitimè præscribi, suumque operari effectum; dummodo sit consuetudo mixta Clericorum, & Laicorum.* Hanc Sanchezianam sententiam approbant, & amplectuntur omnes Theologi Scholastici, atque Morales, inter quos Basilius Pontius *libr.* 6. *cap.* 4. *n.* 6. N. Cornejo *disp.* 7. *dub.* 4. Suarez *de Legibus libr.* 7. *cap.* 19. *num.* 14. Castropalaus *eod. tract. disp.* 3. *punct.* 4. §. 5. *num.* 1. Bonacina *de Matrim. qu.* 3. *punct.* 1. *num.* 7. Aversa *quæst.* 9. *sect.* 3. *Vers.* Deindè, ubi adducit *texx. in cap.* 1. *De cognat. Spirit. in cap. Super eo. eod. tit. & in cap. Quod dilectum. de Consanguin.* in quibus præcipitur, nulla, & irrita habenda esse Matrimonia inita contra impedimentum dirimens à consuetudine introductum. Concors est supradictis DD. etiam Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 335. ubi tamen rejicit tanquam inutilia verba illa Sanchezii, quòd *consuetudo mixtim introducta sit Clericis, atque Laicis*; cùm Clerici Matrimonia non contrahant, atque Studiosissimi Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 11. *punct.* 1. ubi *num.* 22. ita loquuntur: *Dicendum itaque est, quòd si consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta, tacitèque à Summo Pontifice approbata, per eam possunt nova impedimenta dirimentia introduci, fierique inhabiles ad contrahendum, qui aliàs erant habiles jure Canonico. Probatur in primis ratione generali, quia consuetudo legitimè præscripta habet vim Legis cap. fin. de Consuetud. & tradit. D. Thomas* 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *Sed per leges possunt introduci impedimenta dirimentia, quibus fiant inhabiles, qui aliàs erant habiles ad contrahendum. Ergo & per consuetudinem. Et ideò in cap. Cum olim. De Cleric. conjug. dicitur, consuetudine fieri inhabiles ad beneficium, qui aliàs erant habiles. Ergo etiam ad Matrimonium. Specialiter verò pro Matrimonio in cap.* 1. *De Cognat. Spirit. ubi dicitur valere Matrimonium inter duorum compatrum filios, nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur.* Hucusque Salmanticenses, qui *num.* 23. subdunt, ea verba, *Quæ scandalum generet*, à pluribus DD. declarari, de consuetudine, cujus violatio scandalum generet. Covaruvias *in* 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 1. *num.* 8. Henriquez *libr.* 12. *cap.* 1. *num.* 5. Angelus. *Verb. Matrimonium* 3. *Impedim.* 17. Sed ipsi Salmanticenses repetunt dicentes: *Sed etiamsi scandalum ex violatione consuetudinis non generetur, si tamen fuerit legitimè introducta sufficit ad statuenda nova impedimenta dirimentia.* Confirmantur omnium supradictorum DD. sententiæ communi omnium Theologorum doctrina, quòd impedimentum dirimens *Disparitatis Cultus* sola consuetudine est introductum in Ecclesia, Sanchez *libr.* 7. *disp.* 71. *num.* 8. Gobat. *tract.* 9. *num.* 214. Mastrius *disp.* 7. *n.* 504. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 32. *num.* 39. & nos infra *Decis. XXVI.* Porrò Fagnanus in *d. cap.* 1. *De Cognat. Spirit. num.* 18. & *in cap. Quod super. in fin. De Consanguin. &* 21
Affinit. opinatur, non sufficere, si consuetudo sit præscripta, nisi etiam sit à Summo Pontifice approbata, & de ea certam habeat scientiam; quamvis Aversa *de Matrim. d. quæst.* 9. *sect.* 3. *Vers. Hoc autem limitant &c.* teneat, quòd non requiratur expressa, & formalis approbatio ejusdem consuetudinis à Pontifice facta, sed sufficiat tacita, & virtualis; & idem affirmant contra Fagnanum Gobatus *d. tract.* 9. *d. Matrim.*

trim. num. 25. & Basilius Pontius *d. libr. 6. cap. 4. num. 6.*

Quo ad Episcopos, pariter disputant DD. an ipsi habeant in suis Diœcesibus potestatem statuendi nova impedimenta dirimentia, sicut habet Summus Pontifex in tota Ecclesia? Et omnes concorditer respondent, eos de facto illam non habere, quia talis potestas soli Summo Pontifici semper fuit, & est reservata; undè non injucundus est casus, quem refert Gobatus *d. tract. 9. n. 19.* cujusdam Præsulis præfervidi, qui ad extirpandum abusum in sua Diœcesi familiarem eorum, qui sub prætextu infirmitatis, vel alio simili, Parochum ad se vocabant, illoque præsente, ac duobus testibus Matrimonia repentè contrahebant, antequam Parochus effugere posset; decrevit, & sancivit, ut Matrimonia, si quæ deinceps hoc modo fierent, invalida, nulla, & irrita essent. Quæsitum fuit postea, an tale Decretum, & hujusmodi sanctio Episcopalis haberet vim irritandi Matrimonia inita coram Parocho invito, ac reluctante? Et negativè respondit Eminentiss. Card. de Lugo *lib. 1. Respons. Moral. dub. 45.* quem refert, & approbat ipse Gobatus *d. tract. 9. num. 20.* reddens hanc rationem, *quia hoc gravissimum negotium, & ex quo gravissima inconvenientia sequuntur, meritò reservavit sibi uni Summus Pontifex*: & ita docent omnes scribentes. Sanchez *d. libr. 7. disp. 1. num. 9.* & ibi Victoria, Ledesma, & alii plurimi ex antiquis, ex modernis autem Mastrius *d. disp. 7. num. 337.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 18. art. 4. num. 62.* & Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 11. num. 7.* atque *num. 9.* ubi addunt, quærere DD. etsi Episcopi de facto non habeant hanc potestatem statuendi nova impedimenta dirimentia, an saltem eam habeant de Jure, ac vi ordinationis Episcopalis? & quamvis alii asserant, & alii negent; negativam sententiam amplectuntur ipsi Salmanticenses *ibid. num. 9.* & jure quidem, nam ut probatum est à nobis in nostris Decisionibus, *de Sacram. Pœnitentiæ Decis. XIX. num. 26.* Episcopi nullam aliam habent Jurisdictionem (quæ necessaria est ad Leges ferendas) nisi illam, quam ipsis elargitur Papa, quem Christus constituit Monarcham, Principem, & Caput totius Ecclesiæ; ideòque sicut à capite derivat omnis Virtus in membra; sic à Summo Pontifice Romano procedit omnis jurisdictio in alios Episcopos, ut latè demonstrant Fagnanus *in cap. Perniciosam à num. 28. usque ad num. 54. de Offic. Ordin.* Pax Jordanus *tom. 1. Prælud. 3. num. 12. & 13.* Barbosa *de Jure Eccles. Univ. libr. 1. cap. 8. num. 19.* Emanuel à Schelstrate *tom. 2. Antiquit. Eccles. Dissert. 4. cap. 3.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Sacramento Pœnitentiæ disp. 18. art. 8. à num. 335. & seqq.* Quapropter, cùm nullibi legatur concessum per Summos Pontifices aliis Episcopis, ut possint in suis Diœcesibus impedimenta dirimentia Matrimonium statuere; verior debet esse sententia docens, eosdem Episcopos prædictam potestatem non habere neque de Jure, neque de facto. Hinc contra tenorem Decreti, ac Edicti illius Præsulis præfervidi à Gobato relati, Sacra Congregatio Emin. Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum pluries declaravit, valida esse Matrimonia de repentè contracta coram Parocho invito, ac reluctante; ut habetur apud Salcedum *in Addit. ad Diaz cap. 76.* & ex Pignatello notat Abbas Pascuccius *tom. 2. Verb. Matrimonium pag. 23.* in Compendio ejusdem Pignatelli.

Quoad Principes Christianos Laicos omnium Catholicorum scribentium concors doctrina est, quòd licet in Matrimonio tanquàm civili contractu possent decernere impedimenta etiam dirimentia pro bono regimine suorum populorum; attamen quia Matrimonium est à Christo Domino elevatum ad dignitatem Sacramenti; & sic quia tanquam Sacramentum subtractum est à Laica Jurisdictione, idcircò Principes Laici non habent potestatem indicendi impedimenta dirimentia, nisi in Matrimoniis infidelium, si quos subditos habeant, quorum conjugia non sunt Sacramenta, sed simplices contractus; & hæc doctrina probatur: *Primò ex cap. 1. de Sponsal.* in quo decernitur, validum esse Matrimonium contractum cum alienigena, etiamsi celebratum sit contra leges civiles suæ gentis. *Secundò, ex cap. Tuam De Ordine cognit.* in quo statuitur, causas Matrimoniales non ad forum Laicum, sed ad Ecclesiasticum pertinere. *Tertiò*, ex Concilio Tridentino, in quo *sess. 24. can. 12.* definitum est idem his verbis: *Si quis dixerit causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit. Quartò*, quia Ecclesia ob dictam Sacramentalem excellentiam subtraxit Matrimonia fidelium à potestate Laica; & sibi, suæque Ecclesiasticæ Jurisdictioni reservavit. *cap. Ecclesiæ S. Mariæ. De Constit. d. c. 1. de Sponsal. d. cap. Tuam. De Ord. cognit. cap. Euphemium. 2. q. 3. cap. Multorum. 35. q. 3. Quintò*, quia à Jure Canonico sæpè correctum est Jus Civile in tangentibus fidelium Matrimonia, prout in *cap. Cùm secundum Apostolum. De secundis nuptiis.* in quo abrogatur Lex Civilis, quæ imponebat pœnam infamiæ Viduis mulieribus ad secundas Nuptias pervenientibus: & *in cap. fin. de Raptor.* in quo emendatur *l. Unica. de Raptor. Virgin.* quæ prorsus incapaces Matrimonii faciebat raptores cum Virginibus raptis. Alios *texx.* addit Caramuel *in Theologia Mor. Fundam. num. 2081.* nempè *cap. 1. in fin. De Consanguin. & Affin. cap. 12. De Excessib. Prælat. & cap. 4. & 5. De Secund. Nupt. Et Sextò*, quia talis est Usus Universalis, & immemorabilis Ecclesiæ Catholicæ, ut impedimenta dirimentia Matrimonia fidelium non constituantur à Principibus Laicis; sed ab Ecclesia ipsa, ac ejus Capite, qui est Romanus Pontifex; quare ita sentiunt, ac docent S. Thom. *in 4. dist. 42. q. 2. ad 4. nec non in addit. 3. p. q. 57. art. 2. ad 4.* Divus Bonaventura *in 4. ead. dist. 42. quæst. 2. art. 2.* Paludan. *ibid. q. 2. art. 2. concl. 6.* Sotus *ibid. art. 2. ad 2.* Covaruvias *4. Decretal. 2. part. cap. 6. §. 1.* Castropalaus *de Matrim. disp. 4. punct. 1.* Basilius Pontius *libr. 6. cap. 1. num. 8. & 9. & cap. 2.* per totum. Aversa *quæst 9. sect. 2. Vers. Videndum ergo.* Novissimè Mastrius *d. disp. 7. de Matr. num. 342.* & aliis omissis, Pater Diana *part. 5. tract. 1. resol. 16.* pleniùs, ac diffusiùs *part. 7. tract. 1. resol. 23. resol. 24. & resol. 25.* Quæ quidem omnes resolutiones nunc sunt repositæ in Diana Coordinato *tom. 9. tr. 2. resol. 340. 341. 342. & 343.* in quibus fervidè tuetur hanc doctrinam contra quendam

Patrem Rabardeum illam impugnantem; & ad eum convincendum fortissima argumenta, & innumeros Doctores, Theologos, atque Canonistas allegat, tenentes, ac scribentes, non posse à Principibus Laicis impedimenta dirimentia Matrimonia fidelium statui, aut introduci.

Sed præmissis graviter obstare videtur id, quod scribit Caramuel *in Theologia Morali Fundamentali n.* 1120. his verbis: *Posse Principes ponere impedimenta dirimentia Matrimonium, tuentur, nonnulli Galli, quorum multos libel-*
26 *los legimus, cùm ante paucos annos de valore Matrimonii Fratris Regis Galliæ agebatur. Posse Reges suos subditos declarare inhabiles ad Matrimonium contrahendum, si causæ succurrentes postulent, dicebant rationi consentaneum esse, & præscriptæ consuetudini correspondere. Ratio erat, quia Matrimonium est contractus, & contractuum valor pendet à voluntate Regum. Probabant præscriptam consuetudinem, quia Filia Regis Caroli Calvi*
27 *nupsit invito Rege; & Matrimonium fuit declaratum invalidum in Tribunali Ecclesiastico, pronunciante, non potuisse illam valide nubere sine licentia Regis. Idem etiam accidit in Matrimonio Filii ejusdem Regis Caroli.*

Controversia super valore Matrimonii Fratris Regis Galliæ, quam exortam fuisse suo tempore ait Caramuel, fuit Anno 1634 eò quia Dux Aureliæ, vulgò *d'Orleans* Frater Regis Franciæ Ludovici XIII. duxerat in Uxorem
28 Principissam Margheritam de Lorena sine licentia, & sine consensu ejusdem Regis, qui propterea instabat prædictum Matrimonium declarari ex hac causa irritum, & nullum; ut eleganter narrat Illustrissimus, ac Reverendissimus Marcus Baptaglinus Nucerinus Episcopus *in tom. 2. Annalium Sacerdotii, & Imperii ad d. Annum* 1634. *n.* 3. ubi ita differit: *Riusciva inflessibile il Rè nel volere dichiarato*
29 *nullo il Matrimonio, c' haveva contratto il Duca d' Orleans suo Fratello con la Principessa Margherita di Lorena.* Et Paulò infrà. *Allegavasi per parte del Rè, che voleva la nullità, essere Legge fondamentale del Regno, che i Prencipi del Sangue Reale, come capaci di succedere alla Corona, e di suscitare seditioni in perturbamento della quiete publica, non potessero conquistare adherenze de' Parenti, mediante il Matrimonio, senza la licenza del Rè; e che essendo quello dell Orleans difettuoso di tale permissione, anzi contratto con Nemici della Corona, e per manifesto fomento delle rebellioni, non poteva di ragione havere sussistenza.* His attentis rationibus Parlamentum Parisiorum *eodem Anno* 1634. *die* 5. *Septembris* sententiavit, ac declaravit prædictum Matrimonium nullum, ut subdunt ip-
30 samet Annalia *ibid. sub. n.* 5. his verbis: *Introdotta la causa nel Senato, ò Parlamento di Parigi, questi entro il mese di Settembre pronuncio il quinto giorno la propria Sentenza, con la quale restò dichiarato nullo detto Matrimonio, come contratto dolosamente contro le Leggi del Regno; dichiarando rei di gravi pene, e la sudetta Sposa, ed ogni Consigliere, ò mezzano, c' havesse cooperato al di lui stabilimento.* Et quod magis est eadem Sententia confirmata fuit ab Universo Clero Gallicano, subsequenti Anno 1635. Parisiis de more congregato, ita instante, (coram illo) Procuratore, seu Fiscali Regio, ut memorant eadem Annalia *Sacerdot. & Imper. Anno* 1635. *num.* 22. *&* 23. sic loquentia: *Furono da Vescovi chiamati à consulta i Dottori della Sor-* 31
bona, i Theologi Domenicani, gl' Agostiniani, li Carmelitani, Francescani, Foglianti, Minimi, Preti dell' Oratorio, e fino i Gesuiti, e Capuccini; col parere de' quali fu, il settimo giorno di Luglio, per Decreto di cinque Arcivescovi, ventitre Vescovi, e molti Abbati, stabilito che i Matrimonii contratti da Prencipi del Sangue Regio di Francia, che possono aspirare alla successione della Corona, e particolarmente di quelli, che vi sono più prossimi, come heredi presuntivi, fossero nulli senza il consentimento del Rè Regnante, in vigore della Consuetudine, e Privilegii della Chiesa Gallicana.

Ultra prædicta ad augendam propositam objectionem, circa potestatem Principis Laici in statuendis impedimentis Matrimonium dirimentibus, addere liceat id, quod testatur celeberrimus Doctor, & Beneficialista Franciscus Tondut *Quæst. & Resol. benefic. part.* 1. *cap.* 71. *à n.* 4. *&* 32
seqq. videlicet, ex Ordinationibus Regiis in Gallia Matrimonia declarari nulla, si fiant nullis præmissis denunciationibus; vel si Filiifamilias minores annis 30. contrahant Matrimoninm absque consensu paterno, Verba Tonduti *num.* 6. 7. *&* 8. sunt ista: *In casu proposito nullæ aderant denunciationes ex parte viri, nec ex parte uxoris; & per consequens juxta Supremarum Curiarum Arresta, & generalem Galliæ observantiam, Matrimonium illud nullum, & irritum declarandum erat teste* Carond. *libr.* 1. *resp.* 12. Ludovic. Bell. *d. cons.* 224. *n.* 10. Lovet *d. litt. M. n.* 6. *in glos. colum.* 2. *qui affirmat solemnitatem istam denunciationum, seu publicationum esse apud Gallos conditionem necessariam, sine qua Matrimonium subsistere non potest, sivè inter majores, sivè inter minores, non solùm ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate Sacramenti.* Maynard. *libr.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. Bouchel *in Summ. Benefic. in Verb. Mariage in princ. Quod ego, nec multa alia Concilio minùs conformia non propono decisivè, quia me remitto determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ; sed refero dumtaxat, quod in Gallia ex Regiis ordinationibus, aut aliàs solet observari. Alio etiam ex capite Matrimonium, de quo agitur, nullum declarabitur in Gallia, quia contractum fuit à filiofamilias absque consensu*

paterno,

paterno , imò contra illius expressam voluntatem : quæ de causa Matrimonia in Gallia nulla declarantur , & irrita ; bene , aut malè non decido ; sed de hoc adsunt expressè ordinationes antiquæ , & recentes ; quibus Matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur invalida. Hæc omnia Tondut.

Respondet Caramuel ubi *supra num.* 1120. consensum paternum desiderari pro validitate Matrimoniorum , quæ filiifamilias volunt contrahere ; non ex solo præcepto Regis , sed ex jure Ecclesiastico emanato in Concilio Meldensi (sic dictum à Melda Civitate , vulgò *Meaux*, 33 in qua fuit congregatum in Gallia Lugdunensi, cujus Episcopus est suffraganeus Archiepiscopi Parisiensis , teste Ferrario *in Lexic. Geographic. Verb. Melde*) undè idem Caramuel subdit: *Nec me urget auctoritas , nam Matrimonium Filiæ Caroli Calvi , aut etiam Filii declaratum fuit ab Ecclesia invalidum , & nullum; non quòd factum fuisset contra voluntatem Regis ; sed quòd fuisset contra voluntatem* 34 *parentis : nam in Concilio Meldensi , ut Filii sub disciplina Parentum manuteneantur , sub pœna nullitatis præcipitur , ut Matrimonium non ineant sine conscientia , & consensu Parentum. Filia igitur Regis Caroli Calvi invalidè nupsit , non propter impedimentum latum à Lege sæculari ; sed latum à Lege Ecclesiastica : non quòd ad valorem Matrimonii censensus Regis requireretur ; sed quia requirebatur consensus Patris ; quamobrem si Carolus Calvus non esset Rex , eodem omninò modo illud Matrimonium fuisset invalidum.* Hæc omnia acutissimus Caramuel.

Cæterùm facile est demonstrare supradictas Historias , at declarationes nullitatum Matri- 35 moniorum ob defectum consensus Regis in Nuptiis initis eo inscio , vel reluctante , à natis Sanguine Regio , non esse contrarias Catholicæ doctrinæ , & sensui universalis Ecclesiæ, si dixerimus , eas processisse , ac procedere vigore immemorabilis consuetudinis , quæ viget in Gallia ; & à qua est introductum , ut deficientia consensus Regis , dum ejus consanguinei sunt Matrimonium contracturi ; vel parentum , si filiifamilias velint Uxores ducere , sit impedimentum dirimens , ex quo resultant ipsæmet Matrimoniorum nullitates. Jam probatum est supra *n.* 20. omnes Theologos , ac Canonistas concedere hanc potestatem Consuetudini ex justa causa introductæ , ac legitimè præscriptæ , & à Summo Pontifice saltem tacitè approbatæ , statuendi scilicet impedimenta Matrimonium dirimentia. Potuit itaque Anno 1634. & 1635. declarari nullum , & invalidum Matrimonium Ducis Aureliæ , Fratris Ludovici XIII. Regis Franciæ , tanquam contractum sine consensu Regio , vigore ejusdem Consue- 36 tudinis innixæ tum præscriptioni , tum rationi. Præscriptio est notoria , quia si hæc in rebus Ecclesiæ acquirit spatium annorum quadraginta. *cap. De quarta. cap. Ad Aures. De Præscriptionib.* Salmanticenses *n. tract. 9. cap. 11. num.* 24. ubi hoc tempus , ajunt ; sufficere pro stabuendis impedimentis dirimentibus ; utique consuetudo requirendi , & obtinendi consensum Regis in consanguineis ejus in Gallia ; non solùm erat 40. *Annorum* , sed Annorum *octingentorum* , quia ex Spondano , & aliis Historicis Carolus Calvus Rex Galliæ regnabat *Anno* 840. & sic Annis octingentis ante Regem Ludovicum XIII. Imò supra mille Annos extare consuetudinem in Gallia , ut consanguinei illius Regis non nubant absque ejus assensu , deducitur ex exemplo Licinii , Regio Sanguine Clotarii Regis (qui regnabat in Gallia *Anno Christi* 527.) descendentis , quem Matrimoni- 37 um contraxisse , requisito priùs , ac obtento ejusdem Regis Clotarii consensu notant Bollandus in Vita ejusdem Licinii *die* 14. *Februarii*, & Hieron. à Basilica Petri *Metamorph. Sacr. part.* 1. *convers.* 5. quos retuli supra in præcedenti *Decis. XVII. num.* 33. Igitur de immemorabili illa Gallicana consuetudine ambigere nemo potest.

De Ratione autem , videlicet , quod sit rationabilis manifestè patet , tum in natis de Sanguine Regio , adstrictis ad non contrahendum Matrimonium absque consensu Regis sub pœna nullitatis , ne perturbent publicam quietem, 38 promovendo rebelliones ex fomento exterorum Principum , quibus se affines faciunt , contrahentes Matrimonia sine assensu Regis ; tum in filiisfamilias , ut sub disciplina Parentum manuteneantur , ut ex Concilio Meldensi innuit Caramuel supra relatus. Quapropter Matrimonium Filiæ , ac Filii Caroli Calvi , Regis Franciæ *de Anno* 840. atque illud Ducis Aureliæ Fratris Regis Ludovici XIII. *de Anno* 1634. nulla , & invalida fuerunt declarata ex defectu consensus Regii , quem Consuetudo rationi consona , & legitimè præscripta ab immemorabili tempore decrevit esse impedimentum dirimens in illo Regno ; ideòque Sapientissimi Præsules Cleri Gallicani , qui prædictam declarationem fecerunt *Anno* 1635. adjunxerunt, se ita sententiare , ac declarare vigore Consuetudinis.

Colligitur ex his omnibus , quòd indicere impedimenta dirimentia Matrimonium spectat tum ad Summum Pontificem , tanquam caput Ecclesiæ , tum ad Ecclesiam ipsam universalem, quæ in Conciliis Generalibus recognoscitur; tum etiam ad Consuetudinem ex rationabili causa inductam , ac legitimè præscriptam , & ab eodem Summo Pontifice approbatam ; secùs autem ad Reges , seu Principes Laicos , ut rationibus , juribus , ac innumeris propè allegatis Doctoribus demonstrat Diana Coordinatus *in cit. tom. 9. tract. 2. resol.* 340. cum tribus aliis resolutionibus sequentibus ; & antecedenter *eod. tom. 9. tract. 2. resol.* 222. quæ habetur in Diana inordinato *part. 5. tract. 1. resol.* 16. in quibus omnibus resolutionibus ab eo formatis occasione nullitatis Matrimonii antedicti Ducis Aureliæ , vulgò *de Orleans*, Fratris Ludovici XIII. Regis Galliæ *Anno* 1634. & 1635. doctè , eruditè , ac nervosè probat , Reges , ac Principes Laicos non posse statuere impedimenta dirimentia Matrimonium , sed non tetigit punctum controversiæ ; quia Matrimonium Ducis Aureliæ Fratris Regis fuit declara-

tum nullum, & irritum ex defectu consensus Regis vigore immemorabilis, rationabilis, ac legitimæ Consuetudinis, quæ firmaverat pro impedimento dirimente deficientiam prædicti consensus Regii; sicut pro Matrimoniis filiorum familias firmavit, & statuit esse impedimentum dirimens defectum consensus Paterni, ut ex Tonduto *super num.* 32.

Corollarii loco addendum, disputare DD. an sicut Consuetudo potest inducere impedimenta dirimentia; ita habeat vim tollendi, &
39 abrogandi ea, quæ à Jure Ecclesiastico sunt introducta? Alii negant, alii affirmant, qui, super hoc quæsito allegantur à Salmanticensibus *d. tract. 9. cap. 11. punct. 2.* Ipsi amplectuntur affirmativam, quia consuetudo legitima abrogat legem contrariam scriptam. *cap. fin. de Consuetud.* & ita sentiunt etiam Sanchez *libr. 7. disp. 4. num. 4.* Azorius *libr. 1. cap. 17. quæs. 8.* Bonacina *de Matrim q. 3. punct. 1. n. 7.* Pontius *libr. 6. cap. 4. n. 6.* & alii apud eosdem Salmanticenses, qui cæteris studiosiùs agunt de efficacia consuetudinis in inducendis, & in abrogandis impedimentis dirimentibus. Exemplum habetur infra *Decis. XXVI. num. 19.* ex Basilio Pontio asserente, Consuetudinem abrogasse impedimentum dirimens disparis Religionis inter Catholicum, & hæreticum.

Tandem non est ignorandum, omnes Doctores asserere, esse peccatum mortale contrahere Matrimonium scienter cum impedimento
40 non solùm dirimente, sed etiam impediente tantùm. Perez *de Matrim. disp. 22. sect. 2. &* 3. Cotonius *libr. 5. Controv. 1. num. 288.* imò addunt committi Sacrilegium; sed Gobatus *tract. 9. n. 59. &* 60. excusat à Sacrilegio contrahentem cum dirimente, quia hic nullum suscipit Sacramentum. Quòd si qui contrahant Matrimonium putantes inter se esse impedimentum dirimens, quod tamen re vera non sit; Utrùm validum sit Matrimonium? Alii asserunt, alii negant; ut ostendit Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. num. 372.* qui *num. 373.* opiniones inter se pugnantes conciliat dicens, quòd si contrahentes intendunt facere id, quod possunt, validè contrahunt; invalidè autem, si credentes adesse certum impedimentum dirimens, non intendunt contrahere; sed simulatè actionem illam gerere.

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

Explicatur primum Impedimentum dirimens, quod vocatur ERROR, data ejus divisione, quòd sit vel circa substantiam Personæ, vel circa Qualitatem. Error circa Personam dirimit Matrimonium, ut de Lia ducta pro Rachele à Patriarcha Jacob. Sub nomine ERRORIS ostenditur venire Stultitiam, & inter stultos connumerari nimiùm Amantes, ac Ebrios, quorum Matrimonia quando nulla sint, demonstratur. Idemque docetur de Impuberibus. De ERRORE qualitatis personæ, & quando irritet conjugium? per varias Regulas, & Exempla à DD. sumpta, plenè, ac doctè differitur.

SUMMARIUM.

1 *Ignorantia differt ab errore. Et quomodo?*
2 *Error in Matrimonio alius personæ, & alius qualitatis.*
3 *Error circa personam irritat Matrimonium.*
4 *Consensus humani epitheta, laudes, ac energia.*
5 *Consensus defectus non suppletur per Clausulam* supplentes &c.
6 *Liæ, ac Jacob Matrimonium an fuerit validum?* & num. 11.
7 *Benedictio data ab Isaac per errorem an fuerit valida?* & num. 13.
8 *Sacramenta data alicui cum errore personæ an valida sint?* & num. 14.
9 *Vendens rem Joanni credens esse Petrum, an valeat venditio?* & num. 16.
10 *Consensus deficit, ubi est error in persona.*
12 *Lia, & Rachel vitæ activæ, ac contemplativæ symbolum.*
15 *Ministri Sacramentorum semper intendunt ea dare personæ præsenti, illa suscipienti.*
16 *Vendere rem unam pro alia irritat contractum.*
17 *Amentia, & defectus ætatis irritant Matrimonium.*
18 *Fatui, seu Amentes, & Stulti an possint contrahere Matrimonium?*
19 *Amor species stultitiæ.*
20 *Amoris passio quam corporis partem afficiat?*
21 *Amor nimius vertitur in furorem.*
22 *Amoris nimii æstro contractum conjugium an valeat?*
23 *Ebrietas an irritet Matrimonium in ea contractum?*
24 *Impuberes an possint contrahere Matrimonium de præsenti?*
25 *Dispensare an possit Papa, vel Episcopus, ut impuberes contrahant Matrimonium de præsenti?*
26 *Error qualitatis personæ non irritat Matrimonium, nisi redundet in substantiam personæ.*
27 *DD. discordia circa errorem qualitatis irritantem.*
28 *Qualitas deducta sub conditione, si deficiat, irritat Matrimonium.*
29 *Regula pro cognoscenda qualitate dirimente.*

30 *Bissi doctrina circa cognoscendam qualitatem dirimentem.*

31 *Caramuel Casus relatus de Qualitatis errore dirimente.*

32 *Qualitas, quæ est unicum Medium ad faciendum Matrimonium, irritat, si deficiat.*

33 *Forum Fori difficile in sententiando pro nullitate Matrimonii ob errorem in qualitate; & cur?*

POst explicationem eorum, quæ generaliter ad impedimentorum Matrimonialium naturam spectant, opus est ad particularem declarationem uniuscujusque Impedimenti descendere; quorum primum est illud, quod vocatur ERROR, & circa istud, notare oportet
1 secundùm Mastrium *in* 4. *Sent. disp.* 7. *num.* 386. aliud esse Errorem, & aliud esse Ignorantiam. Ignorantia dicit tantummodò negationem scientiæ, quæ dici solet ignorantia simplicis negationis. Error autem dicit judicium perversum intellectus, & vocatur ignorantia pravæ dispositionis; uterque tamen sufficit ad causandum actum involuntarium, ut ait *ibid.* Mastrius, quia voluntas non fertur in incognitum. Item advertendum venit, quod ab omnibus Theologis, circa hoc impedimentum; assignantur duæ species Erroris, una dicitur
2 *Error personæ*; alia verò *Error qualitatis*. Ille dicitur Error personæ, qui concernit substantiam, & individuam personam, cum qua Matrimonium contrahitur; ut cùm quis intendit contrahere cum una certa, & in mente sua determinata muliere; & tamen per errorem, aut per alicujus dolum, vel fraudem, contrahit cum alia; juxta Exemplum Patriarchæ Jacob, qui intendens ducere in uxorem Rachelem, sibi ab ejus Labano patre promissam, & desponsatam; transfacta prima nocte Nuptiarum, reperit ab eodem Labano Liam sororem Rachelis fuisse fraudulenter in lecto positam, cum qua per errorem concubuerat, ut legitur *in Genesi cap.* 29. Error qualitatis est ille, qui concernit non individualem personam, cùm qua contrahitur, sed ipsius qualitates, puta si quis putet ducere in Uxorem mulierem, quam credit esse nobilem, vel divitem, vel Virginem; & nihilominùs illa sit plebeja, vel inops, vel corrupta; ut exemplificando differunt tam Canonistæ, quos cumulat Barbosa in Votis Decisivis *libr.* 2. *Vot.* 19. *à num.* 55. quàm Theologi, quos allegat Sanchez *de Matrim. libr.* 7. *disp.* 18. *num.* 2. ubi bene advertit, nunquam posse contingere errorem personæ absque aliqua ipsius personæ notitia vel ex visu, aut saltem ex auditu, & fama; nam in penitùs ignotum nec consensum, nec affectum dirigere possumus *arg. l. Cum ab eo. Verb. Mensam. ff. De Contraben. Empt.*

Igitur Error circa personam, cum qua quis intendit contrahere, est impedimentum dirimens Matrimonium, & quòd ex jure naturali
3 reddit ipsum nullum, irritum, & invalidum, non solùm inter Christianos, sed etiam inter infideles, qui legibus naturæ tenentur, ut docent S. Thomas *in* 4. *dist.* 30. *qu.* 1. *art.* 1. & *in Addit.* 3. *p. quæst.* 61. *art.* 1. Aversa *quæst.* 12. *sect.* 1. Sanchez *d. disp.* 18. *num.* 11. Basilius Pontius *libr.* 4. *cap.* 20. *num.* 3. & 7 Gonet *de Matrim. disp.* 9. *num.* 3. Salmanticenses, alios plures allegantes, *tract.* 9. *cap.* 10. *num.* 4. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 387. Bissus *in Hierurgia tom.* 1. *Verb. Error. num.* 114. & Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 21. *num.* 3. Ratio est, quia, qui errat, non consentit. *l. Si per errorem. ff. De Jurisd. omn. Judic.* & errantis nullus est consensus *l. Cum testamentum. l. Non idcircò. C. De Juris, & facti ignor.* Sed ad contrahendum Matrimonium necessarius est consensus. *cap Unico* 29. *quæst.* 1. *cap. Tua nos. De Sponsalib.* & latè probatum est supra *Decis. V.* Ergo deficiente consensu per errorem circa personam, cum qua contrahitur Matrimonium, hoc remanet irritum, & nullum; error enim substantiæ in omni contractu irritat illum. Scotus *in* 4. *Sent. dist.* 31. *quæst.* 1. ubi quòd si vendatur aurichalcum pro auro, nulla est venditio; ob defectum consensus recipientis ipsum. Hinc consensus à Juristis vocatur ens
4 transcendentale in omnibus operationibus humanis omninò necessarium, quo deficiente omnes actus corruunt, & nulla obligatio contrahi, vel nasci potest absque consensu. *l.* 1. §. 1. *ff. de Pactis. l. Obligamur. ff de Act. & Oblig.* Paulus Rubeus in *Addit.* ad Rotam Roman. *part.* 8. *rec. Decis.* 1. *num.* 1. & *seqq.* ubi *num.* 5. ait, quòd consensus agentium est primus mobilis, quo deficiente omnia acta deficiunt, & remanent tanquam cymbalum tinniens; & *num.* 8. subdit, quòd ex antris cavernosis nullitatum non potest erumpere ventus magis rabiosus Australis, quàm iste nullitatis consensus, aptus, ac valens ad omnia radicitus subvertenda, & prosternenda; itaut dici possit de eo illud *Æneid. libr.* 5.

——————————— *ruit æthere toto*
Turbidus imber aqua, densique nigerrimus Auster.

Nec reperitur potentia, quantumvis maxima, quæ potens sit ei resistere; imò & suprema Principis potestas, quæ valet æquare quadra rotundis, & rotunda quadris, ut scribit Baldus *libr.* 3. *consil.* 262. *num.* 2. nihilominùs ad nihil deserviet pro supplendo consensu, ubi non adest;
5 nam talis defectus est de jure naturali, contra quod lex humana non dispensat. *l. Nam Magistratus. ff. De Arbitr.* adeò ut neque Confirmatio Apostolica suppleat defectum consensus; etiamsi adsit clausula *Supplentes omnes defectus, etiam Formales, ac Substantiales*; ut in puncto dixit Rota coram Eminent. Card. Cavalerio. *Decis.* 618. *num.* 17. & 18. subdens, quòd Papa per viam contractus non potest aliquem non consentientem obligare; & idem fuit dictum *in causa Oxomen. Pensionis* coram Litta, impressa apud Garziam *de Benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 247. Itaque si quis intendat contrahere cum Berta; & loco Bertæ per errorem contrahat cum Antonia, Matrimonium est nullum ex defectu consensus; siquidem ille contrahens vult commutare suum corpus cum Bertâ tantùm; non autem cum Antonia; aut alia quacumque ab eadem Berta.

Porro contra prædictam doctrinam aliquis objiciet: Primò, id, quod legitur *Genes.* 29. 20.

videlicet

videlicet: *Servivit Jacob pro Rachel septem annis;*
6 *dixitque ad Laban; da mihi uxorem meam* (Sponsam in Uxorem) *quia jam tempus expletum est, ut ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit Nuptias* (ideſt Matrimonium ratum de præſenti) *& Veſpere Liam filiam ſuam* (majorem) *introduxit* (velata facie, ut tunc mos erat) *ad eum* (ideſt in ejus non cognoſcentis cubiculum, & lectum) *Ad quam cùm ex more Jacob fuiſſet ingreſſus* (hoc eſt, per copulam maritali affectu peractam: conſummaſſet verum, ſua opinione, Matrimonium) *factò manè vidit Liam* (quam caſtiſſimi, & pudentiſſimi animi Vir, & nil aliud moliens, quàm neceſſaria ad prolis generationem, nullo verbo amatorio tota nocte allocutus erat) *& dixit ad Socerum ſuum: Quid eſt, quod facere voluiſti? Nonnè pro Rachel ſervivi tibi? Quare Liam impoſuiſti mihi?* Nihil deinde actum eſt de nullitate illius Matrimonii; ſed Lia fuit uſque ad mortem vera Uxor ejuſdem Jacobi; ut textus ſacer narrat; cujus verba cum ſupranotatis clauſulis explicatoriis, ad majorem intelligentiam refert Gobatus *d. tract. 9. de Matrim. num.* 110. Ergo error perſonæ non irritat conjugium.

Secundò objici poteſt; quando Patriarcha Iſaac pater ejuſdem Jacobi illum benedixit; benedictio illa data fuit cum errore; nam Iſaac in-
7 tendebat benedicere Eſau filium ſuum primogenitum, non autem Jacob, ut habetur in Geneſ. *cap.* 27. ubi *num.* 23. dicitur: *Et non cognovit eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem majoris expreſſerant.* Et nihilominùs benedictio illa data cum errore in perſonam, & ſine conſenſu benedicentis, fuit valida. Ergo validum erit etiam Matrimonium; licèt contractum cum errore perſonæ.

Tertiò; Sacramenta, quæ aliquis Sacerdos confert alicui cum errore perſonæ, ſunt valida;
8 exempli gratia ſi quis baptizet vel abſolvat, aut det extremam Unctionem Petro credens eſſe Joannem, Gobatus *in Theolog. Experim. de Sacram. in genere tract. 1. num.* 214. Ergo idem dicendum de Matrimonio per errorem contracto.

Quartò: Alii contractus initi cum errore perſonæ non ſunt irriti, ſed ſuſtinentur. Salmanticenſes *d. tract. 9. cap.* 10. *num.* 2. ubi
9 exemplificant de illo, qui venderet equum Petro, credens eum eſſe Joannem. Ergo etiam contractus Matrimonii debet validus cenſeri, ac reputari, quamvis aliquis credat ducere Bertam in Uxorem, & ducat Joannam.

His tamen non obſtantibus irrefragabilis eſt ſupra firmata doctrina, quòd Matrimonium, initum per errorem perſonæ, eſt nullum, & in-
10 validum ob defectum conſenſus illius, qui contrahit errando; cùm enim credat, & intendat ducere unam mulierem, in ejus mente, ac voluntate determinatam, ſi aliam ducat ab illa per errorem, in illam non extenditur conſenſus ejus, & deficiente conſenſu, ex naturali jure nullius valoris eſt contractus; ut ſupra oſtenſum eſt, & docent omnes Doctores. Ad prædicta autem objecta reſpondetur.

Ad Primum, quòd Matrimonium Jacob cum Lia non fuit validum in principio, ratione erroris perſonæ, ſed poſteaquam Jacob de er-
11 rore fuit certificatus, ſciens, & volens contraxit cum ea; ut parceret ipſius pudori, & honeſtati; & ſic fuit validum. Ita S. Thomas 3. *part. quæſt.* 51. *art.* 1. *ad.* 4. & Cornelius à Lapide *Comment. in Geneſ. d. cap.* 29. *Verſ.* 27. & 28. ubi ſubdit, *Tropologicè Rachel, & Lia ſorores*
12 *ſignificant duplicem vitam, ſcilicet contemplativam, & activam. Primò ducenda eſt Lia*, ideſt *Laborioſa; hoc enim hebraicè ſignificat Lia, & Lippa, quia terrenis intenta, & ſollicita, ac variè diſtracta eſt vita activa: deindè Rachel*, ideſt *ovis, ſcilicet quies contemplationis, quam utpotè pulchram tanto amore proſequi debemus, quanto Jacob amavit Rachelem.*

Ad ſecundum reſpondet Abulenſis *quæſt.* 7. *in Geneſi cap.* 27. benedictionem ab Iſaac datam Jacobo fuiſſe validam, quia Iſaac intentionem habuit benedicendi filium præſentem, quicun-
13 que ille fuerit. At melius ait S. Auguſtinus *lib. 16. de Civit. Dei cap.* 37. *circa fin.* talem benedictionem valuiſſe, quia Iſaac cognita veritate, cùm adveniſſet Eſau, & intellexiſſet, quòd Jacob doloſè eam arripuerat, ex divino inſtinctu illam confirmavit, & ratificavit.

Ad Tertium reſpondet Gobatus *d. tract.* 1. *num.* 214. quod error perſonæ in matrimonio vitiat per ſe contractum, & conſe-
14 quenter Sacramentum, etſi in cæteris Sacramentis error perſonæ communiter nil officiat valori Sacramenti, ea ratione, quia contrahentes Matrimonium ſemper reſtringunt ſuam intentionem ad illud individuum perſonæ, cum qua in corde ſuo intendunt contrahere, excluſo penitus in mente ſua quocunque alio individuo, & hoc ob perpetuam vitæ ſocietatem cum eodem habendam; & ideò ultra eorum intentionem actus ille nihil operetur. *l. Cum pater. §. Donationis. ff. de Legat.* 2. At in aliis Sacramentis Miniſtri non habent communiſſimè reſtrictam intentionem conferendi illa alicui tantùm perſonæ, individualiter in mente determinatæ, ſed habitualiter (quod ſufficit) exporrectam illam tenent ad illud individuum, quod
15 habent coram ſe, & reſpectu cujus efferunt formam Sacramenti. Imo implicitè habent ejuſmodi intentionem virtualem; prædicti quippè ſunt generali voluntate adminiſtrandi Sacramenta juxta communem morem Eccleſiæ; eſt autem mos, & voluntas juſtiſſima Eccleſiæ, ut miniſter velit, intendatque actu impertiri Sacramentum illi ipſi, cui hic, & nunc applicat materiam, & formam, ut in Baptiſmo, & Extrema Unctione; vel ſolam formam, ut in Sacramento Pœnitentiæ.

Ad Quartum reſpondetur, quòd in aliis contractibus, ſi error ſit circa ſubſtantiam rei, quæ deducitur in contractu, utique irritat illos, ut
16 docet S. Thomas 3. *part. qu.* 51. *art.* 2. *ad.* 7. ubi dat exemplum ſi quis venderet Aſinum pro Equo; quia in illo contractu res tractata eſt de ſubſtantia ejuſdem, cùm ſit rei, vel pecuniæ pro re commutatio. Perſona verò contrahens per accidens ſe habet ad eundem contractum; undè in illo errore circa perſonam eſt error in accidentibus. In Matrimonio autem perſonæ contrahentes pertinent ad ſubſtantiam, & eſſentiam contractus; & ideò non eſt ſimile, ut diſſerit Collegium Salmanticenſe *d. tract. 9. cap.* 10. *num.* 8.

Huic

Huic autem impedimento Erroris circa personam, Matrimonium dirimenti, duos alios casus adjungit Nicolius *Lucubrat. Civil. libr.* 1. *tit.* 10. *De Nuptiis num.* 33. ex
17 doctrina S. Thomæ *d.* 3. *part. quæst.* 58. *art.* 3. *&* 5. Videlicet, Amentiam, & defectum ætatis; in utroque enim casu ob defectum consensus invalidum est Matrimonium; & sicut ex errore nulliter contrahitur, quia qui errat, non consentit; sic amentes, seu fatui, atque impuberes, quia consentire legitimè non valent, dicuntur per errorem in substantiam contrahere invalidè.

Circa primum casum; Fatuitatis, Amentiæ, seu Stultitiæ plures sunt species, quas examinat, ac declarat Zacchias *in QQ. Medicolegal. lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 7. in qua *num.* 37. inquirit, an hoc morbo laborantes possint Matrimonium
18 contrahere? *& num.* 38. respondet, *quia magna est fatuitatis latitudo, rectè consultum puto, si Judicis arbitrio hæc decidenda relinquantur.* Illud est certum tum apud Medicos, tum apud Theologos, ac Juristas, quòd inter alias stultitiæ, ac fatuitatis species connumeratur A-
19 mor, & ideò Amantes de facili fiunt Amentes, teste eodem Zacchia *d. libr.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 10. *num.* 1. & ibi Barbosa in *Collect. DD. ad cap. Cum in juventute. num.* 5. *De Præsumpt.* & Tiraquell *de Pœnis temperan. cap.* 4. *num.* 1. Amor enim pervertit judicium rationis, ut ait Baldus *in l.* 2. *§. cum placuisset. ff. de Orig. Jur.* ipse Barbosa *in cap. Veniens. sub num.* 5. *De Sponsal.* & Mascardus *de Probat. conclus.* 86. *num.* 20. adeò ut, etsi discordes sint Medici in docendo, ac diffiniendo an Amor sit
20 passio vel hepatis, vel cordis, vel cerebri? communior tamen opinio est, Amoris passionem cerebrum afficere, quia ex nimia imaginatione in re amata lædit rationem, quæ ad cerebrum spectat; & sæpè sæpiùs ita vehementer, ut Amor vertatur in furorem, juxta illud, quod cecinit Virgilius *in Æneid.* de Didone, amore Æneæ vehementissimè capta:

Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens, qualis conjecta Cerva sagitta.

& hujusmodi furoris morbus fiat insanabilis, & incapax medicinæ, prout subjunxit Propertius 2.

Omnes humanos sanat Medicina dolores.
Solus amor morbi non amat artificem.

Quapropter cùm plura disseruerit de stultitia, ac furore Amantium, subdit ipse Zacchias *d. quæst.* 10. *num.* 43. *Ex quibus omnibus concludendum jure est, quòd Amor pra ceteris insanis à*
21 *ratione elongatur, & furori aquiparandus est; unde Amantes non minùs ac furentes, ex Medicorum consilio, ut ab eo furore curentur, catenis, & vinculis coercendi sunt, at flagellis edomandi;* & paulò infra *num.* 48. *Cùm Amor amentia absolute sit, omnia in amantibus locum habere debent, quæ in amentibus locum habent; absolutè enim furioso aquiparant.* Glossa *in §.* 1. *Instit. De Succes. subl.* Menochius *de Arbitr. cap.* 326. *num.* 1. Farinac. Caball. Mantica, & alii, ibi allegati. Et ut ad Materiam nostram revertamur circa nullitatem Matrimonii, quod contraheret amens Amans, ob defectum consensus, quem in æstro violento libidinis nulliter, & per errorem censetur
22 præstitisse, videndus est Gobatus *in Theolog. Experim. tract.* 10. *à num.* 23. *& seqq.* ubi examinat Ricii *Decis.* 15. *in part.* 2. *tom.* 2. in qua resolvit, non tenere promissionem Matrimonii factam ab Amante exigente copulam, & eam obtinente ab Amasia; quia reputatur promissio facta in furore libidinis absque consensu; circa quem plura cumulat ad cognoscendum an fuerit cum libertate animi, vel cum errore; citatque P. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 1. *num.* 20. ubi ponit plures regulas ad demonstrandam vel libertatem, vel errorem consensus. Quæstio est valdè dubia, & in praxi attendendæ sunt circumstantiæ; siquidem ipsemet Riccius *in Praxi resol.* 135. in hac facti specie resolvit, Matrimonium contractum inter excæcatos amore fuisse validum, nec potuisse dissolvi; ideòque quandocunque in praxi occurrat casus Matrimonii initi vel ab amante, nimio amoris venerei furore obsesso, vel à quocunque alio amente, stulto, seu delirante; legendus est Sanchez *de Matrim. libr.* 1. *disp.* 8. *à num.* 15. & *seqq.* ubi dat indicia, ac Doctores pro reperienda veritate circa deliberatum, vel indeliberatum consensum in hujusmodi amantibus, & amentibus. Sed nec ignorandum id, quod notat Nicolius *de libr.* 1. *tit.* 10. *sub n.* 33. nempè Sacram Congregationem Episcoporum respondisse *die* 11. *Decembris* 1615. *in Una Neapolitana fol.* 122. quòd si hujusmodi amentes, seu amantes contraxerint Matrimonium servatis servandis, deindè illud impugnent ex defectu consensus, & ob amentiam, non sunt separandi, nisi causa nullitatis concludenter probetur, & super ea sententia sequatur.

Alia ulteriùs dementiæ species est referenda, quæ quidem frequentior est, ac præ ceteris detestabilis, nempè ebrietas; hæc enim, quia mentem hominis deturbat, & eum usu rationis
23 privat, ac aufert consensum, ideò causat nullitatem Matrimonii, ab ebrio initi, ut firmat Sanchez *d. libr.* 1. *disp.* 8. *num.* 19. his verbis: *Ex dictis infertur, quid dicendum sit de ebrio; is enim, si ebrietatis tempore contrahat Matrimonium, ut Sponsalia, nihil facit; quia consensu libero, ac debita deliberatione caret. Sic Henricus in cap. Dilectus. De Sponsal. n.* 4. *S. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *cap.* 19. *ante §.* 1. *Convaruvias* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 2. *n.* 9. *& alii, qui id intelligunt, quando contrahens Matrimonium ita ebrius est, ut rationis usu orbatus sit.* Concordat Aversa *quæst.* 4. *sect.* 1. *Vers. Eodem modo*, & Zacchias *in QQ. Medicoleg. d. libr.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 11. *num.* 27. Ad cognoscendam autem ebrietatem, quæ nullum reddat Matrimonium, consideranda sunt indicia, seu signa, quæ notant Lessius *de Just. & Jur. libr.* 4. *cap.* 3. *n.* 30. Baldellus *lib.* 5. *disp.* 30. *num.* 140. *& seqq.* Reginaldus *libr.* 22. *n.* 57. Layman *libr.* 3. *sect.* 4. *num.* 5. & Gobatus *in Quinario tract.* 5. *cap* 21. *sect.* 1. *ubi n.* 11. refert, nullitatem Matrimonii agitatam in Consistorio Augustano, ex causa ebrietatis, de qua Advocati constare docebant, quia Sponsus, dum con-

contraxit, ita erat ebrius, & mente alienatus, ut ea fecerit, quæ antea semper cavit, & ideò non erat rationis compos. *cap. Cum apud. & cap. Illa.* 11. *quæst.* 3. & sic inferebant, quòd propter ebrietatem minimè esset idoneus ad consentiendum. *cap. Ex studiis. & cap. Mandata. De Præsumpt.*

Alter casus, quem Nicolius *d. libr.* 1. *tit.* 10. *num.* 33. adjungit Errori dirimenti Matrimonium ex defectu consensus, est defectus ætatis in contrahentibus; nam Masculi debent esse
24 puberes, mulieres verò Viripotentes; quod evenire solet Masculis post decimumquartum annum; fœminis verò post duodecimum; & ideò si ante illud tempus Matrimonium contrahant per verba de præsenti, contrahunt nulliter, & invalidè, & resolvitur contractus in pura Sponsalia de futuro; nisi fortè naturæ, & rationis vigor suppleret defectum ætatis. *cap. fin. De Desponsi. impub.* Undè Sacra Concilii Congregatio *in una Reatina* 14. *Junii* 1621. censuit, Matrimonium cum puella impubere, cui sex dies tantùm deerant ad complendum annum duodecimum, reputari nullum, nisi probetur, quòd tempore contracti Matrimonii malitia puellæ suppleret ætatem, ut refert Nicolius *d. num.* 33. de qua re videndus Narbona *de Ætate Anno Decimoquarto quæst.* 9. in qua DD. cumulat de hac ætate tractantes, & advertit, eam non esse præscriptam de Jure naturæ, sed ex jure positivo; ideòque Summum Ponti-
25 ficem, imò omnes Episcopos posse concedere, ut ante complementum prædictorum annorum Sponsi valeant contrahere Matrimonium de præsenti, quando sibi constet, in eis malitiam supplere defectum ætatis; quod etiam scribunt Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 17. & *lib.* 7. *disp.* 104. Reginald. *lib.* 31. *num.* 171. & Barbosa *in Collect. DD. ad cap. Puberis. num.* 5. *De Desponsi. Impuber* necnon *De Offic. & Pot. Episc. alleg.* 35. *num.* 20. Et hæc omnia dicta de prima specie Impedimenti *Erroris*, nempè de Errore personæ.

Altera species Erroris, est non circa personam, cum qua contrahitur Matrimonium, sed circa qualitates ejusdem personæ, ut si quis credat eam esse Nobilem, vel Divitem, vel Virginem; & inito Matrimonio reperiat, eam esse plebejam, inopem, vel corruptam. Et circa
26 hunc errorem Qualitatis omnes Scribentes firmant Regulam negativam, idest per illum non irritari Matrimonium ex *cap. Unic.* 29. *quæst.* 1. quam tamen statim limitant, nisi ipse error Qualitatis redundet in substantiam personæ: tunc enim formant Regulam affirmativam, & dicunt, hujusmodi errorem Qualitatis, in substantiam personæ redundantem, irritare, ac dirimere Matrimonium. Ita Sanchez *libr.* 7. *de Matrim. disp.* 28. *num.* 23. Thomas Tamburin. *eod. tract. libr.* 8. *cap.* 2. §. 1. *num.* 20 Basilius Pontius *libr.* 4. *cap.* 21. Aversa *quæst.* 12. *sect.* 1. *Vers. Deinde.* Gobatus *in Theolog. Experim. tract.* 9. *à num.* 108. *& seqq.* Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 10. *Dub.* 2. Mastrius *d. disp.* 7. *in* 4. *sent. num.* 390. Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 21. *art.* 4. *&* 5. & alii plurimi, quos allegat, & eorum verba refert Barbosa *in Votis Decisivis lib.* 2. *Vot.* 19. *à num.* 55. *& seqq.* ubi in puncto disputat de nullitate Matrimonii ob errorem qualitatis redundantem in substantiam; & supradictis addendus est Bissus *in Hierurgia tom.* 1. *Verb. Error. num.* 114. §. 5. ubi hæc habet:

Vel error circa qualitatem personæ respicit substantiam personæ, vel non. Si primum, utique talis error dirimit Matrimonium, quia idem est error circa qualitatem personæ, respicientem tamen substantiam ipsius personæ, ac si esset error directè circa substantiam; & sicut error circa substantiam personæ dirimit Matrimonium; ita etiam dirimit error circa qualitatem personæ, quæ ipsius personæ substantiam respiciat. At si error circa qualitatem personæ non respicit substantiam personæ, tunc non dirimit Matrimonium; quia non datur Error in Materia, circa quam Matrimonium versatur. Ita Bissus. Verùm ad cognoscendum, quando error redundet in substantiam personæ, adeò confusi,
27 & discordes sunt Doctores in assignanda regula, ut illi, qui se profitentur faciliores, in effectu obscuriores evadant, & quod multi afferunt de nullitate Matrimonii circa errorem qualitatis, alii affirment de validitate; itaut Sanchez in uno themate *d. libr.* 7. *disp.* 28. dicat Matrimonium non obstante errore qualitatis fuisse validum; è contra in eodem themate Pontius *d. libr.* 4. *cap.* 21. sustentet, esse invalidum; & similiter Matrimonia non obstante prædicto errore qualitatis approbata à Tamburino *d. libr.* 8. *cap.* 2. §. 2. reprobentur à Bonacina *ibidem* ab ipsomet Tamburino citato.

Igitur duæ regulæ sunt stabiliendæ à nobis, sub quibus vastissima hæc DD. disputatio restringatur; & aliqua certitudo, pro judicio ferendo circa nullitatem, vel validitatem Matrimonii cum errore qualitatis initi, indicetur. Una est; quando contrahens posuit illam qualitatem in conditione contractus; pura, duco te, si es filia Principis, aut Comitis, aut Marchionis: Vel si es dives, si es Virgo, & simi-
28 les qualitates: & in hoc casu, deficiente illa qualitate, deficit valor Matrimonii; nam consensus à contrahente datus fuit conditionatus, si habeatur illa qualitas; & ea deficiente, deficit conditio, nullus datus fuit consensus, & nullum remanet Matrimonium. Emin. Card. de Lauræ *disp.* 20. *num.* 19. *&* 30. Et Salmanticenses *d. cap.* 10. *num.* 9. ubi ita loquuntur: *Similiter est certum, quòd si aliquis formaliter, vel virtualiter velit contrahere sub illa conditione, quòd esset Virgo, nobilis, aut dives, ea deficiente, esset nullum Matrimonium, ut diximus de Matrimoniis contractis sub conditione de præsenti cap.* 7. *num.* 52. Ita Basilius *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 5. Aversa *quæst.* 12. *sect.* 1. *fol.* 500. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 18. *num.* 21. Bonacina *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 6. *& alii.* Igitur quando qualitas personæ deducta est in conditione, vel formaliter, vel saltem virtualiter, certa regula est, quòd deficiente illa qualitate, deficit valor Matrimonii; quod irritum, & nullum remanet ex defectu consensus.

Secunda Regula est, quando qualitas personæ non fuit deducta in conditione neque formaliter, neque virtualiter; sed tamen de ea

actum

actum est ante contractum Matrimonii; quia affirmarunt vel mediatores, vel ipsa persona cum
29 qua contrahitur, eam esse exempli gratia, *primogenitam, nobilem, divitem, virginem &c.* Et in hoc casu distinguere oportet. Vel contrahens intendit ducere in Uxorem hanc mulierem præsentem, quam credit habere illam qualitatem: Vel ob illam qualitatem, in quam principaliter dirigit mentem, intendit contrahere cum illa persona, quam ita qualificatam credit. In primo casu; error qualitatis non dirimit Matrimonium, quia primariò intendit ducere illam personam, secundariò reflectit ad qualitatem. In secundo casu Matrimonium est irritum, & nullum, quia principaliter intendit contrahere cum persona habente illam suppositam qualitatem; secundariò cum illa, cum qua contrahit, supponendo esse eamdem, cui insit illa qualitas. Ita Bissus *d. Verb. Error. §. 9.*
30 *& 10.* cujus verba juvat hic transcribere tanquam satis clara pro hujus regulæ intelligentia. Ait itaque §. 9. *Ex dictis colligi potest brevis, & facillima regula dignoscendi, quando nam qualitas transeat in substantiam personæ, & quando non. Attende sensum duarum Propositionum sequentium. Petrus contrahit cum hac Antonia præsente, quam putat esse primogenitam N Comitis.* Alio modo: *Petrus contrahere vult cum primogenita N. Comitis, putans eam esse Antoniam hic præsentem. Supponamus autem Antoniam fœminam præsentem in neutra propositione esse primogenitam N. Comitis, sed in utraque dari errorem circa primogenituram: Peto, in quanam propositione qualitas primogenituræ transit in substantiam personæ? Non in prima Propositione, quia in ea non determinatur persona per qualitatem primogenituræ, sed per præsentiam, quia supponimus, Petrum contrahere cum præsente. At verò in secunda propositione, sine dubio, primogenitura determinat personam, quia Petrus non contrahit cum præsente, sed cum Primogenita N. Comitis, quam putat esse hanc præsentem; quare solum consentit in Primogenitam N. Comitis, & nullo modo in præsentem, nisi in suppositione, quòd sit Primogenita N. Comitis.* Igitur in prima propositione error qualitatis non dirimit Matrimonium, quia non afficit substantiam personæ; in secunda propositione idem error dirimit, & nullum reddit Matrimonium; quia personæ substantiam afficit, & transit in illam; ut docent etiam consimili exemplo, etsi mutatis verbis, Mastrius *d disp. 7. n.* 390. *&* 392. Pontius, Bonacina, Sanchez, Reginaldus, Hostiensis, Antonius Cuccus, Navarrus, & alii plurimi, quorum verba, (omni spreto labore) transcribit Barbosa *d. lib. 2. Voto* 19. *à num.* 55. *& seqq.* qui omnes dant exemplum de aliqua muliere, quæ consentiret in Matrimonium cum uno, quem crederet Filium Regis, Principis, Comitis, aut alterius sublimis personæ; & deindè reperiret, non esse talem, sed hominem plebejum; omnes enim concludunt, Matrimonium illud esse irritum, & nullum ob impedimentum erroris qualitatis afficientis substantiam ipsius personæ.

Ad majorem intelligentiam hujus Erroris qualitatis valdè confert casus ille non fictus, sed factus, quem narrat Caramuel *in Theolog. Fundament. De Impedim. Erroris num.* 2018. in meo codice; & quem transcribit Gobatus *d. tract. 9. num.* 103. existentem, (ut ait) in ejus codice *Fundam. 70. n.* 1340. bis verbis: 31
Dalilam Fœminam alto nomine præditam reperit Romæ Sempronius homo Germanus, dives, sed non nobilis. Dicebat Dalia se Filiam Comitis à Liebenstein, fugisse Parentum tyrannidem, velle nubere. Cognoscebat Sempronius Comitem, sciebat habere filiam, quæ rigorem, & domum pertæsa ad Monialium asceterium confugerat. Credit hanc esse, & illam in Uxorem ducit. Revertitur in patriam opinione jam sua Comes factus; at ibi reperit Comitis filiam adhuc hærere apud Moniales! & hanc esse meretriculam quandam, quæ castæ, & nobilis Virginis nomen sumpserat. Quid faceret? Matrimonium esse nullum vociferatur. At Juristæ dicunt, fuisse errorem in qualitate (hoc est in divitiis, nobilitate, forma &c.) adeòque Matrimonium tenere. Me consuluit. Et ego sic quæstionem debere resolvi judicavi.

Quando nihil cogitans de Matrimonio ineundo vides puellam, quam audis esse prænobilem, paratam verò nubere etiam non nobili, modò hic sit pecuniosus; tu si probè nummatus concipias tunc primùm animum ducendi Uxorem, & hanc quidem, inductus unicè amore affinitatis cum illustri familia; accipiasque eandem ab illustri stemmate ita laudatam; non valens aliam æquè nobilem nancisci; & ne quidem cogitans de Matrimonio, nisi occasione, atque studio illius deprædicatæ nobilitatis; nemo negabit, quin finis tui Matrimonii sit conjunctio, seu affinitas cum illustri prosapia. Ergo Matrimonium se habet, ut Medium respectu prædictæ nobilitatis affinitatisque; & quidem unicum Medium, quia alia ratione nequis conjungi cum illo prænobili sanguine. Ergo nihil est, quod in hac muliere ames aut eligas, nisi nobilitas, aut propter nobilitatem hujus appendicis. Ergo si non adsit nobilitas, nihil est, quod in ea ames, aut eligas. Ergo quando erras in ipsamet substantia Qualitatis, nullum est in hujusmodi casu Matrimonium, quia nullus est contractus, in cujus materia, eligatur quidpiam. Hucusque Caramuel.

Ex cujus argumentatione, & decisione supradicti Casus, ipsemet Gobatus *d. tract. 9. num.* 113. format hanc aliam Regulam ad cognoscendum, quando error Qualitatis afficiat substantiam personæ, & irritet Matrimonium, videlicet: *Quando qualitas est finis Matrimonii, itaut Matrimonium sit unicum Me-* 32
dium ad finem illum assequendum, seu obtinendam illam qualitatem, tunc error qualitatis impedit valorem Matrimonii. Subindè idem Gobatus *num.* 114. sentit, Matrimonium prædicti Sempronii cum Dalia fuisse nullum, quia ejus primaria intentio, & præ-

puus finis fuit contrahere cum filia Comitis à Liebenstein ; & Matrimonium illud fuit electum præcisè , ut Medium, & quidem unicum perveniendi ad prædictam affinitatem, & parentelam. *Ergo* (ait) *si fuit* (*sicut revera fuit*) *erratum in substantia consanguinitatis, ac filiationis , qua se intimè copulatam Liebensteinensis mentiebatur Dalila, cùm nihil fuit in Dalila , quod amaretur* (concludit etiam Gobatus cum Caramuele) *aut eligeretur ; contractus Matrimonii fuit nullus.*

Illud autem est notandum, quòd in foro fori difficillimum est obtinere sententiam nullitatis Matrimonii ob errorem in qualitate personæ; ea ratione, quia ut scribit Eminentiss. Cardin.
33 de Lauræa *d. disp. 21. num. 50.* justè , & prudenter decrevit Ecclesia , ut legitur *in cap. Unic. 29. quæst. 1.* quòd error in qualitate non invalidet Matrimonium , ne confunderetur societas fidelium , pax communis turbaretur & familiæ remanerent expositæ odiis, & rixis, prout incessanter contingeret, si super hoc impedimento qualitatis non cognitæ dissolverentur conjugia ; quilibet enim post initas nuptias, facti pœnitens, assereret, se credidisse in corde suo qualitatem aliquam in conjuge , quam adesse non reperit, & ex ejus defectu prætenderet ob errorem qualitatis à Matrimonio resilire. Quamvis autem in foro poli esse possit irritum Matrimonium ob defectum qualitatis , cujus intuitu quis consensit in illud ; aliter tamen sententiandum est in foro fori ob motiva prædicta ; non est autem novum , ut ad tollenda gravia incommoda multa Matrimonia præsumantur valida in foro fori, quæ in foro poli talia non sunt , ut ait Glossa *in cap. Cum in Apostolica, & in cap. Is , qui. De Sponsalib.* atque in *cap. Ad Nostram. De Conjug. Servor.* Idcircò cauti sint qui in contrahendo Matrimonio ducuntur motivo alicujus qualitatis in conjuge ; & eam deducant expressè in pactum , & in conditionem , ad effectum , ut ea deficiente , possint sententiam nullitatis conjugii obtinere, ut diximus supra *num. 28.*

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Agitur de Impedimento dirimente quod vocatur *Conditio ;* & ostenditur, illud esse duplex : Unum Conditionis servilis: Alterum ob conventiones, seu pacta quibus potest Matrimonium iniri. Declaratur primum , præmissa origine servitutis, ac servorum , nec non eorum fine apud nos Christianos. Explicatur Secundum per quatuor genera conditionum; & clarè, ac facilè docetur , quando prædictæ omnes conditiones irritent Matrimonium ; vel ipsæ irritentur.

SUMMARIUM.

1 *Conditionis Vox denotat duo impedimenta dirimentia. Et quæ?*
2 *Conditio servilis ignorata est impedimentum dirimens.*
3 *Conditio servilis hominum quando habuit initium?*
4 *Quando habuerit finem Patavii & alibi?*
5 *Homines servi tanquam bestiæ veneunt apud Mahometanos.*
6 *Nullitas Matrimonii contracti cum persona serva ignorata.*
7 *Conditio servilis an dirimat Matrimonia Infidelium?*
8 *Conditio servilis quando non dirimat Matrimonium?* & num. 9.
10 *Nullum si sit Matrimonium an ratificandum sit coram Parocho, & testibus?*
11 *Domini an possint prohibere servis, ne nubant?*
12 *Condemnati ad triremes , & ad perpetuum carcerem an possint contrahere Matrimonium?*
13 *Conditionatus consensus an sufficiat ad Matrimonium?*
14 *Conditionata Matrimonia hodie à Parochis non sunt admittenda.*
15 *Conditionum genera quatuor circa Matrimonium, Et quæ?*
16 *Conditiones contrariæ substantiæ Matrimonii illud irritant. Et quæ sint?*
17 *Votum castitatis in conjugibus an sit contra bonum Prolis?*
18 *Conditiones honestæ contra substantiam Matrimonii an illud irritent?*
19 *Debitum conjugale reddendum si justè petatur.*
20 *Conditio negativè tantum se habens contra bonum prolis non irritat Nuptias.*
21 *Dominium corporum sufficit in Matrimonio, usu remoto.*
22 *Conditiones contra substantiam Matrimonii illud irritant Jure naturali.*
23 *Ignorantia impedimenti Matrimonialis an excuset à nullitate?*
24 *Conditio, ne Uxor lactet suam prolem, an irritet Matrimonium?*
25 *Silentium conjugis circa conditionem an faciat Matrimonium validum?*
26 *Conditiones turpes an irritent Matrimonium?*
27 *Impossibilium conditionum multiplicitas, ac declaratio.*
28 *Impossibiles conditiones an irritent Matrimonium?*
29 *Conditiones honestæ, & licitæ quando irritent Matrimonium.*
30 *Conditio si es legitima? & Uxor sit illegitima, irritat Matrimonium.*
31 *Conditio de futuro quando factat Matrimonium nullum?*
32 *Peccatum mortale est contrahere Matrimonium sub conditione. Et cur?*

SEcundum impedimentum dirimens est *Conditio ;* quæ Vox , tanquam impeditiva , & irritans Matrimonium, duas habet significationes. *Prima* est, quæ denotat personam servi- I lem , & libertate carentem , cum qua aliquis liber contrahit conjugium. *Altera* est , quæ innuit conditiones , seu requisita , pacta , aut conventiones ; sine quibus qui contrahunt nuptias,

ptias, intendunt eas non valere; sed esse irritas, nullas, & invalidas. Idcircò de utraque significatione in præsenti Decisione agemus ad declarationem impedimenti hujus dirimentis, quod vocatur *Conditio*.

Primò itaque hæc Vox *Conditio* significat conditionem servilem, quæ facit irritum Ma-2 trimonium, si contrahatur à libero homine cum persona existente in servitute; de qua notitiam non habebat. Circa hanc conditionem servilem, quæ apud nos est ampliùs in usu; notare licet principium, & finem. Initium habuit servilis conditio, & introducta est servitus hominum ferè statim post diluvium, ut constat 3 ex verbis Noe *Genes.* 9. 26. cum quibus punivit impudentiam filii sui Cham, qui eum nudum dormientem, & à vino oppressum inspexerat, & irriserat, dicens: *Benedictus Dominus Deus Sem; sitque Chanaan servus ejus. Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem; sitque Chanaan servus ejus.* Undè paulò post descendentes à Cham cœperunt fieri servi, & redigi in servitutem ab illis, qui de stirpe Semi, & Japheti erant; sicque servitus hominum originem habuit Anno 1671. à creatione mundi; ad quem Annum Salianus *num.* 11. ita scribit: *Habes hoc primùm loco inductam in pœnam peccati servitutem, naturæ juri repugnantem, quæ exigit, ut libertate, qua quisque naturaliter donatus est, potiatur; & laborem, atque industriam suam in propriam utilitatem convertat: cùm servorum sit, non secus atque equorum, & asinorum in unius Heri utilitatem desudare, nulla utilitate sua.* Hinc de Abraham, qui natus est ab eadem creatione Mundi Anno 2039. legitur in *Genes.* 12. 16. quòd *fuerunt ei oves, & boves, & asini, & servi, & famulæ.* En quàm antiqua est infelix conditio hominum, qui in servitute, & sub potestate aliorum coacti erant vivere. Quo verò ad finem miserrimæ hujus conditionis servilis apud nos, & in his regionibus nostris, observo eam defecisse post Sæculum duodecimum circiter à Nativitate Christi; duravit enim servitus hominum in hac Civitate Paduæ usque *ad Annum* 1200. si-4 quidem in Libro Privilegiorum Illustrissimi, ac Reverendissimi Capituli hujus Ecclesiæ Cathedralis *ad pag.* 41. notatum est Testamentum conditum *Anno* 1195. ab Henrico Canonico Paduano, in quo inter cætera legavit libertatem Balduino servo suo verbis istis: *Balduinum servum suum liberum dimisit cum omni peculio suo; & eum ab omni vinculo servitutis absolvit; & jus patronatus ei remisit.* Apud Svecos, & in toto illo amplissimo Regno conditio servorum duravit per totum Annum 1300. tunc enim, ut scribit P. Antonius Foresti *in suo Mappamundo Historico tom. 5. part. 2. pag.* 99. *Ann.* 1302. *il Maresciallo Torchillo prima di sgravarsi dal peso della Reggenza, giudicò spediente il riformare le Leggi del Regno; una delle quali commandava, che più non si potessero comperare, ò vendere huomini di qualunque conditione si fossero, non essendo ragionevole, che un Christiano vendesse l' altro, mentre Christo gl' haveva communemente col proprio Sangue redenti.* Pœna hæc servitutis hominum nunc ablata est à Deo inter nos Christianos ferè per Europam totam: at in Asia, Aphrica, & America perseverat adhuc, ut constat legentibus Historias, ac Itinera per illas Orbis partes. In Libro itinerario Domini Gabrielis Bremond, typis impresso Bononiæ Anno 1680. *libr. 1. cap. 8. pag.* 49. hæc habentur circa Urbis Cayri descriptionem; *Vicino è un altro Han* (cioè gran casamento) *ove si tengono gli Schiavi bianchi da vendere; & un poco più lontano uno de Schiavi neri, essendo tutti nudi esposti à gl' occhi di tutti. Dietro al Han Kalil vi è una picciola strada senza esito, ove il dì del mercato si conducono tutti detti Schiavi, Maschi, Femine à vendere; e lì si possono vedere tutti nudi, e maneggiarli per conoscere le loro infermità, bontà, e bellezza, e li ordinano in fila sì come le bestie.* Infelicitas lacrymabilis conditionis humanæ!

Igitur si quis homo liber, & ingenuus contrahat Matrimonium cum ancilla, idest cum muliere servilis conditionis, ignorans eam esse servam; vel è contra si mulier libera celebret conjugium cum homine servo, nesciens eum 6 esse talem, & credens illum esse liberum; Matrimonium est nullum, irritum, & invalidum juxta *text. in cap. Si fœmina. 29. q. 2. & in cap. fin. De Conjug. Servor.* Ratio est ob errorem conditionis personæ servilis, cum quo ille, qui liber est, eam duxit; ex contracto enim Matrimonio cum persona in servitute existenti, gravis injuria fit conjugi libero; & læditur bonum prolis, quæ non potest commodè nutriri, & educari; cùm omnia, quæ servus acquirit, domino acquirat; & tandem adversatur mutuæ cohabitationi; cùm servus debeat in domo Domini habitare, & ab eo possit in remotas partes mitti. Accedit, quòd error tollit consensum, quia fertur absolutè in objectum existimatum; & ab alio avertit agentem omninò. *l. Si quis per errorem. ff. De Jurisd. l. Nihil tam contrarium. ff. De Reg. Jur.* quare error in corpore vitiat omnes contractus. *l. Quod tamen. 14. l. In venditionibus. 69. ff. De Contrahend. Emption.* undè his omnibus de causis justè statutum est ab Ecclesia, ut error conditionis servilis omninò irritet Matrimonium. S. Thomas *in 4. dist. 30. quæst. Unic. art. 1.* & in *addit. 3. p. q. 52. art. 1* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 19.* Basilius Pontius *libr. 7. cap. 43.* Aversa *quæst. 12. sect. 2. Vers. Secundò*, & aliis omissis Salmanticenses *tract. 9. de Matrimonio cap. 10. num. 21.* qui omnes advertunt, impedimentum hoc non esse de Jure naturali; sed ex solo Jure Ecclesiastico positivo, etsi valdè conformi Juri naturæ ob rationes suprarelatas; & hoc idem docet Gonzalez *in Comment. ad cap. ult. de Conjug. Servor. num. 3.* subdens, quòd inter infideles impedimentum hoc vim non habet; & ideò si inter 7 eos persona libera contrahat ignoranter Matrimonium cum serva, Matrimonium est validum; & citat pro hac opinione Sanchezium *d. disp. 19. n. 16.* Rebellium *lib. 3. q. 3. sect. 2. n. 13.* & Arniscum *de Jure Connubior. c. 3. sect. 3.* Non desunt tamen Doctores, ac rationes in contrarium,

quas cumulant Salmanticenses *d. cap.* 10. *num.* 24. & ibi Sylvester *Verb. Matrimonium.* 3 *q.* 1. Layman *libr.* 5. *tract.* 10 *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. & alii qui etiam apud infideles ignoratam servitutem irritare, ajunt, connubia ex rationibus, ibi per studiosos videndis.

Plures autem quæstiones, ac dubia movent, & examinant Theologi circa hoc impedimentum dirimens conditionis servilis, quas hìc recensere superfluum arbitror; cùm, ut dixi, usus
8 mancipiorum, & servitutum, ex Dei benignitate, apud nos Christi fideles, non reperiatur. Cæterùm, ne Clerus noster eorundem dubiorum sit penitùs ignarus, ea summatim annotabo. Primum est, an liber homo contrahens ignoranter cum ancilla, si paratus esset eam ducere, etiamsi sciviſſet ejus conditionem servilem, an inquam in hoc casu Matrimonium esset validum? Alii DD. affirmant, alii negant, quia ad valorem Matrimonii requiritur actualis consensus liber ab errore. S. Antoninus 3. *p. tit.* 11. *cap.* 3 Candidus *disquiſit.* 28 *art.* 3. *dub.* 2, & alii apud Salmanticenses *d. cap.* 10. *num.* 22. Secundum dubium est, Quid juris si quis liber contrahat cum libera, quam credebat esse ancillam? Vel si ancilla nubat servo, quem putabat esse liberum? Et in utroque casu respondent DD. Matrimonium esse validum, quia in neutro, qui errat, deteriorat suam conditionem. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 19. *num.* 23. Aversa *d. q.* 12. *sect.* 12. *Vers. Septimò; & Vers. Octavò.* Salmanticenses *d cap.* 10. *num.* 23. Tertium dubium est; an hoc impedimentum servilis conditionis dirimat Matrimonium, si error sit vincibilis, & crassissimus? Quòd non dirimat, respondet Sotus in 4. *dist.* 35. *q.* 1. *art.* 2 & alii apud Sanchezium *d. disp* 19. *num.* 20. qui tamen cum DD. ibi per eum allegatis, tenet, quòd dirimat; nam qualiscunque ignorantia tollit voluntarium; & per consequens destruit consensum formalem, & liberum, qui requiritur ad validitatem Matrimonii; & ita docent etiam Salmanticenses *d cap* 10. *num.* 28. Quartum dubium est, an attenta nullitate conjugii per conditionem servilem ignoranter contracti, si conjux liber contenteturstare in illo Matrimonio, alter conjux servus possit ab eo resilire, vel teneatur in eo remanere? Multi multa dicunt, sed dubium sub distinctione resolvunt: si servus contraxit cum libero fraudulenter, & data opera cum decipiendo non potest resilire, si liber velit in Matrimonio permanere: at si bona fide, & absque fraude contraxit, potest, si vult, attenta nullitate contractus, ab eo recedere. Ita DD. apud Salmanticenses *d. cap.* 10 *num.* 31. Quintum dubium est in hoc impedimento, si liber conjux velit à Matrimonio resilire, utrùm ipse admittendus sit ad probandum, quòd per errorem contraxerit? vel uxor ancilla probare debeat, quòd scienter eam duxerit? Alii dicunt, liberum conjugem teneri ad probandam suam ignorantiam *ex cap. fin. de Conjug. servor.* Alii ancillam posse probare, quòd habebat notitiam suæ conditionis servilis *arg. tex. in cap.* 1. *De Postulat. Prælat.* & *in cap. Quod dictis. dist.* 26. Salmanticenses citant pro utraque opinione DD. *in d. cap.* 10. *num.* 32. Ego dicerem, utrique conjugi esse assignandas probationes, ut clariùs veritas cognoscatur à Judice, qui sententiam est laturus super nullitate, vel validitate illius Matrimonii. Sextum dubium est, an dentur casus, in quibus validum sit Matrimonium contractum ab uno conjuge libero cum altero conjuge in servitute posito? Et respondent DD. dari quatuor casus. 1. Si dominus faciat Instrumentum dotale ancillæ suæ, vel servo, nam per hoc censetur eos liberos facere,9 *l. Unica. C. de Latin. libert.* 2. Si Patronus accipiat ancillam suam in Uxorem, vel domina nubat servo suo. 3. Si dominus conjugis in sua servitute existentis tractet ipse Matrimonium, & det eundem suum servum, vel ancillam in Matrimonium personæ liberæ, tacens, & nihil dicens de ejus conditione servili. 4. Si persona libera spontè, ac sciens nubat personæ in servitute existenti; in his enim omnibus casibus Matrimonium est validum, ut fusè differunt Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 19. & 20. Basilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 44. Aversa *d. quæst.* 12. *sect.* 2. & alii quos referunt Salmanticenses *d. cap.* 10. *à num.* 33. *& seqq.* Noviſſimè Justus *de Dispensat. Matrim. libr.* 2. *cap.* 13. *n.* 14. *& seqq. usque ad num.* 30. Septimum dubium est, si inito nulliter Matrimonio inter conjugem liberum cum servo ob ignoratam ejus servilem conditionem, & conjux liber velit continuare in conjugio; an satis sit ejus tacitus consensus, & actus conjugii exerciti post cogitam servitutem, vel opus sit novo explicito consensu coram Parocho, & testibus præstando? Emin. Card.10 de Lauræa tenet, esse necessarium novum consensum coram Parocho, & testibus. Ita *in disp.* 21. *in Matrimon. art.* 2. Mastrius verò ait, sufficere tacitum consensum, si priùs præstiterat illum coram Parocho, & testibus; *disp.* 7. *num* 401. At in praxi non esset discedendum ab opinione ejusdem Emin. Card. de Lauræa; quia ratificatio Matrimonii invalidi semper est facienda coram proprio Parocho, & testibus, ut decisum est à Rota Romana coram Ludovisio *Decis.* 395. & coram Seraphino *Decis.* 900. & bene advertit Basilius Pontius *de Matrimon. lib.* 5. *cap.* 6. quamvis contrarium scribat Gobatus *tract.* 9. *num.* 500. & *tract.* 10. *n* 415. cùm non viderit Decisiones Rotales, quæ prævalent opinionibus privatorum Doctorum. Menochius *consil.* 1196. *num.* 2. & Loterius *de Re Benefic. libr.* 1. *quæst.* 1. *num.* 80. Tantò magis, quia idem quod à Rota decisum, declaratum est etiam à Sacra Congregatione Concilii, ut testatur Fagnanus *in cap. fin. de Condit. appositis num.* 26.

Duo autem veniunt observanda à studiosis pro integra cognitione hujus impedimenti dirimentis Matrimonium ob servilem conditionem. *Unum* est, quòd Domini prohibere11 non possunt servis suis, neque eos impedire ne contrahant Matrimonium; & ratio est, quia jure naturali, & divino singuli homines habent facultatem, & libertatem ineundi conjugia ad propagationem humanæ speciei, & in remedium propriæ concupiscentiæ, qua facultate

cultate nullo jure humano possunt spoliari; neque potestas Domini in servum huic naturali facultati prævalere potest, à quo solita obsequia tantummodò exigere potest. Sanchez *d. lib. 7. disp. 21. num. 3.* Aversa *q. 3. sect. 7. Vers. In hoc tamen;* & legitur decisum *in cap. 1. De Conjug. servor.* atque bene notatur à Justo *d. libr. 2. De Dispensat. Matrim. cap. 13. num. 27.* Alterum est, quòd singulariter advertit Mastrius *d. disp. 7. num. 402. in fine;* videlicet hoc conditionis servilis impedimentum dirimens reperiri etiam in hominibus liberis, sed à Judice condemnatis ad triremes, vel ad carcerem in perpetuum, ac tota eorum vita
12 durante; hi enim sunt servi pœnæ, & ideò si sub aliquo prætextu, aut colore contraherent Matrimonium cum aliqua muliere ignorante eorum condemnationem, nullum, & irritum esset Matrimonium; quod est menti tenendum; nam potest in praxi hic casus evenire. Et hæc satis de conditione servili dirimente Matrimonium.

Secunda significatio hujus vocis *Conditio* innuit pacta, conventiones, ac requisita, sub quibus aliquando ab aliquibus contrahitur Matri-
13 monium; quæ si non verificentur, contractus est nullus, ob defectum consensus in eo præstiti, non absoluti, sed conditionati. De his conditionibus tam multa differunt Sanchez *lib. 5. de Matrim.* in novem integris disputationibus, Basilius Pontius *toto libr. 3.* per capita XVII. Aversa *tota Quæst. V.* in paginis XVI. &, ut de aliis taceam, Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 7.* in quo se diffundunt per folia integra octo; ut impatientiam provocent in eis legendis; attentis maximè pluribus ineptiis, ac inutilibus quæsitis, & dubitationibus circa ridiculas plurimas conditiones; tantò magis, quia iidem Salmanticenses *d. cap. 7. in princ. & num. 8.* protestantur, quòd
14 post Concilium Tridentinum Parochi, coram quibus sunt contrahenda Matrimonia, non sunt ab eis admittenda sub conditionibus, sed admonendi contrahentes, (quatenùs conditionatè vellent inire conjugium) ut expectent adimplementum prætensæ conditionis, & interim contenti sint celebrare Sponsalia tantummodò de futuro. Quapropter nos in præsenti Decisione, cùm consulamus studio practico Parochorum, ea quæ scitu necessaria sunt circa consensum conditionatum, ex quo impedimentum dirimens Matrimonium exurgere potest, solummodò, omni possibili brevitate, inseremus. Igitur sci-
15 endum, quòd Conditiones omnes reducuntur ad quatuor genera, adeò ut Aliæ sint contrariæ substantiæ Matrimonii, & bonis ejus. Aliæ sint turpes, sed substantiæ Matrimonii non contrariæ. Aliæ sint Impossibiles. Et Aliæ sint honestæ, & possibiles, quæ subdividuntur in tres species, itaut aliæ sint de præterito, aliæ de præsenti, & aliæ de futuro.

Primum genus continet conditiones contrarias substantiæ Matrimonii, & bonis ejus; cum-
16 que bona Matrimonii sint tria, *Proles, Fides, & Sacramentum;* si in ineundo conjugio apponatur aliqua conditio contraria uni ex his tribus bonis, irritat Matrimonium, tanquam incompatibilis, imò destructiva substantiæ Matrimonialis. Sint Exempla. Duco te in Uxorem, sed cum hac conditione, *si generationem prolis evites.* Vel *si prolem ex nobis nascituram suffocaveris.* Vel *si poculum sterilitatis sumpseris.* Hæ enim omnes conditiones destructivæ prolis, quæ est unum ex tribus bonis Matrimonii, adversantur ejus substantiæ, & illud dirimunt, ac irritum faciunt. Pariter sit exemplum conditionis contra secundum bonum Matrimonii, quod est Fides: *Duco te in Uxorem, si pro quæstu ad adulterandum te tradas.* Etenim hæc quoque conditio irritat Matrimonium, quia destruit fidelitatem, quam conjuges sibi servare debent, & quæ est de substantia Matrimonii. Item exemplificatur de conditione contra tertium bonum Matrimonii, quod dicitur Sacramentum, idest ejus indissolubilitatem, & perpetuitatem: *Duco te in Uxorem, donec inveniam aliam te ditiorem, seu pulchriorem;* irritat etiam hæc Matrimonium, quia destruit ejus substantiam. Et hæ conditiones esse Matrimonii irritativas, & destructivas statutum est *in cap. fin. De Conditionib. appositis.* ubi Summus Pontifex Gregorius Nonus ita decrevit: *Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas, Matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.* Ratio autem, cur prædictæ conditiones irritent Matrimonium, est, quia non censetur consentire in ipsum, qui ejus substantiam impugnat, & destruit; videlicet prædicta tria bona, quæ sunt substantialia conjugii; ut de Prole habetur *in cap. Aliquando 32. q. 5.* de fide, seu fidelitate inter conjuges servanda *in cap. Solet. 32. qu. 2.* & in *cap. fin. 32. q. 6.* de Sacramento, hoc est de perpetuitate *in cap. Quos Deus. 33. q. 2.* & *in cap. Illud. De Præsumptionib.* Idcircò communis est omnium Theologorum, & Canonistarum doctrina, quòd omnes conditiones destruentes substantiam Matrimonii; & ejus tria bona prædicta, faciunt impedimentum dirimens. S. Thomas *in 4. dist. 29. q. Unic. art. 3. quæst. unic. 3.* & in *addit. 3. part. q. 47. art. 5.* Sanchez *libr. 5. disp. 9. num. 3.* Aversa *q. 5. sect. 5.* Basilius Pontius *libr. 3. cap. 9.* & alii, quos cumulant Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. c. 7. num. 87.* quibus addendi sunt Mastrius *in 4. disp. 7. num. 160* Emin. Card. de Lauræa *de Matrimon. disp. 20. art. 1.* per totum; Fagnanus *in Comment. ad d. cap. fin. de Condit. appos. à num. 1. & seqq.* atque Emanuel Gonzalez ad *eundem text. num. 3. tom. 4.*

Sed contra prædicta aliquis objiciet: Matrimonium initum in habentes votum perpetuum castitatis, & sibi ipsis spondentes illud
17 servare etiam post contractum Matrimonium, est validum; ut ex exemplis per nos adductis supra *Decis. 2. num. 16.* & ex rationibus validitatis conjugii DEIPARÆ cum Sancto JOSEPH, etsi eorum Vota perpetuæ Virginitatis servare adinvicem sibi spoponderint, *Decis. III. numer. 19. & seqq.* Sed conditio servandi Votum perpetuæ castitatis

est

est contra bonum Prolis, & sic contra substantiam Matrimonii: Ergo malè videtur decisum *in cit. cap. fin. de Condit. appos.* quòd conditio contra bonum prolis sit contra substantiam Matrimonii, & illud faciat irritum, invalidum, & nullum. Contra hanc objectionem dantur resolutiones quatuor.

Prima est, quòd Gregorius Nonus decrevit Matrimonium esse nullum, & irritum per conditiones contra ejus substantiam, seu bona apposita, si sint inhonestæ; secùs autem si honestæ sint, prout illa de servando Voto castitatis. Ita Vasquez *disp.* 195. *cap.* 6. *num.* 63. Basilius Pontius *libr.* 3. *cap.* 11. *n.* 6. ubi plurimos sic respondentes allegat; prout faciunt etiam Salmanticenses *d. cap.* 7. *num.* 93. hanc rationem reddentes: Quia si ante Matrimonium mutuo Voto conjuges se adstringerent castitatis, obligarentur ad non petendum, nec reddendum debitum, similiter si se Voto Religionis obligarent; & tamen validè Matrimonium inirent. Ergo idem dicendum, si contraherent sub conditione se numquam carnaliter cognoscendi. Item si post Matrimonium se mutuò obligarent ad castitatem servandam, vel ad ingressum in Religionem, Matrimonium non dissolveretur. Ergo similiter si ante Matrimonium id facerent. 18

Secunda resolutio prædictæ objectionis est; quòd Matrimonium solummodò includit obligationem reddendi debitum, quoties justè fuerit petitum. At ex suppositione præcedentis Voti castitatis ante conjugium manifestati; & cum conditione illud servandi in contractu Matrimonii posità, non justè petitur debitum: Ergo dicta conditio non habet vim dirimendi, quia non est contra Jus alterius conjugis circà petitionem debiti. Ita Castropalaus *de Matrimon. disp.* 2. *punct.* 11. §. 4. *num.* 6. 19

Tertia resolutio. Illud est contra substantiam Matrimonii, quod positivè ponitur contra aliquod bonum ipsius, ut *si prolem occides, si venenum sterilitatis procures*; non autem id quod negativè tantùm se habet; ut in habentibus Votum castitatis, & ejus observantiam sub conditione ponentibus: ita Pontius *d. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. 20

Quarta verò resolutio, quæ magis germana, & communis reputatur, est illa, quam ponit doctissimus Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 162. his verbis: *Quia* (inquit) *essentia Matrimonii consistit in mutuo dominio, & subjectione corporum per ordinem ad usum Matrimonii; sed potest subsistere dominium, & subjectio corporum cum prædicta obligatione; cum enim dominium distinguatur ab usu, potest verum dominium subsistere cum obligatione, seu conditione, non utendi reipsa.* Quod latiùs explicat *sub num.* 163. ostendens, habentes Votum perpetuæ castitatis, & contrahentes Matrimonium sub conditione illud servandi, nullum ejus bonum offendere; non bonum Sacramenti, quia perpetuò simul vivere volunt: non bonum fidei, quia corpus suum alteri non tradunt: non bonum prolis, *quia* (ait) *contrahentes non se obligant ad Prolem impediendam per media illicita, quod solum impedimentum substantiæ Matrimonii repugnat, non autem per media licita, ut per Votum castitatis mutuo consensu emissum, vel per Religionis ingressum; & de tali prolis impedimento loquitur Pontifex in eo cap. fin. & intellexit conditionem appositam de evitanda, seu impedienda generatione, habendo tamen copulam, & procurando per venena sterilitatem, aut abortum, & similia.* Hinc valida fuerunt Matrimonia illorum, qui cum pacto servandi perpetuam castitatem contraxerant, ut probavimus. *d. Decis. II.* & *Decis. III.* 21

Cæterùm circa prædictas conditiones Matrimonium dirimentes, & ejus substantiam inimicantes, nonnullas illationes Doctores faciunt, satis notatu dignas, & sunt sequentes. Una, quod ex iisdem conditionibus irritatur Matrimonium non ex solo Jure Canonico, sed etiam ex Jure naturali; quia de Jure naturæ quidquid destruit substantiam contractus, irritat ipsum contractum; cumque prædictæ conditiones destruant substantiam Matrimonii consistentem in illis tribus bonis Prolis, Fidei, & Sacramenti; de Jure naturæ irritant Matrimonium. Ita Sanchez *d. libr.* 5. *disp.* 9. *num.* 3. & Salmanticenses *d. cap.* 7. *num.* 87. ex qua illatione inexcusabilis fit ineptia illà, quam iidem Salmanticenses referunt *d. cap.* 7. *n.* 26. assertam à Sanchesio, & aliis Theologis de Matrimonio scribentibus, scilicet opus esse, ut contrahentes cum conditionibus contrariis substantiæ Matrimonii notitiam habeant Juris Canonici in *d. cap. fin. de Condit. appos.* ad hoc ut Matrimonium sit irritum; aliàs si illud ignorent, conjugium erit validum; hoc enim est ineptè dictum, stante Juris axiomate, quòd ignorantia Juris neminem excusat, & præsertim Juris naturalis, & circà impedimenta Matrimonium dirimentia; ut bene advertit Fagnanus *tom.* 5. *in cap. Ex parte. num.* 12. *de Regular.* his verbis: *Et re vera maximum absurdum esset, si in hac materia tam gravi Matrimonii admitteretur ab Ecclesia exceptio ignorantiæ Juris; nam hoc prætextu liceret contrahentibus Matrimonium, aut Sacros Ordines suscipientibus allegare defectum consensus ob juris ignorantiam; quod abhorrent Sacri Canones. cap. Presbyterum. 28. dist. cap. Ad id, quod. Et cap. Is, qui fidem. ubi DD. de Sponsalib.* 22 23

Altera illatio est, quòd si quis ineat Matrimonium cum hac conditione, ut ipsa Uxor non educet prolem nasciturum, sed eam aliis tradat lactandam, educandam, seu nutriendam, Matrimonium valet, nec irritum dici potest. Basilius Pontius *d. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 3. Sanchez *d. lib.* 5. *disp.* 9. *num.* 13. & Salmanticenses *d. cap.* 7. *num.* 88. ubi nonnullos contrarium opinantes allegant. Et Tertia illatio dicit, quod si unus conjux contrahat cum aliqua conditione contraria substantiæ Matrimonii, vel uni ex tribus bonis ejus; sed alter conjux eandem conditionem nec respuat, nec acceptet; sed de ea nihil dicendo, ineat Matrimonium; in hoc casu non erit irritum, sed validum. Sanchez *d. disp.* 13. *num.* 5. Fagnanus in *d. cap. fin. num.* 4. *de Condit. appos.* ea ratione quia tacens censetur 24 25 contradicere favore Matrimonii. *cap. Per tuas. eod. tit.* & allegat plures Canonistas ita sentientes.

tientes; subdens *num.* 5. quòd iidem Scribentes consulunt, ut cautæ sunt mulieres, ut dum Viri apponunt conditiones contra substantiam Matrimonii, taceant, & nihil respondeant, nam sequuta copula Matrimonium est indissolubile. Sed hæc satis de his conditionibus destruentibus substantiam Matrimonii.

Secundum genus conditionum continet illas, quæ vocantur turpes, sed substantiæ Matrimonii non sunt contrariæ. Hujusmodi sunt, Ex-
26 empli gratia, *duco te in Uxorem, si talem pecuniam furaberis*, vel *si talem Virum occideris, si Religionem Calvinisticam amplexa fueris*; & similes; quas quidem non irritare Matrimonium; sed ipsas irritari, & pro non adjectis haberi omnes Theologi, atque Canonistæ advertunt juxta eandem Decretalem Gregorii Noni *in cap. fin. De Condit. apposit.* ubi in fine subdit: *Licèt conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Et ideò sic docent Eminentiss. Cardin. de Lugo *De contractib. in genere disp.* 20. *sect.* 14. *num.* 369. Sanchez *d. libr.* 5. *disp.* 15. Basilius Pontius *libr.* 3. *cap.* 5. Aversa *quæst.* 5. *sect.* 5. Mastrius *d. disp.* 7. *n.* 158. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Matrim. disp.* 20. *art.* 2. *§.* 5. & Salmanticenses *d. cap.* 7. *de Matrim. punct.* 6. *num.* 101. *&* 102. quibus tamen in locis omnes concorditer volunt, quòd si contrahens cum conditione turpi hoc animo contrahat, ut nolit consensum præstare, nisi conditio illa sit posita in esse, Matrimonium ex tunc in re non est validum, ea ratione quia essentia Matrimonii subsistere nequit sine consensu. *cap. Sufficiat.* 27. *quæst.* 2. Ergo si ad positionem efficacem consensus aliquis exigat rem aliquam, quæcunque illa sit, consensus non est efficax, neque completus, nisi res illa posita sit. *cap. Tua fraternitatis. De Sponsal.* ibi: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum.* At si contrahens modo prædicto habuerit animum absolutum contrahendi, & ex joco conditionem turpem apposuerit, absque mora Matrimonium est validum in utroque foro; & casu quo dubium sit, an ex joco vel non nisi adimpleta turpi conditione consentire voluerit in Matrimonium, in foro externo præsumitur ex joco adjectam fuisse, & Matrimonium habetur validum; nam ab Ecclesia præsumitur, quòd nemo velit Sacramentum sumere cum peccato mortali, ut fusiùs differunt Emin. Card. de Lauræa *d.* §. 5. & Salmanticenses *d. cap.* 7. *num.* 102. *&* *n.* 103. ubi notant, hæc omnia esse intelligenda de conditionibus turpibus de futuro; quia si forent de præterito, aut de præsenti, si veræ sunt, Matrimonium valet; at si veræ non essent, irritum omninò ex defectu consensus remaneret.

Tertium genus complectitur conditiones impossibiles, circa quas advertere oportet, im-
27 possibilitatem provenire posse à diversis principiis; ideò aliæ conditiones dicuntur impossibiles à natura, ut *Contraho tecum, si cælum digito tetigeris.* Aliæ sunt impossibiles ex jure, ut *Contraho tecum, si licet uxorem ducere consanguineam in quarto gradu.* Aliæ sunt impossibiles de facto, ut si quis dicat mulieri pauperi, *Contraho Matrimonium tecum, si dederis mihi decem millia Ducatorum.* Aliæ sunt impossibiles ex suppositione, ut si contrahens cum muliere corrupta dicat, *Contraho tecum, si Virgo existis*, vel si dicat, *Contraho tecum, si pater tuus vivit*; qui tamen jam multò ante mortuus sit. His prænotatis, Regula est, quòd hæ conditiones impossibiles non irritant Matrimonium, sed ipsæ irritantur, & 28
habentur pro non adjectis, ut definitum est *in cit. cap. fin. De Condition. appolit.* favore ipsius Matrimonii; ad exemplum ultimarum voluntatum, atque legatorum, quorum favore conditiones impossibiles rejiciuntur, & pro non adjectis censentur. *l. Obtinuit. ff. de Condit. & demonstrat.* nec non §. *Impossibilis. Instit. De Hæredib. instit.* quamvis in aliis contractibus contrarium sit de Jure statutum, siquidem ubi fiunt cum conditione impossibili, contractus ipsi irriti, nulli, & invalidi remanent. *l. Impossibilis. ff. de Verb. Oblig.* prout etiam *in §. Si impossibilis. Instit. De Inutilib. Stipulat.* Fagnan. *in d. cap. fin. num.* 10.

Duæ tamen limitationes dant Doctores Regulæ supradictæ. Una est, quòd uterque conjux contrahens cum conditione impossibili, sciat, & cognoscat, ipsam conditionem esse impossibilem; quandoquidem si uterque, aut unus eorum crederet, eam conditionem esse possibilem, in hoc casu Matrimonium esset irritum, & nullum. Ita Sanchez *d. libr.* 5. *disp.* 3 *num.* 9. Basilius *d. libr.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. & Salmanticenses, alios allegantes, *d. cap.* 7. *num.* 22. ubi dicunt, Gregorium Nonum *in cit. cap. fin. de Condit. apposit.* rejicere conditiones impossibiles cognitas, & manifestas iisdem contrahentibus, secùs autem si illas non cognoscant, & credant esse possibiles; tunc enim Matrimonium stat in suspenso usque ad complementum conditionis, quæ postea cùm appareat impossibilis, cessat obligatio exequendi contractum, & sic Matrimonium remanet nullum. Altera limitatio est, quod à contrahente conditio impossibilis apponatur ità seriò, ac determinatè, ut sub ea tantùm consentire velit; tunc Matrimonium irritum remanet ex defectu consensus, à quo omninò pendet valor Matrimonii. Quòd si dubium remaneret, an seriò, vel ex joco adjecta fuerit impossibilis illa conditio, in hoc casu præsumitur ex joco, itaut illa irrita censeatur, Matrimonium verò sit validum juxta prædictum *cap. fin. De Condit. apposit.* ut latè ostendunt Sanchez *d. libr.* 5. *disp.* 3. *num.* 16. Basilius Pontius *d. libr.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. Aversa *d. q.* 5. *sect.* 4. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 154. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 20. *art.* 2. § 3. *&* §. 4. atque Salmanticenses *d. cap.* 7. *num.* 23.

Quartum tandem conditionum genus amplectitur conditiones licitas, atque honestas; quæ subdividuntur in tres species, quatenùs aliæ dicuntur de præterito, aliæ de præsenti, & aliæ de futuro; circa quas etsi plura, & quidem tædiosa nimis scribant Theologi; omnia tamen ab eis dicta restringuntur ad has duas conclusiones sequentes. Conclusio pri-

29 ma: Conditiones de præterito, ut *duco te in Uxorem, si Pater tuus fuit Doctor, vel Judex, vel Dux; aut quid simile:* prout etiam Conditiones de præsenti, *ut, duco te in Uxorem, si es Virgo; vel si es legitima*, & similes, non suspendunt Matrimonium; sed si veræ sunt, statim faciunt ipsum validum; si veræ non sunt, reddunt illud irritum, ac nullum. Ita S. Thoma in 4. *dist.* 29. *quæst. Unic. art.* 3. *q.* 3. ac etiam in *addit.* 3. *part. quæst.* 47. *art.* 5. Sanchez *lib.* 5. *disp.* 6. *n.* 1. Salmanticenses, alios allegantes *d. cap.* 7. *n.* 52. Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.* 20. *art.* 2. §. 1. *à num.* 22. *& seqq.* noviſſimè Maſtrius *d. disp.* 7. *num.* 150. ubi hanc reddit rationem dicens: *Nam qui sub ea conditione consentit, solùm se obligare intendit supposita talis conditionis veritate. Ergo si detur, statim obligatus manet; secus si non detur.* Concordat Fagnanus *in cit. cap. fin. de Condit. appositis à num.* 13. *& seqq.* ubi quærit, An Matrimonium coram Parocho, & testibus contractum à Viro sub conditione,

30 si mulier est legitima, ac deindè consummatum, sit validum, nec ne, si postea constiterit, mulierem illegitimam esse? Et subdit ibidem: *Hic casus contigit in quodam Cosmo, qui coram Parocho, & testibus contraxit Matrimonium cum Anna his verbis: Anna, si es legitima, accipio te in meam Uxorem. Deindè Matrimonium cum ea consummavit, ac prolem indè suscepit. Postea compertum est, Annam non esse legitimam, sed naturalem natam ex concubina. Quæsitum est, an valeat Matrimonium?* Et pluribus rationibus, Juribus, ac Doctorum auctoritatibus probat, non valere, copula non obstante, quia ab initio consensus fuit restrictus sub illa conditione de præsenti, ac præterito, *Si Anna fuerit legitima;* qua conditione non existente vera, consensum non præstitit, & sic Matrimonium ab initio fuit nullum.

Conclusio secunda: Conditio de futuro vel habet certum, & determinatum tempus suæ futuritionis; ipsaque conditio non est contingens,

31 sed certò futura, ut *duco te in Uxorem; si annus proximè venturus erit bisextilis; vel si calendis Aprilis sol orietur?* Et tunc Matrimonium non suspenditur, sed statim valet. Vel conditio est de contingentibus. *Ut duco te in Uxorem, si intra tres menses Lauream Doctoratus obtinuero; vel si frater tuus obierit; aut si Navis ex Indiis advenerit.* Et in hoc casu validitas Matrimonii pendet ab adimplemento conditionis; itaut si verificetur conditio, Matrimonium tunc valeat; si non verificetur, nihil actum censeatur. Salmanticenses *d. cap.* 7. *num.* 53. *&* 54. ubi DD. citant, & advertunt, quòd ante adimplementum conditionis utraque pars vel etiam una tantùm ex justa causa potest à contractu resilire; non etiam adimpleta conditione, quia statim Matrimonium censetur completum, & factum indissolubile; quod etiam docent Maſtrius *d. disp.* 7. *à num.* 152. *& seqq.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 20. *art.* 2. §. 2.

Corollarii loco notabile unum importantissimum datur Studiosis Lectoribus, ac præcipuè Parochis, videlicet, peccare mortaliter omnes, qui contrahunt Matrimonium sub con- 32
ditione, Conjuges, Parochus, ac Testes, ut advertunt Aversa *quæst.* 5. *sect.* 1. *in fine;* & Salmanticenses *d. cap.* 7. *num.* 51. ubi hanc reddunt rationem dicentes: *Tum quia qui Sacramenta sub conditione conficeret absque necessitate peccaret, & cùm sit in re adeò gravi, mortaliter. Atqui non potest justa causa adesse, ut Matrimonium sub conditione celebretur, cùm non habeat effectum ante adimpletionem conditionis, & possit rescindi ante illam; & ideò sicut expectandus est conditionis eventus; sic curandum est de conditionis impletione ante Matrimonii celebrationem. Tum etiam quia ex Matrimonio sub conditione celebrato pluribus litibus, ac perplexitatibus aditus aperitur. Ergò ut istæ evitentur, non debent sub tali conditione conjuges Matrimonium inire; sed vel sponsalia tantùm; vel expectare conditionis eventum.* Ne obliviscantur Parochi monitionis hujus: etsi per cursum annorum quinquaginta, quos in hac Curia Episcopali Patavina consumpsi, nunquam audiverim in hac ampliſſima Diœcesi fuisse contractum Matrimonium aliquod sub conditione.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Præmiſſis variis significationibus Voti, ejusdem definitione, ac multiplici divisione, ostenditur, Votum solemne Castitatis, vel in Religione, vel in Sacrorum Ordinum susceptione emissum, esse Impedimentum dirimens Matrimonium. Referuntur duodecim Vota Hebræorum, qui tamen nunquam vovebant Castitatem, itaut DEIPARA fuerit prima, quæ eam voverit. Inquiritur, Quo Jure Votum solemne Castitatis dirimat Matrimonium? & Quo Tempore sit institutum hoc Impedimentum? Tandem firmatur, posse Summum Pontificem in Votis solemnibus Castitatis ex justa causa dispensare.

SUMMARIUM.

1 *Votum solemne Castitatis tum in Religione, tum in Ordine Sacro emissum dirimit Matrimonium.*
2 *Voti Vox plura significat. Et quæ?*
3 *Votum undè sic dicatur?*
4 *Voti definitio.*
5 *Voti ad validitatem quinque necessaria. Et quæ?*
6 *Propositum vovendi non facit Votum.*
7 *Voti divisiones plures.*
8 *Votum aliud est simplex, aliud solemne.*
9 *Votum solemne Castitatis in Ordine Sacro, vel in Religione dirimit Matrimonium.*
10 *Votum simplex, & Votum solemne in quibus conveniant? & in quibus differant inter se?*

11 *Voti*

11 *Voti solemnis Castitatis effectus tres.*
12 *Votum solemne ex Ordine Sacro in quo differat à Voto Religiosæ Professionis?*
13 *Votum simplex cur non dirimat Matrimonium? Solemne sic?*
14 *Ecclesiæ decretum facit, ut solùm Votum solemne Castitatis dirimat Matrimonium.*
15 *Hebræi non faciebant Vota Castitatis. De Votis eorum Regulæ XII.*
16 *DEIPARA prima fuit, quæ fecit perpetuum Votum Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ.*
17 *Votum solemne Castitatis Quo Jure dirimat Matrimonium? Controversia magna inter Thomistas, & Scotistas.*
18 *Thomistarum rationes. Earum resolutio* num. 22.
19 *Scotistarum argumenta.*
20 *Jesuitarum Vota simplicia an dirimant Matrimonium?*
21 *Jesuitæ post emissa Vota dimissi à Religione an possint nubere.*
22 *Votum solemne Castitatis quo tempore cœpit dirimere Matrimonium?*
23 *Canones facientes dictum Votum Impedimentum dirimens.*
24 *Impedimentum Voti solemnis dirimens est antiquissimum.*
25 *Christus, ac Apostoli an tria Vota Religionis emiserint?*
26 *Vota omnia Castitatis in primis saculis Ecclesiæ An tantùm simplicia?*
27 *Clericis in Sacris quando prohibitum sit Matrimonium?*
28 *Papa an possit dispensare in Voto solemni Castitatis?*
29 *Historicis antiquis est credendum.*

POst conditionis Impedimentum dirimens, sequitur illud quod vocatur *Votum*, quod est in numero Impedimentorum Tertium; &
1 complectitur Votum solemne Castitatis tum Religiosorum, tum Monialium, à quo dirimitur Matrimonium post emissionem ejusdem Voti contractum; cui compar est Votum solemne Castitatis, quod emittunt hi, qui suscipiunt Ordines Sacros; & numeratur inter eadem impedimenta dirimentia loco octavo sub hoc nomine *Ordo*; sed quia utriusque Voti est idem effectus in dirimendis Matrimoniis, nos de utroque agemus in præsenti Decisione, in qua videbimus:

1. *Votum undè dicatur, & Quid sit?*
2. *Quotuplex sit?*
3. *An in Lege veteri fuerint Vota solemnia Castitatis?*
4. *Quo Jure, & à quo tempore Vota Castitatis solemnia dirimant Matrimonium?*
5. *An Summus Pontifex possit in eis dispensare ad effectum, ut tam Ordinati in Sacris, quàm Religiosi possint contrahere Matrimonium?*

Quo ad Primum. Hoc nomen *Votum* plures habet significationes; aliquando enim significat desideria animi nostri, auspicia, seu deprecationes; undè hi, qui augurantur felicitatem
2 Heris, vel amicis suis in festis Domini Natalitiis, solent, ut plurimùm, dicere, exaudiat Cœlum *Vota mea*. Aliquando denotat animi gratitudinem, & gratiarum actionem; prout in tabellis votivis, quæ offeruntur ad Altare alicujus Sacræ Imaginis, vel Sancti pro recepto aliquo beneficio, quæ dicuntur *Vota*. Aliquando innuit suffragium, seu vocem, quam quis petit ab electoribus in collatione alicujus tituli; solent enim competitores rogando dicere, flagito ad favorem meum *Votum vestrum*. Aliquando idem est, ac opinio; cùm enim inter plures de aliqua re disceptatur, qui dicit opinionem suam, solet concludere, tale est meum *Votum*. Hinc doctissimus Canonista Augustinus Barbosa, inter cætera egregia ejus opera typis impressa, dedit in lucem Libros tres, quos *Vota Canonica* apellavit, idest ejus opiniones in Consultationibus exhibitis iis, qui eum consulere voluerunt super controversiis, & rebus dubiis, de quibus in prædictis Votis. Aliquando Votum significat Matrimonium. *l* 3. *ff. De Successionibus*. undè quando quis secundò nubit, solemus dicere, transit *ad secunda Vota*. *cap.* 9. *de testib. & cap.* 5. *de Sponsalib.* Principaliter tamen Votum significat oblationem, donationem, spontaneamve largitatem, quam quis facit Deo, vel Sanctis ejus in obsequium, & honorem ipsius Dei, vel Sanctorum; & dicitur *Votum* à voluntate; siquidem cùm vovens non sit obligatus ad illam rem tradendam, ex mera, ac libera sua voluntate vult illam tradere; & sic *Votum* 3
appellatur quasi *Volitum*, eò quia vovens spontè vult rem votam dare, ac offerre juxta suam voluntatem, quæ primùm movit rationem ad promittendum juxta S. Thomam 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1.

Definitur autem Votum, quòd sit *deliberata promissio facta Deo, de re ipsi grata*. Tamburin. *libr.* 3. *in Decal. cap.* 9. *num.* 1. Lessius 4
de Just. & Jure lib. 2. *cap.* 40. *num.* 1. Vel, ut alii dicunt, *deliberata promissio facta Deo de meliori bono*. Cotonius *libr.* 1. *Controv.* 12. *cap.* 1. *num.* 1. & passim Moralistæ omnes, qui notant quinque esse necessaria ad validitatem Voti. *Primò* quòd factum sit cum 5
animi deliberatione; idest cum animadversione ad id, quòd quis vult Deo promittere; & hæc animadversio non requirit longam mentis agitationem; sed tantam deliberationem, quanta sufficit ad peccandum mortaliter, juxta Glossam *in cap. Mulier.* 32. *quæst.* 1. dicentem *per quantam deliberationem quis potest obligari diabolo*, (nempè per peccatum) *potest etiam obligari Deo*, (idest per Votum.) Ratio necessariæ deliberationis est, quia Votum est lex, quam sibi vovens imponit ideò opus est maturo judicio; quo cessante, Votum non tenet, ut in semidormiente, Semiebrio, & in primis quibusdam motibus; etsi ita vovens venialiter peccaret. Tamburin. *d. libr.* 3. *cap.* 10. §. 1. & 2. Lessius *d. cap.* 40. *num.* 2. *Secundò* Votum debet esse spontaneum; alioquin si emissum sit per vim, & metum, seu cum errore, non tenet. Lessius *ibidem num.* 5. & Tamburin. *libr.* 1. *in Decal. cap.* 2. § 4. & *d. libr.* 3. *cap.* 13. *Tertiò*, requiritur, ut Vovens habeat veram intentionem se obligandi, quia sine ea promittens solis verbis, non facit Votum verum; cùm, ut supra di-

pra diximus, hoc pendeat à voluntate, Lessius *num.* 6. & Tamburin. *d. libr.* 3 *cap.* 12. *Quarò*, Ut res promissa sit grata Deo, vel ut alii dicunt, de meliori bono, quia promittere cuipiam quod ei displicet, non est rem gratam offerre, sed minari. Deo autem non potest placere res, quæ non sit bona, ac de meliori bono. Lessius *ubi supr. num.* 8. Tamburinus *d. libr.* 3 *cap.* 15. ubi fusè probat, rem, quam quis vovet, esse debere possibilem, honestam, non indifferentem, nec impedientem majus bonum. *Quintò* necesse est, ut vovens possit se obligare; ideò qui usum rationis non habent, invalidè, vovent; & qui sub aliorum potestate sunt, ut filiifamilias, & Religiosi, non nisi de consensu Superiorum vel expressio, vel tacito, vovere possunt; quod quomodò sit intelligendum, declarat Tamburin. *d libr.* 3. *cap.* 12.
6 §. 5. Tandem dicitur in definitione, quòd Votum sit promissio, ad denotandum, quòd non sufficit solum propositum in mente retentum faciendi rem aliquam, sed opus est, ut ille mentis conceptus deducatur ad promissionem, resolutivè determinando, & spondendo ipsi Deo, vel verbis externis, vel interno actu voluntatis rem illam in mente conceptam exequi, & ad Dei gloriam facere, ac adimplere, ut pluribus demonstrant idem Tamburin. *d. libr.* 3. *cap.* 11 & Lessius *d. cap.* 40 *libr.* 2 *à num.* 20. *& seqq.*

Quo ad secundum. Plures Voti divisiones dantur à Theologis de illo differentibus. Prima est, quòd Votum aliud est commune, aliud particulare. Ita Magister *sent. in* 4. *dist.* 38.
7 & ibi S. Thomas, Durandus, Richardus, & alii. Votum commune vocant illud, quod fideles faciunt in Baptismo, dum interrogati, respondent, *Abrenuncio Satanæ, & omnibus pompis ejus &c.* fit enim hæc promissio communiter ab omnibus, qui baptizantur. Nihilominùs, ut advertit Lessius *d. libr.* 2. *cap.* 40. *num.* 29. talis promissio non est verè, ac realiter Votum, quia tantùm est professio vitæ Christianæ; aliàs sequeretur, quòd omne peccatum baptizatorum esset sacrilegium, & contineret duas malitias, unam contra Legem Dei, aliam contra Votum, quod à nemine docetur. Votum particulare est illud, quod quilibet emittit juxta propriam devotionem. Secunda divisio Voti est, quòd aliud est conditionatum, fitque sub particula *Si*; aliud est absolutum, non habens dictam particulam conditionalem. Differunt inter se, quia primum non obligat, nisi adimpleta conditione. Secundum statim est obligatorium. Lessius *d. cap.* 40. *num.* 30. Tamburinus *d. libr.* 3. *cap.* 9. *num.* 1. Tertia est, quòd Votum conditionale aliud est pœnale, scilicet dum promittitur, seu vovetur aliquid in pœnam delicti, ut si blasphemavero, voveo recitare Rosarium; aliud non est pœnale, sed potiùs in gratiarum actionem; ut si sanus fiam ab hac infirmitate, voveo tale opus bonum me facturum. Lessius *ubi supr.* Quarta divisio est, quòd aliud Votum dicitur expressum, factum scilicet expressis verbis; aliud tacitum; nempè sola mente, sed voluntariè interiùs determinatum. Quinta, quòd Votum aliud est *Personale*, ut oratio, jejunium; aliud *Reale*, ut eleemosyna; aliud *Mixtum*, ut Peregrinatio. Sexta, quòd aliud est *Temporale*, limitatum scilicet ad certum tempus, aliud *Perpetuum*; quando ad illud vovens obligat se tota vita durante. Lessius *d. cap.* 40. *sub num.* 31. Septima, quòd aliud est affirmativum, quando promittitur, aliquid facere, ut jejunare; aliud negativum, dum vovens promittit, se ab aliqua re abstinere; ut carnes non manducare. Tamburin. *d. cap.* 2. *num.* 2. qui alias divisiones, sed minùs essentiales innuit. Octava verò divisio principalior, & magis importans est, quòd Votum aliud est *Simplex*, aliud est *Solemne*.
8 Illud dicitur Votum *Simplex*, quod emittitur à qualibet particulari persona ex sui devotione, dum aliquod bonum opus in suis orationibus offert Deo absque alia solemnitate, sed ad sui ipsius beneplacitum. *Solemne* verò appellatur illud, quod est conjunctum susceptioni status Religiosi immutabilis; & verificatur in duobus casibus tantùm; videlicet in susceptione Ordinis Sacri, cui ex decreto Ecclesiæ annexum est Votum Castitatis perpetuæ; & in Professione Religiosa, in qua emittuntur tria vota solemnia Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, & in utroque casu Voventes immutabiliter dedicantur Statui Ecclesiastico, *cap. Unic. de Voto, & Voti redempt. in* 6. Lessius *d. libr.* 2. *cap.* 40. *num.* 31. Tamburin. *d. libr.* 3. *cap.* 9. *num.* 2. & Cotonius *d. libr.* 1 *Controvers. XII. num.* 11. ubi ita: *Votum in primis aliud est simplex, aliud solemne. Primum consistit in sola promissione voventis. Secundum addit acceptationem per Superiorem, vel ab eo substitutum ex parte Dei, quale solum est in professione Religiosa, & Voto Castitatis adnexo Sacris Ordinibus. Reliqua sunt simplicia.*

Igitur quod ad rem nostram attinet, cùm reperiantur Vota Castitatis *Simplicia*, nec non Vota Castitatis *Solemnia*; hæc solemnia sunt, quæ constituunt Impedimentum dirimens Matrimonium; & propterea Votum Castitatis solemne emissum vel in susceptione Ordinis Sacri, vel in Professione Religiosa reddit Matrimonium irritum, & invalidum, si post emissum votum attententur. *cap. Meminimus. & cap. fin. Qui Clerici, vel voventes. cap. Unic. de Vot. in* 6. Concil. Trid. *sess.* 24. *can.* 9. Justus *de Dispensat. libr.* 2. *cap.* 14. *num.* 77. & Salmanticenses *tom.* 14. *in tract. de Statu Religioso tract.* 15. *cap.* 6. *num.* 19. *& seqq.* ubi doctè advertunt, quòd Votum solemne Castitatis convenit cum Voto Castitatis simplicis in
9 duobus; nempè, quòd utrumque Votum impedit Matrimonium, itaut licitè contrahi non
10 possit; & quòd utrumque obligat ad abstinendum ab omni actu venereo, sivè interno, sivè externo contrario Castitati; differunt autem in hoc, quòd Votum simplex castitatis impedit tantummodò contrahere Matrimonium; at si de facto contrahatur, est validum, etsi contrahens mortaliter peccet, nec possit petere debitum, antequam obtineat Voti dispensationem: Votum verò solemne castitatis non solùm impedit, sed etiam dirimit Matrimonium, redditque illud invalidum; sivè Votum solemne insurgat ex suscepto Ordine Sacro, sive

ex facta

ex facta Professione Religiosa. Idcircò iidem Salmanticenses *d. num.* 19. *&* 20. notant tres esse effectus communes utriusque Voti solemnis Castitatis tàm ex Ordine Sacro, quàm ex
11 Religiosa Professione resultantis. *Unum*, sponsalia antea contracta dissolvere, & subsequuta irritare. *Alterum*, dirimere Matrimonium quocumque post ipsum Votum celebratum. *Tertium*, prohibere omnem actum venereum internum, & externum, qui omnibus hominibus prohibitus est extra Matrimonium. Similiter *d. num.* 20. advertunt Votum solemne Castitatis ex Ordine Sacro resultans differre à Voto
12 solemni Castitatis ex Professione Religiosa proveniente in eo, quòd hoc dirimit Matrimonium ratum, non consummatum, ante Professionem ipsam initum; quam virtutem non habet Votum prædictum ex Ordine Sacro nascens, etsi solemne; ut demonstravimus supra *Decis. XIII. n.* 9. *num.* 25 *&* *num.* 43. ubi diximus per susceptionem Ordinis Sacri non dirimi Matrimonium ratum antea contractum. Nec est omittendum, quod addunt iidem Salmanticenses *d. tract.* 15. *cap.* 6. *num.* 23. nempè adstrictum utroque Voto solemni Castitatis & per Ordines Sacros, & per Religiosam Professionem; casu quo is peccaret mortaliter contra Castitatem, non teneri in Confessione explicare utrumque Votum, eò quia non differunt specie; & tale peccatum habet tantùm circumstantiam aggravantem, ut docent etiam Lezana *in Summ. tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Sanchez *in Decal. libr.* 5. *cap.* 6. *num.* 4. & *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 28. *à num.* 25. Palaus *disp.* 3. *punct.* 1. *num.* 3. Pellizar. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 38. *&* 63. ac etiam Suarez *de Religione tract.* 8. *libr.* 3. *cap.* 16. *num.* 5.

Gravis autem controversia agitatur inter Theologos, ac Canonistas in reddenda ratione, ob quam votum simplex non dirimat Matrimonium? Votum autem solemne illud dirimendi
13 vim habeat? Alii dicunt, quia per Votum solemne Vovens consecratur Deo, non autem per Votum simplex Alii, quia Votum solemne Castitatis est actus publicus, nam fit coram Prælato; simplex verò Votum privatim emittitur. Alii, quòd qui solemne Votum facit Castitatis tradit corpus suum in dominium, & possessionem Religionis; secus qui de per se simpliciter vovet Castitatem; undè hanc rationem, quæ potentior cæteris videtur, refert Mastrius *in* 4. *d. disp.* 7. *num.* 436. ita dicens: *Hæc etiam est ratio, cur Votum solemne Matrimonium dirimat, simplex verò tantùm impediat, quia res uni promissa potest quidem valide, quamvis illicitè, tradi alteri; sed res semel tradita uni, & in ejus dominio reposita, non potest ampliùs validè alteri tradi; undè votum solemne se habet tanquam spirituale conjugium; non potest autem quisquam, postquam semel tradidit dominium sui per Matrimonium uni conjugi, tradere amplius alteri; & pro hac sententia citantur* S. *Thomas*, *Divus Bonaventura*, *Richardus*, *Durandus*, *& alii plurimi.* Cæterùm ipse Mastrius innixus doctrinæ Magistri sui Scoti *in* 4. *dist.* 38. *quæst. Unic.* ait causam differentiæ inter utrumque Castitatis Votum hanc esse, quia Ecclesia voluit, statuit, & decrevit, quòd Votum solemne dirimeret Matrimonium; non etiam Votum sim- 14
plex, ut desumitur *ex cap. Unico. de Voto in* 6. in illis Verbis: *Voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inventa;* & ideò ita recentiores concorditer tenent ferè omnes, docentes, Votum solemne, & simplex Castitatis non differre essentialiter, nec ex ipsius Voti natura, nec jure divino; sed tantùm accidentaliter ex sola Ecclesiæ constitutione. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *d. disp.* 25. Basilius Pontius *libr.* 7. *cap.* 9. ubi Dd. cumulat, idemque facit Aversa *quæst.* 15. *sect.* 1. *Vers. Sed dicendum nihilominus est*, novissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Matrim. disp.* 30. *art.* 5. *per totum* atque Salmanticenses *d. tom.* 14. *de Statu Religioso tract.* 15. *cap.* 1. *à num.* 36. *& seqq.*

Quo ad Tertium: Si quærimus, An in lege Veteri fuerint Vota solemnia Castitatis: Respondendum est negativè; siquidem in Levitico *cap.* 27 traduntur duodecim sequentes Re- 15
gulæ servandæ in Votis, quæ faciebant Hebræi, & nihil in eis reperitur circa Votum Castitatis. Prima Regula erat, quando homo vovebat seipsum servire Deo in Templo, & tunc poterat, redimere seipsum à Voto per certi pretii à Sacerdotibus taxandi solutionem. *Homo, qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Levit.* 27. 2. Solebant enim Hebræi per votum se mancipare cultui divino in tabernaculo, videlicet ut portarent aquam, vel ligna ad Sanctuarium pro sacrificiis, ut verrerent atria, subservirent Levitis, & similia propria Virorum. Mulieres autem si seipsas sic vovebant; stabant in cellulis Templi, & ibi præstabant quæ sui sexui convenientia erant, nempè nere, telas texere, Sacerdotales, & Leviticas vestes conficere, lavare, & reparare, ut observant in hunc locum Cornelius à Lapide, & Tirinus; addentes, quòd hi voventes se liberabant à Voto per solutionem pretii, ne nimio oneri fuissent Sanctuario, quòd eos omnes alere debuisset, unà cum Gabaonitis, ac Nathineis, qui ad prædicta servitia præstanda naturaliter erant obligati. Pretium autem solvebatur in majori, vel minori summa respectu ad ætatem Voventis, qui se à Voto redimere volebat, ut definit Textus Sacer *d. Levit. cap.* 27 *à num.* 5. *& seqq.* Secunda Regula erat, quando quis vovebat animal immolabile Deo; & hoc dari debebat, & immolari, nec redimi, aut mutari poterat. *d. cap.* 27. *Vers.* 9. Tertia erat circa animal immundum, quod immolari non poterat; hoc enim si Deo vovebatur, vendi debebat pretio per Sacerdotem taxato; ut *d. cap.* 27 *vers.* 11. Quarta erat, si domus erat vota Deo; vendebatur pretio, quod Sacerdos taxabat; addita ulteriùs quinta parte pretii, si ipse vovens eam redimere volebat; *ut d. cap.* 27. *vers.* 14. Quinta concernebat Vota agrorum; qui quidem redimi poterant, per solutionem pretii habito respectu ad fructus ex eis percipiendos. *d. cap* 27. *vers.* 16. Sexta erat, casu quo vovens agrum nollet eum redimere; nam vendebatur alteri, & ampliùs illum ipse vovens habere non poterat. *d. cap.* 27.

vers. 20. Septima ordinabat, ut omne pretium pondere Sanctuarii solveretur. *ibid. vers.* 25. Octava vetabat vovere primogenita, quia jam erant propria ipsius Dei, unde ait *vers.* 26. *Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit, & vovere; sivè bos, sivè ovis fuerit, Domini sunt.* Nona mandabat, ut primogenitum animal immundum venderetur. *d. cap.* 27. *vers.* 27. Decima volebat, quòd res, vel personæ quæ vovebantur Deo, per Votum, ab Hebræis appellatum *Cherem*; à Græcis verò *Anathema*, redimi non possent, sed mori deberent, vel morte naturali, si erant animalia, aut hostes Dei, ut factum fuit de Urbibus Jericho, Amalecitarum, & Chananæorum; vel morte civili; remanendo in perpetuum servitium Templi, ut de Samuele, & de Nazareis exemplificat Tirinus, & Cornelius à Lapide *d. cap.* 27. *vers.* 28. Undecima, & Duodecima Regula disponebat de Votis concernentibus fruges, & animalia, de quibus Deus decimam sibi reservaverat; unde ipsa Decima non poterat cadere sub voto, ut *d. cap.* 27. *vers.* 30. *& vers.* 32. En igitur, quòd in his omnibus votis nulla mentio fit, aut habetur de Voto Castitatis; quia *Tribus Votis neminem illorum temporum adstrictum fuisse, ac proinde nec Religiosum propriè statum tunc, sed illius quandam imaginem tantùm, scilicet in Elia, & Eliseo*, scribit P. Sherlogus, *in Cantic. tom.* 2. *Vestig.* 12. *num.* 23. referens ibi quindecim gravissimos Auctores ita docentes, inter quos Suarezium *de Relig. lib.* 3. *cap.* 1. Emin. Card. Bellarminum *lib.* 2. *de Monachis in Præfat.* Clitovæum *Antilutheri lib.* 3. *de Votis Monasticis. cap.* 5. Azorium *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 13. *quæst.* 8. Menochium *Instit. Oeconom. lib.* 1. *cap.* 15. & alios. Idcircò *eod. tom.* 2. *Vestig.* 15. 16 *num.* 35. innuit Sanctissimam Virginem MARIAM DEI Matrem primam fuisse, quæ commorans in Templo emiserit tria Vota Monasticæ disciplinæ Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis, ut latè probant Petrus Antonius Spinellus *libr. De Virginis Encomiis cap.* 27 Luisius Turrianus *De Virginitate disp.* 21. *dub.* 2. nec non *Selectar. disputationum Theologicar. part.* 2. *disp.* 24. *dub.* 1. *&* 2. & nos ex SS. Patrum testimonio, ac ex Revelationibus S. Birgittæ demonstravimus supra *Decis. III. num.* 4. *&* 5.

Quo ad Quartum. Inquirentibus *Quo Jure? & A quo tempore Vota Castitatis solemnia dirimant Matrimonium?* Respondetur maximam esse controversiam inter Theologos, quo Jure Votum Solemne Castitatis tum in Re- 17 ligiosa Professione emissum, tum in susceptione Ordinis Sacri dirimat Matrimonium, post ipsum Votum contractum? Thomistæ affirmant, quòd dirimit Jure naturali divino, ut ostendunt Salmanticenses *tom.* 8. *de Statu Religioso tract.* 20. *disp.* 1. *dub.* 6. ubi *num.* 77. allegant DD. ita tenentes, inter quos S. Thomam, Divum Bonaventuram, & alios plurimos, prout ex modernis Gonetum *de Matrim. disp.* 9. *art.* 2. E contra Scotistæ defendunt, Votum solemne Castitatis solo Jure Ecclesiastico dirimere Matrimonium; quibus adhærent Canonistæ, quos longa manu citat Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disp.* 26. *num.* 2. quibus adstipulantur Mastrius *in* 4. *Sent. d. disp.* 7. *num.* 439. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 30. *de Matrim. art.* 5. *per totum.* Rationes præcipuæ Thomistarum sunt. 1. Quod Syricius Papa *Epist.* 1. *cap.* 6. (relata in *cap. Si quis Sacro.* 27. *qu.* 1.) infligit gravissimas pœnas contra Sacratas Virgines nubentes, & jubet eas separari; dicens, *& Verbo Domini, & Canonica auctoritate.* Igitur, (ajunt) Si Verbo Domini; ergo irritatio Matrimonii ipsarum est de Jure Divino. 2. Quia Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Matrim. can.* 9. ait, *Anathema* asserentes esse validum Matrimonium contractum post emissa Vota Solemnia, *non obstante Lege Ecclesiastica, & Voto.* Ergo Jus dirimendi in Voto provenit non à solo Jure Ecclesiastico, sed etiam à Jure naturali Divino, cujus est ipsum Votum 3. Quia de Jure naturæ est, ut facta donatione alicujus rei, & translato dominio illius, hæc non possit alteri donari. Sed Religiosus per Votum Solemne Castitatis, prout etiam Clericus in Ordine Sacro, donavit corpus suum Deo, & sui ipsius dominium transtulit in Religionem, ac Ecclesiam, respectivè. Ergo impedimentum dirimens Voti Solemnis provenit à Jure naturali Divino. 4. Conjugatus non potest inire conjugium cum altero de Jure naturæ, quia non habet ampliùs dominium sui corporis. Ergo ex eodem Jure neque Religiosus, qui privavit se corporis sui dominio.

E contra Scotistæ, & Canonistæ tenent, solo Jure Ecclesiastico esse introductum hoc Voti solemnis impedimentum dirimens. 1. Quia si dirimeret ex Jure naturali Divino, etiam Vota simplicia Matrimonium dirimerent; nam eadem 19 essentialiter idem sunt cum Solemnibus. *cap. Rursus. Qui Cleric. vel Vovent.* 2. Quia Vota Castitatis eatenus dirimunt Matrimonium, quatenus Solemnia sunt. Sed Solemnitatem receperunt à solo Jure Ecclesiastico, ut expresè legitur *in cap. Unico. De Voto in* 6. Et in *Constitutione* 89. Gregorii XIII. *Incipien. Ascendente Domino.* 3. Quia *ibid.* Papa constituit, ut Vota simplicia Jesuitarum emissa in Religione post 20 biennium habeant vim dirimendi Matrimonium postea contractum. Ergo hanc vim habent à solo Jure Ecclesiæ etiam omnia alia Vota Solemnia. 4. Quia de Jure naturali servus, etsi subditus Domino suo, non prohibetur contrahere Matrimonium, ut probatum est supra *Decis. XX. num.* 11. Ergo neque ex Jure naturali Religiosus, quamvis constitutus in dominio sui Superioris. 5. Quia lex naturæ in obligationibus tantummodò facit, ut res promissa uni, illicitè tradatur alteri; non etiam invalidè. Ergo idem dicendum in Voto solemni ex natura rei, & ex Jure naturali. 6. Quia eadem est obligatio facta Deo per Votum simplex Castitatis, ac per Votum Solemne; est enim in utroque idem Deus, cui vovens se obligat, & eadem res, quæ ponitur in obligatione, scilicet continentia, & castitas. Sed Votum simplex Castitatis non dirimit. Ergo dirimere, & irritare Matrimonium non competit Voto Solemni ex Jure naturali Divino, sed Ecclesiastico tantùm. 7. Quia ex

supraci-

supracitata *Constitutione* 89. Gregorii XIII. Vota simplicia Jesuitarum post biennium emissa,
21 possunt à suis Superioribus cassari, & annullari, licentiando professos à Religione, qui ita licentiati possunt validè contrahere Matrimonium, dummodò non sint ordinati in Sacris, ut notat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 30. *num.* 120. Ergo vis dirimendi, quam habet Votum Solemne, non est à Jure naturali divino, sed à solo Jure Ecclesiastico. 8. Quia status Religiosus Jure naturæ non destruit Matrimonium, nec ab eo destruitur; ut patet in conjugato, qui de licentia Uxoris intrat Religionem, firmo remanente Matrimonio. 9. Quia antiquitus Professio in Religione non dirimebat Matrimonium subsequens, nam Virgines (illæ saltem, quæ post Vota morabantur in paternis domibus, & non in Monasteriis) nubentes post emissa Vota plectebantur quidem gravi pœnitentia; sed earum conjugia non irritabantur. *cap. Quotquot. cap. Virgines. & cap. Si qua Virgo.* 27. *q.* 1. Quare ex his, & aliis rationibus, à solo Jure Ecclesiastico provenire, quòd Votum solemne dirimat Matrimonium subsequens, tenet Glossa in *cap.* 1. *Verb. Sub testimonio.* 27. *q.* 1. & in *cap. Rursus. Verb. Apud Deum. Qui Clerici, vel voventes;* & ibi Jo. Andreas, Abbas, Ancharanus, & omnes Canonistæ, super eo scribentes, quos longa serie cumulat, cum innumeris propemodum Theologis Scholasticis, & Moralistis ipse Sanchez *d. libr.* 7. *de Matrim. disp.* 26. *num.* 2. & idem Sanchez addit *in Præcept. Decal. tom.* 2. *libr.* 5. *cap.* 1. *num.* 6. ubi ita loquitur: *At Sententia, quam verissimam puto, ait, Solemne Professionis Votum, & simplex non differre per se, & essentialiter ex utriusque Voti natura, sed solum accidentaliter, & extrinsecè, ex sola Ecclesiæ constitutione: ac proinde totam Voti Solemnitatem esse solius Juris Ecclesiastici; quamvis ipsa Voti obligatio erga Deum sit Juris Divini naturalis, cujus est etiam obligatio Voti simplicis; & allegat text. in cap. Unico. De Voto in* 6. ubi Bonifacius VIII. Episcopo Riterensi interroganti, quod Votum debeat dici Solemne, ad Matrimonium subsequens irritum reddendum? ait, Solemnitatem Voti ex sola Ecclesiæ institutione inventam esse. Quare ultra supracitatos DD. per Sanchezium in utroque loco, quòd Votum Solemne dirimat subsequens Matrimonium ex solo jure Ecclesiastico, tenent inter modernos Fagnanus *in cap. Quanto, num.* 106. *De Translat. Episc. tom.* 2. & *in cap. Ex parte. num.* 13. *De Conversi. Conjug. tom.* 5. & *in cap. Ut privilegia num.* 30. *De Privileg. tom.* 7. Justus *de Dispensat. d. libr.* 2. *cap.* 14. *num.* 79. & ibi Filiuccius, ac Bonacina. Item Emanuel Gonzalez *in cap. Insinuante. num.* 11. *Qui Clerici, vel voventes tom.* 4. Mastrius, & Emin. Card. de Lauræa *supr. num.* 17.

Nec obstant argumenta, seu fundamenta Thomistarum relata *supr. num.* 18. Non primum ex verbis Syricii Papæ, quia jubet Virgi-
22 nes illas nubentes separari, vel quo ad thorum tantum, cùm præcederet in eis Votum simplex Castitatis; vel quoad vinculum, si jam Ecclesia statuerat Solemnitatem Voti Religiosi, illudque fecerat impedimentum dirimens, ut respondet Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 30. *num.* 125. ubi subdit, illas Voces *Et Verbo Domini*, nil aliud innuere, nisi quòd Dominus præcipit, obligationem Voti esse adimplendam, & ipsa Vota esse à quocunque servanda. Non secundum ex Concilio Tridentino *sess* 24. *can.* 9. ad illud enim Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 30. *n.* 126. ita respondet: *Intentum Concilii aliud non est, quàm declarare Matrimonia Sacratorum Levitarum, & Professorum Regularium esse invalida; neque per somnium cogitavit asserere, quod Votum inhabilitet Jure naturæ; quia si sic, non fuisset necessarium tale Decretum circa Regulares.* Et infra. *Modus ergo loquendi Concilii est copulativus, seu cumulativus; nam in Ordine Sacro, & Professione Religionis adest Votum continentiæ, ut patet ex cap. Unico. De Vot. in* 6. *& ex Extravag. Joann. XXII. De Voto.* Non tertium, quia quòd donatio unius rei alicui facta, non possit alteri tradi, non provenit ex Jure naturæ ipsius donationis, sed ex acceptatione donatarii, à quo donatio recipit firmitatem. Sic quòd Religiosus, qui per Votum donavit seipsum Religioni, non possit corpus suum dare alteri in Matrimonium, non provenit à natura Voti, sed ab acceptatione jam facta per Superiores Religionis, qua attenta voluit Ecclesia, ut si Religiosus deindè ineat conjugium, sit irritum, atque invalidum, ut fusiùs differit ipse Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 30. *num.* 127. Non Quartum, quia Uxoratus non impeditur de Jure naturæ plures Uxores ducere, ut faciebant Sancti Patriarchæ in Lege Veteri; sed impedimentum provenit ab acceptatione ejus corporis facta à prima Uxore, cui Maritus illud tradidit cum hac conditione, ne alii daret; id quod à parte Viri non servabatur in Lege Mosayca, sed in Evangelica fuit firmatum Jure Divino à Christo Domino, à quo Polygamia fuit proscripta, ut ostendimus supra in *Decis. X. à num.* 15. *& seqq.* Inconcussa itaque est hæc Scotistarum, & Canonistarum opinio, quòd Impedimentum dirimens Voti Solemnis provenit tantummodò ab Ecclesiastico Jure.

Quò verò ad Tempus, quo Votum Solemne cœpit dirimere Matrimonium postea contractum? Respondet Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 30. *de Matrim. num.* 80. quòd, *Solem-* 23
nitas Votorum continentiæ, licèt sit ab Ecclesia introducta, tamen est antiqua etiam quoad nomen: quoad rem verò, & effectum dirimendi est antiquissima. Cornelius à Lapide *Commentar. in Epist. Divi Pauli* 1. *Timoth.* 5. *Vers.* 12. in fine, ait: *Quando hæc Solemnitas Voti cœperit esse impedimentum dirimens Matrimonii, non adeò constat. Verisimile est diversis in locis, diversis temporibus cœpisse; sed generatim à tota Ecclesia receptum esse sub Annum Domini* 1139. *quando sub Innocentio II. in Concilio Romano hoc impedimentum communi Episcoporum decreto sancitum, & constitutum est.* Porrò ut Studiosis Lectoribus nota sit antiquitas hujus impedimenti, placet hic summatim recensere Canones, ac eorum tempora, de eodem loquentes incipiendo à

do à Tridentino Concilio, & ascendendo ad antecedentes vetustissimos annos. Itaque

Concilium Tridentinum completum Anno 1563. *in sess. 24. de Matrim. can. 9.* dicit: *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse &c. Anathema sit.*

Bonifacius VIII. qui sedebat Anno 1300. *in cap. Unic. De Voto in 6.* ita decrevit: *Præsentis declarandum duximus oraculo Sanctionis, illud solum Votum debere dici Solemne, quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod Solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis; aut per Professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*

Cælestinus III. in Apostolica Sede stans An. 1191. de hoc Voti impedimento sic in *cap. Rursus. 6. Qui Clerici, vel Voventes.* loquitur: *Rursus quidam Votum Castitatis emittens, juravit se quandam ducturum postea in Uxorem: Unde à Fraternitate tua requisiti arbitramur, quòd cùm simplex Votum apud Deum non minùs obliget, quàm Solemne, pro eo quod juravit, temerè pœnitentiam agat, & Votum, quod Deo fecit, studeat observare.* Erat igitur tunc temporis in Ecclesia Votum simplex Castitatis, & Votum Solemne; primum impediebat tantummodò; secundum etiam dirimebat Matrimonium.

Alexander III. qui Universalem Ecclesiam regebat Anno 1160. *in Epistola ad Episcopum Oxonien.* quæ habetur in *Appendic. Concil. Lateran. III. de Conjugatis*, sic scripsit: *Si quispiam se Religione devovit, & habitu suscepto Professionem fecit, postmodum sibi aliquam copulaverit, cogendus est ab ea discedere, & ad Ecclesiam cui se contulerat, debet sine contradictione transire.*

Innocentius II qui creatus Papa An. 1130. vixit annis tresdecim in Pontificatu, ita decrevit *in Concilio Lateranensi II. cap. 7.* & refertur *in cap. Ut Lex. 27. qu. 1. Ut Lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis, & Sacris Ordinibus dilatetur, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, Monachi, atque Conversi Professi, qui sanctum transgredientes propositum, Uxores sibi copulare præsumpserint, separentur; hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati pro tantis excessibus pœnitentiam agant. Idipsum quoque de Sanctimonialibus fœminis, si (quod absit) nubere attentaverint, observari decernimus.* Clarè loquitur, quòd prædictorum Matrimonia erant irrita.

Gregorius II. qui sedebat Anno 720. in Concilio Romano, in quo intervenerunt Episcopi duo, & viginti, anathemate ferit fœminas Deo per Vota sacratas, quæ ausæ essent nubere; ut *in tom. 3. Concilior. pag. mihi* 416. 417.

In Concilio Toletano IV. celebrato de An. 633. sub Honorio Papa I. Idem decernitur *in can. 51.* his verbis: *Nonnulli Monachorum egredientes à Monasteriis, non solum ad sæculum revertuntur, sed etiam Uxores accipiunt. Igitur revocati in eodem Monasterio, à quo exierant, pœnitentiæ deputentur; ibique defleant crimina sua, undè decesserunt.* Per hanc autem restitutionem ad Monasterium innuitur nullitas Matrimonii contracti; sicut restitutio Monachi ad ejus Uxorem nullitas professionis. *cap. Agathosa. cap. Si quis conjugatus. Et cap. Quia Agatho. 27. q. 2. cap. Quadam de Convers. Conjugat.*

S. Gregorius Papa I. fuit creatus An. 590. *in Epist. ad Bonifactum* relata *in cap. Viduas. 27. q. 1.* statuit, sivè Virgines velatas, sivè Viduas Religionem professas, postea nubentes, esse revocandas, graviterque puniendas juxta Decretum Innocentii Primi, de quo infra.

Gelasius Papa, qui sedebat Anno 492. id ipsum statuerat *in Epist. ad Episc. Sicilien.* quæ legitur *in cap. Neque Viduas 27. q. 1.*

Innocentius I. electus Pontifex Anno 402. *in Epist. ad Victricium*, & in decretis *cap. 9.* pronunciavit his verbis, quæ leguntur in *cap. Hæ verò. & cap. Quæ Christo. eod. 27. q. 1. Hæ vero, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito Virginali semper se permanere simulaverunt, licèt velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est; quia sponsio earum à Domino tenebatur. Se enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi. quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pegigit, solvi sine vindicta non debet.* Certè loquitur Papa de nullitate nuptiarum, cùm sponsionem factam Deo in professione non posse solvi affirmet. Idem dicit *in seq. cap. Quæ Christo*, in quo comparat nuptias Sanctimonialium cum Matrimonio illius mulieris, quæ vivente primo marito, alteri nubit; illud enim esse irritum, ac invalidum nemo dubitare potest.

Concilium tandem Carthaginense IV. quod fuit celebratum Anno 397. & deinde ab Anastasio Papa I. qui fuit electus Anno 398. confirmatum, Sanctimonialium nuptias damnavit, easdem adulterio similes, ideò irritas, & invalidas decernens, ut refertur *in cap. 1. d. causa 27. quæst. 1.* his verbis: *Quæ se devoverunt Domino, & veste Laicali abjecta, sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ in religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias sæculares transierunt, secundum Apostolum. 1. Timoth. 5. damnationem habebunt; quia fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam fecerè nisæ sunt. Tales ergo personæ è Christianorum communione sequestrentur, neque convivio cum Christianis communicent: namsi adulteræ conjuges reatu sunt viris suis obnoxiæ, quantò magis illæ, quæ Religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur?* Deducitur ex his omnibus, Impedimentum Voti solemnis dirimens Matrimonium postea contractum esse antiquissimum in Ecclesia, & ab ejus incunabulis incœpisse; ut demonstrat idem Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 30. art. 2. §. 5.* & con-

& confirmari potest ex pluribus, ac eruditis rationibus, quibus Cornelius à Lapide *Comment. in Act. Apost. cap. 5. Vers. 2.* probat, 26 Christum Dominum, ac SS. Apostolos tria Religionis Vota emisisse, idcircò eorum tempore, ac decreto, Votum Castitatis Religiosum potuerit conjugia subsequentia dirimere, etsi hoc non ex scripto, sed ex traditione ad posteros transierit, prout de miscenda aqua in Calice, quod ab iisdem Apostolis emanavit. Suarez *tom. 3. in 3. part. D. Thomæ disput. 45. sect. 2. dub. 2.*

Inficiandum tamen non est, plurimos Auctores gravissimos opinari, quòd in primis Ecclesiæ sæculis Vota Religiosorum essent simpli- 27 cia, non solemnia; ideòque si Matrimonium contrahebant de facto, illicitè quidem, sed non invalidè agebant, ut conatur probare Basilius Pontius *QQ. Scholasticar. part. 1. quæst. 3.* nec non *de Matrim. libr. 7. cap. 22.* cui adhæret Paulus Sherlog. *in Cantic. tom. 3. Vestig. 28. num. 33.* Cæterùm responderi potest, quòd in primitiva Ecclesia duo erant Ordines Monachorum, & Monacharum; nam eorum alii, voventes Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ Vota, transibant in Monasteria; alii verò solùm Votum Castitatis emittebant, & in propriis domibus apud parentes suos habitabant, ut eruditè scribit Morinus *de Sacramento Pœnitentiæ lib. 6. cap. 13. num. 12. & 13.* ubi de differentibus Pœnitentiis, quibus tunc eorundem Voventium transgressio, ac violatio castitatis plectebatur. Igitur Vota eorum, qui in domibus parentum Laicorum morabantur, erant simplicia, Matrimonium tantummodò impedientia: at illorum, qui ad Monasteria transibant, & se, suaque corpora Religioni tradebant, erant solemnia, non solùm impedientia, sed etiam dirimentia Matrimonium, de quibus intelligendi sunt Canones, ac Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum, supra allegata. Clericis Sacros Ordines suscipientibus interdictum fuisse Matrimonium contrahere per Apostolorum Canones, ac Decreta 28 Pontificum, & Conciliorum in primo, secundo, ac tertio Ecclesiæ sæculo, latè probavimus in Decisionibus nostris *De Sacram. Ordinis Decis. XXVII à num. 23. & seqq.* ad quam Lectorem remittimus; & videri potest Emanuel Gonzalez *Comment. in cap. 2 de Cleric. Conjug. num. 1. tom. 3* ubi infinitos Canones de hac re allegat.

Q.10 ad Ultimum, in quo quæritur, An Summus Pontifex possit in Votis solemnibus Castitatis dispensare, ad effectum ut tam ordinati in Sacris, quàm Religiosi possint contra- 29 here Matrimonium: Pugnant inter se Thomistæ, atque Scotistæ. Illi tenent negativam, freti eo principio, quòd Votum solemne Castitatis dirimat Matrimonium postea contractum non ex solo Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturali Divino, in quo Papa dispensare non potest; ut latè nituntur probare Salmanticenses *tom. 8. de Statu Religioso tract. 20. disp 1. dub. 7.* ubi *num. 91.* allegant Theologos 25. hanc opinionem sequentes; & *num. 109.* negant omnia exempla, ab Historicis relata, dispensationum à diversis Pontificibus concessarum, ad effectum ut adstricti Voto solemni Castitatis possent ex justa, ac gravi causa licitè, & validè Matrimonium inire; quæ quidem exempla adducta fuerunt à nobis supra *Decis. XV. num. 17. 18. & 19.* ubi affirmativam opinionem amplexi sumus. & Doctores eandem tuentes allegavimus. Eandem & nunc amplectimur tanquam communiorem, & veriorem, quam etiam defendunt plurimi Canonistæ, quos congerit, & sequitur Sanchez *de Matrim. libr. 8. disp. 8 num. 7.* nec non innumeri, ac gravissimi Theologi recensiti ab iisdem Salmanticensibus *d. dub. 7. n. 109.* inter quos Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 16 n. 5.* Basilius Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 10. n. 2.* & alii plurimi citati per Dianam *part. 8 tract. 1. resol. 73.* reportata in ejus Opere Coordinato, & reposita in *tom. 3. tract. 1. resol. 78.* ubi §. 4. stat & ipse pro affirmativa, sic scribens pro ejus corroboratione. Probatur hæc sen- „tentia tum ex facto Pontificum, quos sæpiùs „in hoc casu fœliciter dispensasse legimus, & „quidem fide indubitata, ut fusè prosequitur „Azorius, & Platus. Tum quia quo ad valo- „rem dispensationis Ecclesiasticæ, eadem est „ratio Voti simplicis, & solemnis; neque hoc „ex natura sua habet majorem obligationem, „quàm illud. Tum quia secundùm S. Tho- „mam, & alios, potest dispensari in Voto Ca- „stitatis per Ordinis susceptionem; quod non „minùs solemne est, quàm Religiosæ Profes- „sionis; etsi hoc discrimen sit, quòd hoc tolli „non possit nisi ipso etiam statu (Religionis) „à persona sublato, quod non est necesse in „priori casu. Tum denique quia nihil obstat „ejus Voti dispensationi. Non traditio, quia „etiam simplex Votum aliquando traditionem „continet. Accedit, quòd etiam res in Regis „dominium redactas potest Prorex, si major „utilitas, & honor Regis id exposcat, alienare. „Non Voti solemnitas, quia hæc solo Jure Ec- „clesiastico introducta est. Non ipsa Religio- „nis natura, quia licèt de hujus essentia sit Ca- „stitas; tamen non est de essentia ejus, qui se- „mel Religiosus est factus, ut maneat Religio- „sus, ut dicetur. Nec demùm Consecratio; „non solùm quia Benedictio ipsa propriè non „constituit Religiosum; sed etiam quia hæc ip- „sa potest à re integra separari, ut mox dicetur. Hucusque Diana, qui §. 5. prosequitur narrare Exempla Apostolicarum Dispensationum in Votis solemnibus Castitatis relata ab Historicis antiquis, & modernis; quibus tanquàm fide dignis est credendum per *text. in l. 1. ff. De Offic. Præfect. Prætor.* & docent Baldus *in l. Ea quidem col. 4. & in fin. C. de Judic.* Mas- 30 cardus *de Probat. conclus. 287. num. 1.* Rota coram Merlino *decis. 807. num. 4.* & coram Coccino *decis. 1867. num. 19.* Eadem Rota *part. 19. recent. decis. 196. num 4.* Dianæ doctrinam amplexi sunt ex Canonistis Rebuffus *in praxi benefic. ad Reg. de Dispensat. in gradib. prohib. Glos. 5. num. 10.* Grassus *de Effect. Cleric. eff. 1. num. 114.* Gratian. *Discept. Forens. cap 457.* Card. Parisius *vol. 4. cons. 68. num. 148.* Garzias *de benefic. part. 7. cap. 10. num. 43 & 45.* Menochius *de Arbitrar. casu 421. num. 10.* Cardin. Tuschus *Litt. D. Conclus. 458. num.*

458. *num.* 19. & alii plurimi congesti à Justo *d. libr. 2. de Dispensationib. cap.* 13. *num.* 16. ubi in specie ait, Papam posse dispensare cum Equitibus Hierosolymitanis, & aliis Religiosis, ut Matrimonium contrahere valeant; *& num.* 17. refert Exempla consimilium Dispensationum; prout facit etiam Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 15. *n.* 22.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Declarat præsens Decisio impedimentum dirimens *Cognationis Naturalis*, tradita ejus definitione, ac explicatione *Stipitis, Lineæ, & Graduum*, cum tribus regulis pro eorum computatione. Docet usque ad quem gradum Cognatio Naturalis dirimat Matrimonium de Jure Canonico? An de Jure naturæ prohibitum sit Matrimonium in primo gradu, tam in linea recta, quàm in linea laterali? In quibus gradibus utriusque Lineæ possit Papa dispensare? Ponuntur Exempla, & Historiæ circa dictas Quæstiones. Pœnæ, & punitiones Copulæ incestuosæ.

SUMMARIUM.

1 *Cognatio Triplex, Naturalis, Spiritualis, & Legalis.*
2 *Naturalis cognatio cur sic vocetur?*
3 *Cognationis Naturalis, seu carnalis, definitio, ac declaratio.*
4 *Stipes quid sit?*
5 *Angeli an sint Dei consanguinei?*
6 *Linea quid sit? & Quotuplex?*
7 *Gradus quid sit?*
8 *Graduum computatio de Jure Civili differt à Jure Canonico.*
9 *Illegitimi Filii de Jure Canonico faciunt gradum.*
10 *Gradus quomodo computentur de Jure Canonico? Regulæ tres.*
11 *Gradus tum remotior, tum propinquior exponendus in dispensatione.*
12 *Cognatio carnalis usque ad quem gradum dirimat Matrimonium in linea recta?*
13 *Et usque ad quem gradum in linea obliqua?*
14 *Innocentius III Anno* 1215. *restrinxit impedimentum Consanguinitatis ad quartum gradum.*
15 *Impedimenti Consanguinitatis, & Affinitatis rationes multæ.*
16 *Mulierum levitas, & fragilitas.*
17 *Cognatio carnalis an de Jure naturali dirimat Matrimonium? Opiniones tres.*
18 *Matrimonia in primo gradu Consanguinitatis apud quos?*
19 *Matrimonium prohibitum in linea recta in infinitum. Rationes sex.*
20 *Pontifices nunquam dispensarunt in linea recta.*
21 *Mater an possit nubere filio? Vel Filia Patri de Jure naturæ?*
22 *Animalia abhorrent carnalem copulam cum suis genitoribus.*
23 *Matrimonium licitum de Jure naturæ in linea recta, primo gradu excepto.*
24 Cap. Non Debet. De Consanguin. & Affin. *loquitur de linea recta & obliqua.*
25 *Lex naturalis scripta est in corde hominum.*
26 *Homines sæpè operantur contra Legem naturæ.*
27 *Filiæ Loth an peccaverint, coeuntes cum Patre suo?*
28 *Collaterales cognati an de Jure naturæ prohibeantur copulari?*
29 *Sara Uxor Abrahami an fuerit ejus* Soror? *&* num. 33.
30 *Octavia nubit Neroni Imper. fratri suo.*
31 *Frater, & Soror Jure naturæ prohibentur simul nuptias inire.*
32 *Abraham cur rogavit Saram Uxorem suam, ut diceret, esse Sororem ejus?*
33 *Sara erat Neptis Abrahami, filia Aran fratris ejusdem.*
34 *Hebræorum mos, ut Nepotes dicerentur Filii Avi, & inter se fratres.*
35 *Papa an possit dispensare inter Collaterales etiam in primo gradu?*
36 *Urbani VIII. dispensatio Matrimonialis pro Patruo, & Nepte.*
37 *Matrimonium Card. Mauritii de Sabaudia cum ejus Nepte ex fratre.*
38 *Ludovicæ Mariæ Principissæ de Sabaudia dictum argutum.*
39 *Papa in omnibus gradibus lineæ lateralis dispensare potest, primo excepto.*
40 *Excommunicatio contra incestuosos Conjuges. Et aliæ pœnæ eorum.*
41 *Heraclii Imperatoris punitio Divina pro ejus Matrimonio cum Nepte.*
42 *Roberti Galliarum Regis incestuosæ Nuptiæ à Deo punitæ.*

POst impedimentum Voti, inter dirimentia sequitur *Cognatio*; quæ quidem est Triplex, Naturalis, Spiritualis, & Legalis; de quarum prima in præsenti Decisione est agendum; de aliis duabus in sequentibus. Et equidem circa Cognationem Naturalem sex sunt examinanda, & videnda. 1

1 Quid sit Cognatio Naturalis?
2 Usque ad quem gradum dirimat Matrimonium de Jure Canonico?
3 Usque ad quem gradum de Jure naturæ inter ascendentes, ac descendentes in linea recta?
4 Usque ad quem gradum de Jure naturæ inter Collaterales in linea transversali?
5 An Papa possit dispensare in omnibus gradibus inter Collaterales Consanguineos?
6 Quibus pœnis, ac punitionibus afficiantur Consanguinei in gradibus prohibitis Matrimonium simul contrahentes?

Quo ad Primum. Cognatio Naturalis ita nominatur, quasi eadem natio, quia per eam plures ab uno stipite nascuntur, & dicuntur cognati, tanquam ab eodem nati: vocatur quoque *Consanguinitas*, quasi *Sanguinis Unitas*; prout descendentes ab eodem stipite nuncupantur 2

pantur *Consanguinei*, ideſt ab uno Sanguine procedentes, ut docet S. Thomas *in* 4. *dist.* 40. *q. Unica. art.* 1. & *in Addit.* 3. *p. q.* 54. *art.* 1. ubi talem tradit carnalis cognationis de-
3 finitionem. *Cognatio carnalis, seu Consanguinitas, est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum*; cui moderni addunt, *ab ipso stipite in diversas lineas, & gradus diffusum.* Ex declaratione singulorum Verborum hujus definitionis Studiosus Lector totam doctrinam Cognationis carnalis, naturalis, seu consanguinitatis percipiet. Dicitur itaque quòd ea est *Vinculum*, non formale, sed metaphoricum, quatenus consanguinei, cum ab eodem Sanguine oriantur, majori familiaritatis, & amoris nexu connectuntur.

Dicitur *Personarum*, ideſt creaturarum rationabilium, ad differentiam brutorum; siquidem consanguinitas consideratur in hominibus tantùm, quia hi capaces sunt veri amoris, & amicitiæ; non autem in brutis, quæ moventur ad copulam carnalem libidinis æstu, & non amore amicitiæ, ut docet Aristoteles 5. *Ethicor. cap.* 11. Dicitur, *ab eodem stipite descenden-*
4 *tium.* Nam stipes est illa persona, à qua descendunt aliæ, de quarum cognatione tractatur; & quæ dat principium lineis eorumdem descendentium; idcircò intelligendum est de stipite proximo, non de remoto; aliàs omnes homines essent consanguinei; cùm omnes descendant vel ab Adamo, vel à Noe remotissimis stipitibus. Proximus autem stipes attenditur, à quo consanguinitas oritur, & ex cujus origine amor, similitudo, & familiaritas inter consanguineos conservatur. Dicitur *carnali propagatione contractum*; tum ad differentiam Cognationis *Spiritualis*, quæ in Patrinis per susceptionem in Baptismo, ac Confirmatione contrahitur; nec non *Legalis*, quæ per adoptionem extraneorum in filios gignitur; tum ad discrimen Angelorum, inter quos, & Deum non datur consanguinitas; quia licèt ab
5 illo fuerint producti, factum fuit per creationem, non per propagationem carnalem; ut notant Justus *de Dispensationib. Matrimonialib. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. & Salmanticenses *tract.* 9. *de Matrimon. c.* 12. *num.* 6. ubi subdunt, quòd neque Eva fuit formata per carnalem propagationem Adæ, & quod inter eos non fuit vera consanguinitas; sed utique inter Redemptorem nostrum JESUM CHRISTUM, & Beatissimam Virginem ejus Matrem; quia ex ejus purissimo Sanguine fuit conceptus per virtutem Spiritus Sancti, & quemadmodum ex aliis matribus, fuit carnali propagatione productus, purissima Virginitate illæsa servata, & cæteris omnibus concurrentibus, quæ ad naturalem procreationem exiguntur.

Dein additur in definitione ab ipso stipite
6 *in diversas lineas, & gradus diffusum.* Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, & continet tam masculos, quàm fœminas. Rota *coram Merlino decis.* 228. *num.* 20. Et est duplex, alia *Recta*, & alia *Transversalis*, seu *Obliqua*. Linea illa Recta dicitur, quæ est *collectio eorum quorum unus ab altero descendit*; ut Filius à Patre; Nepos à Filio; Pronepos à Nepote; & sic deinceps: Et quamvis hæc linea *Recta* in se sit unica, tamen subdividitur in duas, quarum una appellatur *Ascendentium*, per quam progredimur numerando, & incipiendo ab ultimis genitis donec perveniamus per ascensum ad primum stipitem, seu genitorem; & alia nuncupatur *Descendentium*, per quam incipientes à Superioribus Parentibus descendimus numerando usque ad ultimum genitum. Linea *Transversalis*, seu *Obliqua* est *Collectio eorum, qui ab eodem stipite descendunt, sine eo, quòd unus ab alio ortum ducat*; ut sunt Fratres consobrini & eorum descendentes inter seipsos respectivè. Hæc pariter subdividitur in Lineam *æqualem*, & in Lineam *inæqualem*. Illa dicitur *æqualis*, in qua ab utraque parte personæ distant æquali gradu ab uno stipite, ut duo fratres. *Inæqualis*, quando inæqualiter se habent respectu unius principii, ut Patruus, & Nepos.

Gradus est *distantia unius personæ ad aliam*; sivè est habitudo distantium personarum, qua cognoscitur, quota Agnationis, seu Cognationis distantia duæ personæ inter se differant. Et dicuntur Gradus ad similitudinem scalarum, 7
& locorum proclivium, per quos vel ascendimus, vel descendimus, & gradimur de proximo in proximum; sivè sursum ascensuri, sivè descensuri deorsum. *l. Jurisconsultus.* §. *Gradus. ff. de Gradib* Justus *d. libr.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. & Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 7.

Porrò circa computationem graduum notandæ sunt duæ differentiæ inter Jus Civile, & Jus Canonicum. Una est, quòd de Jure Civili 8
Spurii, seu Filii vulgò quæsiti, non censentur Consanguinei; nec veniunt sub nomine consanguineorum, aut agnatorum. *l. Si Spurius. ff. Unde Cognat.* Rota *part.* 4. *recent. Decis.* 616. *num.* 1. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 218. *num.* 18. & Cevalos *Commun. contra com. quæst.* 757. *num.* 47. & 48. & ideò prædicti non faciunt gradum, neque numerantur inter illos de familia. At de Jure Canonico, 9
quia negari non potest, quòd etiam illegitimi, & Spurii, naturali jure inspecto ex eodem sanguine procedant; ideò ubi agitur de Matrimonii impedimento computantur & ipsi, faciuntque gradum prout faciunt etiam legitimi. Reginaldus *libr.* 31. *num.* 140. Rota post Vivian. *de Jurepatron. Decis.* 45. *num.* 2. nullumque est discrimen inter legitimos, & illegitimos. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. Glossa* 5. *num.* 126. Altera differentia est, quòd de Jure Civili in computandis gradibus lineæ collateralis, seu transversalis, incipiendum est à Persona, de cujus distantia quæritur, & est ascendendum usque ad stipitem communem, ac ab eo iterum est descendendum usque ad alium transversalem, de cujus pariter propinquitate, seu distantia disputatur; & quælibet persona in ipsis collateralibus facit unum gradum, juxta §. *fin. Instit. De Gradib. Affin.* & sic Frater, & Soror secundùm Leges Civiles sunt inter se in secundo gradu; Patrueles, nempè duorum Fratrum Filii, sunt in quarto gradu. Justus *d. cap.* 3. *num.* 45. *libr.* 2. Aliter tamen est de Jure Canonico circa impedimenta Matrimonii; siquidem,

dem, ut mox dicemus; quoto gradu remotior persona transversalis distat à communi stipite, ipso dempto, eodem distat ab altero, quamvis in æquali, vel in proximiori gradu distet à stipite.

Igitur pro recta computatione graduum secundùm Canones, & in materia Matrimonii, tres notandæ sunt Regulæ traditæ à D. Thoma *in* 4. *dist.* 40. *quæst. Unic. art.* 2. *& in Supplem.* 3. *part. quæst.* 54. *art.* 2. *in corp. ad* 7.

10 Prima Regula est: In Linea Recta tot gradibus unus ab alio distat, vel conjungitur, quot generationibus ab eodem stipite descendit. Hinc quia Filius una generatione descendit à Patre; uno gradu distat ab illo. Nepos duabus generationibus descendit ab Avo: sic duobus gradibus distat ab eo. Secunda Regula est. In Linea Transversali æquali tot gradibus descendentes à communi stipite distant inter se, aut inter se junguntur, quot gradibus communi stipiti, eo dempto, sunt junĉti, vel distantes. Idcircò duo Fratres uno solo gradu distant à Patre, qui est eorum stipes, & uno solo gradu distant inter se *cap. Parentela. & cap. Ad sedem.* 35. *quæst.* 5. Tertia Regula pro Linea Transversali inæquali est. Tot gradibus unus alteri jungitur, vel ab eo distat, quot gradibus remotior distat à communi stipite. Quapropter Nepos duplici gradu distat ab Avo, & ideò Patruus, frater patris ejus, duplici gradu distat à Nepote. Has tres regulas, præter S. Thomam assignant communiter omnes Theologi, & Canonistæ; & præcipuè Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disp* 50. *num.* 4. Palaus *disp.* 4. *punct.* 7. *n.* 3. Salmanticenses, alios allegantes *d. cap.* 12. *num.* 9 Mastrius *in* 4. *sent. d. disp.* 7. *n.* 453. Emin. Card. de Lauræa *disp.* 25. *art.* 2. *per totum*, quem concludit his verbis: *Collige ex his, quòd Lineæ collaterales semper dicuntur æquales, quando personæ, quæ positæ sunt ex utraque parte, æqualiter distant à communi stipite. Quando verò una persona distat magis quàm alia, vel in eodem plano, vel secundùm Lineam ascendentem, & descendentem, dicuntur Lineæ inæquales. Collige* 2. *Quòd nunquam multiplicantur gradus in arbore cujuscunque consanguinitatis, nisi multiplicentur propagationes; & protinde semper tot sunt gradus, quot propagationes.*

Tandem notare debet Studiosus Lector pro Praxi, quòd quando petitur dispensatio
11 Apostolica super aliquo gradu prohibito Matrimonii, etsi ipsa dispensatio concedatur super solo gradu remotiore, tamen exponendus est etiam gradus propinquior, si contrahentes sint in differenti gradu, puta in quarto, & in tertio. Sanchez *libr.* 8. *disp.* 24. *num.* 24. *&* 25. Aversa *quæst.* 16. *sect.* 1. *Vers* Secluso. Barbosa *in Votis Canonicis lib.* 1. *Vot.* 3. *num.* 5. *&* 6. Genuens. *in Praxi cap.* 20 *num.* 10. & aliis citatis Justus *d. libr.* 2. *cap* 3. *num.* 37. *& seqq.* ubi advertit, utriusque gradus inæqualis narrationem esse necessariam, quia dispensatur super remotiore; & dantur Litteræ declaratoriæ, quòd gradus propinquior non obstet dispensationi juxta Bullam B. Pii V *Incipien. Sanctissimus*, cujus tenorem ad verbum refert Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispensat. Apostol. lib.* 7. *num.* 58. Quæ Litteræ declaratoriæ si omittantur, dispensatio remanet invalida, ut declaravit Urbanus VIII. & ex stylo introducto testantur Barbosa *d. libr.* 1. *Voto* 4. *num.* 16. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. *n.* 17. & Justus *d. libr.* 2. *cap.* 3. *num.* 41. ex quibus cessat altercatio Doctorum disputantium, an præter gradum remotiorem sit exprimendus etiam gradus propinquior in petenda dispensatione; certum est enim eum esse exprimendum (ut dictum est) sub pœna nullitatis ejusdem dispensationis ex dicta declaratione Urbani VIII. & monitione ipsius Pyrrhi Corradi, ac Justi versatissimorum in Curia, in his dispensationibus expediendis. Addit Justus ipse *ibidem num.* 43. quòd si petenda sit dispensatio super primo, & secundo à communi stipite gradu, non dantur Litteræ declaratoriæ super primo; sed dispensatur super utroque gradu, quia quilibet ex dictis gradibus constituit impedimentum de per se.

Quo ad Secundum, in quo quæritur, usque ad quem gradum Cognatio carnalis, seu Consanguinitas dirimat Matrimonium? Distinguere oportet Lineam Rectam à Linea Transversali. Siquidem in Recta Linea dirimit us-12 que in infinitum, adeò ut si Adam viveret, Matrimonium cum nulla muliere posset contrahere de Jure Canonico. Probatur dupliciter: primò, quia Jus Canonicum antiquum præcipiebat servari prohibitionem graduum in Matrimoniis factam à Lege Divina, & à Lege Civili. *cap. Conjunctiones.* 35. *quæst.* 2. *&* 3. ubi S. Calixtus I. Papa electus Anno 221. *in Epist.* 2. *ad Episcopos Galliæ* ita scripsit: *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibere, quando hæ & Divinæ, & sæculi prohibent Leges.* Sed ex Lege Divina prohibitum esse Matrimonium inter ascendentes, & descendentes usque in infinitum, & sic in quocunque gradu Lineæ rectæ, docent communiter omnes Doctores, ut testatur Cornelius à Lapide *in Levit. cap.* 18. *Vers.* 18. ibi: *Denique communis Doctorum Sententia est, solos gradus consanguinitatis Lineæ rectæ inter ascendentes, & descendentes jure naturæ irritum facere Matrimonium.* Ex Lege autem Civili Nuptias esse prohibitas inter eosdem ascendentes, & descendentes per Lineam rectam usque in infinitum, habetur in *l. Nuptiæ. ff. de Ritu Nuptiar.* & ita tenent Emin. Card. Bellarminus *de Matrim. tom.* 3. *Controv. cap.* 28. *in princ.* Sylvester *Verb. Matrimonium* 8. *quæst.* 6. post explicationem Arboris. Navarrus *in Summa cap.* 22. *num.* 84 Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *assert.* 2. Emin. Cardin. Tuscus *Litt. P. conclus.* 69. *num.* 32. & alii plurimi relati à Sanchezio *libr.* 7. *de Matrim. disp.* 51. *num.* 12. & à Justo *d. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 57. *&* 58. ubi subdit, nullam usque adhuc reperiri memoriam, quòd in Ecclesia Catholica dispensatum sit in aliquo gradu Lineæ rectæ, ut possit contrahi Matrimonium.

In Linea autem transversali, & obliqua duo tempora sunt distinguenda quo ad prohibitionem graduum inter consanguineos, ac irritationem Matrimonii inter eos de Jure Canonico. Primum tempus est ab initio Ecclesiæ usque ad 13 tempus Innocentii Papæ III. qui fuit electus

Ponti-

Pontifex *Anno* 1198. nam in omnibus illis duodecim sæculis Matrimonium erat prohibitum inter Consangnineos Lineæ transversalis usque ad septimum gradum; adeò ut cognatio carnalis inter eosdem impediebat, ac dirimebat Matrimonium usque ad dictum gradum septimum inclusivè, ut legitur *in cap. Nullum. 35. quæst. 2. & 3.* ubi Julius Papa I. qui præfuit Ecclesiæ *Anno* 336. sic loquitur: *Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel Uxoris, usque ad septimum generis gradum Uxorem ducere, vel incesti macula copulari.* Quæ Juris Canonici dispositio legitur repetita, ac innovata per prædictorum duodecim sæculorum cursum in innumeris propè Conciliis, ac Summorum Pontificum decretis, quæ cumulantur, & referuntur à Basilio Pontio *libr. 7. cap. 30. num. 1.* & ab Emin. Card. de Lauræa *d disp. 25. art. 3.* ubi *num. 31.* advertit, quòd S. Gregorius Magnus omnium primus dispensavit pro Anglis, suo tempore ad fidem conversis, ut in quarto, & quinto consanguinitatis gradu eorum Matrimonia valerent, prout in *lib. 12. Epist. 21. cap. 6.* legitur; & habetur *in cap. Quædam lex. 35. q. 2. & 3.* Secundum tempus est illud Innocentii Papæ III qui convocavit Concilium Lateranense IV. Anno 1215 & in eodem, *can.* 14 50 sic fuit statutum: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis, quartum Consanguinitatis, & Affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* Qui canon repositus est *in cap. Non debet. 8. de Consang. & Affinit.* Plures autem fuerunt rationes, quibus introductum fuit hoc impedimentum dirimens cognationis carnalis ab initio Ecclesiæ usque ad septimum gradum; videlicet, quia 15 cùm Matrimonium institutum sit à Deo ad fovendam charitatem, & familiaritatem inter homines; eo non erat opus inter proximos consanguineos, qui inter se erant sanguine, ac naturali benevolentia conjuncti: item quia actus conjugalis, ob turpitudinem sibi innatam, valdè officit pudori, ac reverentiæ debitæ parentibus; ideò conveniens fuit extra plures gradus illud collocare. Prout etiam quia cùm inter consanguineos magna familiaritas habeatur, magnam quoque jacturam castitas pateretur, si inter eosdem omnes copula Matrimonialis esset possibilis. Rationem verò restrictionis usque ad quartum gradum factæ sub Innocentio III. ostendit Concilium Tridentinum *sess 24 cap. 2 de Ref. Matrim.* his verbis: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in talibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Aliam rationem reddit Nicolius *Instit. Civil. libr. 1. tit. 10. de Nuptiis num. 38.* quia videlicet Mulier ob ejus levitatem, ac fragilitatem eget auxilio multorum; & usque ad quartum gradum præsumuntur consanguinei parati eidem levitati, ac fragilitati opem ferre, at non 16 ultra; ideò eorum vices supplet Maritus Quod autem Mulier sit levis, ac fragilis testatur Glossa *in cap. Forus. in Verb. Varium. De Verb. signific.* his versibus:

Quid levius fumo? Flamen. Quid flamine? Ventus.
Quid vento? Mulier. Quid muliere? Nihil.

Quo ad Tertium. Si quærimus usque ad quem gradum de Jure naturæ cognatio carnalis inter Ascendentes, & Descendentes linea recta dirimat Matrimonium? Tres referri possunt opiniones. Una est, quòd in nullo gradu di- 17
rimat; adeò ut neque in primo gradu inter Patrem, & Filiam; & vice versa inter Filium, & Matrem. Argumenta sunt tria. Primum, quia quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum. *cap. Illa. Ne Sede Vacant. l. Dissentientis. C. De Repud.* Sed nullibi legitur scriptum, de Jure naturali Matrimonia iniri non posse inter ascendentes, & descendentes in quocunque gradu. Ergo pro quocunque gradu inter eosdem Jure naturali nulla est prohibitio. Si enim hoc Jus prohibere voluisset, expressisset. *cap. Ad audientiam 2. de Decim. cap. 2, de Transact. l. Unica §. Sin autem. C. De caduc. tollen. l. Si servus. §. Prætor ait. ff. De acquirend. hæredit.* Id enim lex præsumitur noluisse, quod facilè poterat exprimere, & non expressit. Barbosa *Axiom. 136. num. 6. & ibi DD.* Secundum argumentum: Non est contra Jus naturale, si Filius sit æqualis, vel etiam major suis genitoribus, ut sæpè fit in contractibus; & quotidiè videmus in dignitatibus vel Senatoriis, vel Episcopalibus, vel Cardinalitiis. Tertium est: Non potest dici de Jure naturæ vetitum, quod à pluribus nationibus fuit factitatum. Sed Indos, Æthiopes, ac Medos cum Matribus, & filiabus concumbere solitos, testis est S. Hieronymus *libr. 2. contra Jovinian.* 18 Et de aliis gentibus ait Euripides *in Andromede:*

Tale est omne barbarum genus,
Pater cum Filia, Filius cum Matre, Miscetur.

Et, ut de aliis taceam, in Officio S. Wenceslai Ducis, & Martyris *die 28. Septembr.* habemus, quòd ejus Mater Drahomira alium filium suum juniorem Boleslaum in maritum sibi tenebat. Concordat Emin. Card. Palæotus *De Nothis, & Spuriis cap. 3.* ubi affirmat, id fuisse in usu apud Persas, Medos, & Parthos juxta illos Versus:

Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & Nato Genitrix, & Nata Parenti,
Jungitur, ut Pietas geminato crescat amore.

Quartum est argumentum de filiabus Lot, quæ cum eo dormierunt, & ut ait Textus sacer in *Genes. 19. 36. Conceperunt duæ filiæ Lot de Patre suo,* & eas excusat à peccato S. Ambrosius *libr. 1. de Abraham cap. 6.*

Secunda opinio est, quòd Jure naturali carnalis cognatio impedit, & dirimit Matrimonium inter Ascendentes, & Descendentes Linea recta usque in infinitum; itaut si Adam modò 19
resurgeret, cum nulla fœmina posset Matrimonio conjungi. Ita Scotus *in 4. dist. 40 quæst. Unic. art 2.* Rebellius *libr. 3. quæst 5. sect. 2. num. 2.* & alii citati per Salmanticenses *d cap. 12. de Matrim. num. 14.* quibus addendi, quos

allegat Eminentiss. Cardin de Lauræa *d. disp. 25. art. 4. num. 48.* nempè Durandus *in 4. ead. dist. 40 quæst. 1. num. 9.* Richardus *ibid. art. 1. quæst. 3.* Divus Antoninus *3. part. tit. 1. cap. 14. §. 2.* Vasquez *2. 2. disp. 112. n. 7* & alii multi, quos cumulat Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 51. num. 12.* ubi refert eorum sequentia fundamenta. Primum est, quia Natura respuit Matrimonium inter parentes, & liberos ratione reverentiæ illis ab his debitæ; major autem reverentia debetur parentibus remotioribus, quibus imò tantò magis obsequi juniores descendentes debent. Sed hæc reverentia destruitur per Matrimonialem societatem. Ergo inter ascendentes, & descendentes in linea recta Jus naturale non admittit Matrimonium. Secundum, quia etsi inter remotiores arcendentes, & descendentes sit minor indecentia, quo ad Sanguinem, tamen est major indecentia quo ad ætatem, siquidem si Avus vellet ducere mulierem à se recta linea descendentem extra quartum gradum, opus esset, ut ipse haberet annos saltem octoginta, Sponsa verò annos duodecim, ut quilibet numerando generationes quinque calculare potest. Ideò, ob magnam indecentiam inæqualitatis annorum, Jus naturæ non admittit conjugium inter ascendentes, ac descendentes in recta linea. Tertium fundamentum est; quia omnes superiores ætate, ratione principii habent qualitatem Patrum; & descendentes ab eis illam filiorum; Ideò Christus Dominus ratione ejusdem principii *Matth. 1.* vocatur Filius David, & Filius Abraham. Ergo quamvis inferiores sint in gradu valdè remoto, cùm reputentur Filii ascendentium, non potest de Jure naturæ inter hos, & illos stare Matrimonium. Quartum: Quia Leges Civiles prohibent quodcunque conjugium inter eosdem tanquam repugnans Juri naturali. *§. Ergo non omnes. Inst. de Nuptiis l. Nuptiæ. 53. & l. Nihil. 54 ff. de Ritu Nupt.* Quintum: Quia Jus Canonicum *in cap. Non debet. De Consanguin & Affinit.* correxit Jus Civile, & illud restrinxit ad quartum gradum pro Matrimoniis inter cognatos in linea transversali; at inter illos lineæ rectæ nihil dispositi. Ergo reliquit Jus Civile in suo robore; & sic venit observandum. *cap. 1. De Novi operis nunciat.* DD. apud eundem Sanchezium *libr 1. de Matrim. disp. 6. num. 24.* Sextum: quia, ut dictum est supra *num. 12.* certè nullibi reperitur, quòd Summi Pontifices in cursu tot saculorum, unquam dispensaverint super Matrimonio inter ascendentes, & descendentes in linea recta; undè sequitur, quòd in
20 Ecclesia Catholica per annos mille, & septingentos nullus ascendens duxit in uxorem aliquam mulierem à se recta linea descendentem; neque nulla mulier aliquem Virum à se linea recta progenitum. Idcircò ita tenent viginti octo Canonistæ; ac sex & viginti Theologi, quos nominat, & citat ipse Sanchez *d. libr. 7. disp. 51. num. 12.* quibus adstipulantur etiam Mastrius *d. disp. 7. de Matrimon. num. 457.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 25. num. 55.* ubi subdit, quemlibet experiri in se naturalem quendam horrorem circa copulam carnalem cum suis ascendentibus, vel descendentibus recta linea, ut neque de ea audeat cogitare.

Tertia opinio, & quidem communior est, quòd Jure naturæ inter ascendentes, & descendentes in linea recta Matrimonium sit irritum in primo gradu tantùm, itaut non possit fieri inter Patrem, & Filiam; nec inter Filium, & Matrem: in cæteris verò gradibus ex prædicto jure non sit irritum. Probatur prima pars, quòd in primo gradu fieri non possit. Primò, quia in institutione Matrimonii dixit Deus, *Genes. 2. 24. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Igitur Jure naturæ Pater, & Mater relinquendi sunt, quando facienda est Uxoria conjunctio. Ita S. Bonaventura *in 4. dist. 40. quæst. 3. num. 25.* Nec quis dicat per illa verba esse hanc irritationem de Jure Divino: quia, ut ait Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 25. num. 51.* non fuerunt prolata à Deo, sed ab Adamo, Divino afflante Spiritu in corde ejus interno; & hæc dicitur Lex naturalis juxta illud *Psal. 4. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Secundò probatur Auctoritate S. Ambrosii, qui *Epist. 66. ad Paternum* scripsit, *Matrimonium Parentis cum filia repugnat Legi naturæ scriptæ in cordibus hominum, adeò horribilis, & turpis est congressus iste.* Tertiò probatur, quia nimis præjudicaretur reverentiæ naturaliter debitæ genitoribus, si inter ipsos, ac eorum genitos carnalis copula exerceretur; hinc præceperat Deus in *Levit. 18. 7. Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus*, quo loco commentatur Cornelius à Lapide: *Vetatur hic Matrimonium, & copula cum Patre, & Matre*, & idem notat *ibidem* Tirinus. Probatur Quartò, nam quod est commune omni Nationi absque Lege positiva ab eis condita, dicitur esse de Jure naturæ. *cap. Jus naturale, dist. 1.* Sed talis horror circa conjunctionem Parentum cum filiis est communis omni Nationi; nulla enim habet hoc in usu, (exceptis quibusdam efferatis gentibus, vel impiis hominibus, de quibus mox dicemus) nam etiam Gentiles in hoc primo gradu, in linea recta, abstinebant, & abstinendum esse à conjugio sciebant; undè illud Paridis laudantis Helenam apud Ovidium:

O Jove digna Viro, ni Jove nata fores.

Probatur Quintò exemplis animalium; scribit enim Aristoteles *lib. 1. Histor. Animal. cap. 47.* Camelos nec vi adigi posse, ut Matribus congrediantur; cumque fraude Camelarii pullus quidam contectam Matrem, ne posset agnosci, inscendisset, & postea detracto tegumento eam cognovisset, morsu interfecisse Auctorem. Ibidem narrat Equum quendam generosissimum Regis Scytharum, qui cum Matre congredi nollet, simili artificio deceptum, postea re detecta fugisse, & ex alto se præcipitasse. Guilielmus quoque Parisiensis *part. 1. de Univ. part. 3. cap. 8.* refert, de alio Equo fraudulenter in Matrem admisso, quòd postea sibi genitalia mordicùs præsciderit, natura ipsa testante, quàm grave sit piaculum istud. Plura alia exempla his similia congerit Tiraquellus *de Lege Connub. leg. 7. num. 47.* Plinius *libr. 8. cap. 42.* Varro *Rei Rustic. libr. 2. cap. 14.* Lessius *de Just. & Jur. libr. 4. cap. 3.*

cap. 3. *num.* 78. Emin. Card. Parisius *consil.* 68. *num.* 353. *vol.* 4. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 25. *num.* 54 quibus addendum est, quod legitur apud Valerium Maximum *libr.* 2. *cap.* 9. olim scilicet apud Romanos nefas fuisse, Filium cum Patre balneum ingredi, ne se invicem nudos conspicerent.

Secunda verò hujus Tertiæ opinionis pars, quòd de Jure naturæ in aliis gradibus (primo excepto) inter Lineæ Rectæ Ascendentes, & Descendentes Matrimonium non sit prohibitum
23 probatur. 1. Quia *in cap. Gaudemus. De Divortiis* Innocentius III. docet, infideles ad fidem conversos non esse separandos à conjugibus, si in secundo, aut tertio gradu contraxerunt, tempore scilicet infidelitatis; quia tunc nisi à primo gradu tenebantur abstinere. At post conversionem non possunt contrahere nisi extra quartum gradum, ut notat Mastrius *in* 4. *sent. disp.* 7. *num.* 465. 2. Quia idem Pontifex *in cit. cap. Non debet. De Consanguin. & Affinit.* docet, impedimentum consanguinitatis restringi ad quartum gradum. Ergo id est intelligendum non solùm de Jure Canonum, sed etiam de Jure naturæ; & per consequens in cæteris remotioribus gradibus Matrimonium esse licitum etiam inter Ascendentes & Descendentes Lineæ Rectæ. Nec dicat quis, *d. cap. Non debet* loqui tantùm de Linea transversali;
24 quia cùm nullus alius sit Canon disponens de gradibus Lineæ Rectæ, sequeretur, in eadem linea non esse prohibitum de Jure Ecclesiastico contrahere Matrimonium in secundo, tertio, & quarto gradu; quod absurdum esset asserere, ut bene advertunt Salmanticenses *d. cap.* 12 *de Matrim. num.* 16. Probatur. 3 Quia Avus, & alii Ascendentes respectu descendentium Nepotum, & inferiorum sunt principium accidentale tantùm eorundem; verum enim principium ipsorum est solus Pater; ideò si fieret inter eos Matrimonium, non esset talis irreverentia, quæ Jus naturale offenderet. Probatur 4. Quia quò magis aliquis distat à suo principio, minor est conjunctio cum illo, & ideò minorem debet ei reverentiam, & sic minor esset indecentia, si Matrimonium inter eos iniretur. Quare hanc Tertiam opinionem amplectuntur S. Thomas 2. 2. *quæst* 154. *art.* 9. nec non *in* 4. *dist.* 40. *quæst. Unic. art.* 3. prout etiam *in addit. ad* 3 *p. quæst.* 54. *art.* 3. Aversa *de Matrim qu.* 16. *sect.* 1. *Vers. Ex alia parte.* Castropalaus *disp.* 4. *punct.* 7. *num.* 9. Candidus *disp.* 28. *art.* 6. *dub.* 4. *&* 5. Sanchez *de Matrim. d. libr.* 7. *disp* 51. *n.* 19. *&* 20 ubi alios DD. cumulat. Basilius Pontius *lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 4 Bonacina *quæst.* 3. *punct.* 5. § 1. *num.* 8. Salmanticenses *d. cap.* 12 *num.* 15. & ibi alii, inter quos Perez, Diana, & Sylvius; quibus addendi sunt Gobatus *tract.* 9. *num.* 168 Layman *libr.* 5. *tract.* 10 *part.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. & Justus *d. libr.* 2. *cap.* 3. *num.* 59.

Restat ut respondeamus argumentis primæ opinionis asserentis etiam in primo gradu Lineæ Rectæ posse subsistere Matrimonium de Jure naturæ inter Ascendentes, & Descendentes. Igitur ad Primum negatur, non reperiri legem prohibentem in dicto primo gradu; siquidem Lex naturalis prohibens, & respuens 25
talia Matrimonia, scripta est in cordibus hominum, quia abhorrent hæc conjugia; & de hac lege ait Apostolus *ad Rom.* 1. *&* 2. *Ejusmodi enim legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Item extat Lex Levitici *cap.* 18. de qua *supra*, (sivè judicialis sit, sivè moralis) nec non Lex Canonica *in cap. Gaudemus. De Divortiis;* & *in cap. Non debet. De Consanguin. & Affinit.* atque Lex Civilis in *l. Nuptiæ* 53. *&* *l. Nihil* 54. *De Ritu Nupt.* supra recensitæ, quæ innituntur Legi naturæ. Ad secundum respondetur, æqualitatem Filii cum parentibus in contrahendo; ejusve superioritatem in dignitatibus non concludere; quia in his non adest turpitudo, neque læditur reverentia ipsis parentibus de Jure naturali debita. Respondetur ad Tertium, exempla illa incestuosa in primo gradu Lineæ rectæ nihil concludere; tamquam irrationabilia, & contra Jus naturæ ex libidinis furore attentata, quæ reprehenduntur vehe- 26
menter à Tertulliano *in Apologet. cap.* 9. Constat enim, quòd multa fiunt ab hominibus contra Jus naturale ex aliqua passione, vel cæcitate mentis, ut mendacia, homicidia, idololatriæ, & alia turpia. Ad Quartum respondetur, filias Lot excusari per S. Ambrosium à peccato tum ob ignorantiam invincibilem, tum quia cùm Civitates Sodomorum comburerentur, ipsæ putarunt, nullum alium hominem remanere in mundo præter Lot earum patrem, quem propterea inebriaverunt, & cum eo inscio carnaliter se conjunxerunt, ne totum genus humanum perirer. At subdit *ibid.* Cornelius à Lapide *Vers.* 31. *Contrarium docet S.* 27
Augustinus, & communiter Theologi. Primò, quia error dictarum filiarum, & ignorantia erat vincibilis. Secundò, quia concubitus filiæ cum Patre est contra omnem naturæ pudorem; undè nullo casu, aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset, eumque concedat. Remanet itaque inconcussa opinio hæc communis, quòd Matrimonium sit irritum Jure naturæ inter Patrem, & Filiam; atque inter Filium, & Matrem.

Quo ad Quartum; In quo quæritur, usque ad quem gradum Cognatio carnalis, seu Consanguinitatis impediat, & dirimat Matrimonium de Jure naturæ inter Cognatos, & Consanguineos lineæ obliquæ, seu transversalis? Duæ sunt 28
opiniones, ac sententiæ. Prima tenet, quòd in nullo gradu Jus naturale impediat, aut dirimat Matrimonium inter prædictos. Primò, quia in principio mundi filii, & filiæ Adami, & respectivè fratres, & sorores adinvicem connubia simul inierunt. Nec est dicendum, Deum tunc dispensasse ob necessitatem, & deficientiam aliorum hominum; quia non est conveniens asserere, Summum Opificem ab initio naturæ dispensasse contra Jus naturale, si per hoc Matrimonium esset irritum inter fratres, & sorores. Secundò, quia Abraham Vir Sanctissimus duxit in Uxorem Saram sororem suam, ut fassus est ipsemet Abimelecho Regi Geraræ, ut habetur *Genes.* 20. 12. ibi: *Vere soror mea est, filia Pa-* 29
tris mei, & non filia Matris meæ, & duxi eam in Uxorem. Tertiò, quia Thamar filia

David,

David, cùm eam Amnon frater ejus cogeret ad carnaliter concumbendum cum ipso, dixit 2. *Reg.* 13. 12. *Noli Frater opprimere me, noli facere stultitiam hanc, quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Ergo sciebat, Regem potuisse eam dare illi in Uxorem. Ergo tale connubium non erat contra Jus naturale. Quartò, quia apud plurimas Nationes fuit in usu, ut sorores nuberent fratribus suis, ut ex antiquis Historicis notat Tirinus in *Levitic.* 18. 7. Quintò quia Octavia Romana nupsit Neroni Imperatori fratri suo, teste Tacito *lib.* 15. & eodem Tirino in *Chronico cap. ult. ad Annum* 8. *Neronis.* Sextò, quia frater, & soror non sunt directè una caro, sicut Pater, ac filius, nec inter ipsos repugnat æqualitas, nec est mutua reverentia debita, nec tale conjugium repugnat fini Matrimonii. Ex quibus rationibus, & exemplis hanc opinionem amplectuntur S. Thom. *in* 4. *dist.* 40. *d. q. unic. art.* 3. & in *addit. ad* 3. *p. q.* 54. *art.* 3. prout antea *in* 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. & ibi Cajetanus, ac *in cap.* 18. *Levit.* Castropalaus *disput.* 4. *punct.* 7. *num.* 11. Basilius Pontius *d. lib.* 7. *cap.* 32. *n.* 3. Aversa *q.* 16. *sect.* 1. *vers. Suadetur*, & alii plurimi, quos iidem citant, quibus adhærent Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 12. *num.* 20. &, quod mirum mihi causavit, ipse Mastrius *in* 4. *sent. d. disput.* 7. *num.* 460.

Secunda opinio tenet, quòd etiam in linea laterali Jus naturale impedit, & dirimit Matrimonium in primo gradu, adeò ut sit irritum, nullum, & invalidum si contrahatur inter fratrem, & sororem. Fundamenta hujus opinionis sunt, Primò *d. cap. Gaudemus, de Divort.* in quo Innocentius III. ait, conjuges infideles ad fidem conversos non esse seperandos, si conjuncti sint in secundo, vel tertio gradu. Ergo si in primo, separari debent, ob nullitatem conjugii provenientem in eis ex Jure naturali, cui tunc erant adstricti. Secundò, quia Papa in sæculis 17. nunquam dispensavit in hoc primo gradu inter fratrem, & sororem. Tertiò, quia talia Matrimonia, & illorum copulam plures gentes solo lumine naturæ detestatæ sunt, ut refert Aristoteles 2. *Politicor. cap.* 2. Quartò, quia ideò Abraham in Ægypto apud Pharaonem, & Geraræ apud Abimelech Regem rogavit Saram Uxorem suam, ut diceret, esse ejus Sororem, ne ipse occideretur, ideò, inquam, quia cùm illi Barbari Reges audirent, Saram esse sororem Abrahami, certò crederent, non potuisse esse ejus Uxorem; quia de Jure naturæ frater, & soror repellebantur à Matrimonio. Quintò, quia actus conjugalis ob turpitudinem, quam secum affert, adversatur pudori, & reverentiæ, quæ debetur ita sanguine conjunctis. Sextò, quia natura vetando, & respuendo conjugia inter fratres, & sorores voluit consulere harum pudicitiæ, quæ nimis periclitaretur ob intimam conversationem cum fratribus suis, si hi sperarent, posse sorores in Uxores habere. Quare hanc opinionem tutantur, & defendunt Abulensis *Levit.* 28. *quæst.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 40. *quæst. Unic. art.* 2. Henriquez *lib.* 12. *cap* 9. *num.* 4. Emin. Cardin. Toletus *in Summ. libr.* 7. *cap.* 1. *num.* 2. Covaruvias *in* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 6. §. 10. *n.* 5. Sanchez *de Matrim. d. libr.* 7. *disp.* 52. *num.* 11. ubi innumeros numerat, quibus novissimè adhærent Justus *de Dispensat. Matrimonial. d. libr.* 2. *cap.* 3. *n.* 67. & ibi Bonacina, Layman, Trullench, Filiuccius, & alii, ac Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.* 25. *à num.* 58. ubi vocat hanc opinionem probabilissimam. Hac igitur retenta.

Non obstant argumenta pro contraria opinione adducta. Non primum. Quia in principio mundi necessitas fecit, ut filii, & filiæ Adam copularentur invicem; sic Deo disponente, tanquam faciliori methodo; at post illos naturale Jus observantiam accepit, ut bene differit S. Augustinus *libr.* 15. *de Civit. Dei cap.* 16. relatus in *cap.* 1. 35. *q.* 1. cujus verba tanquam forte asylum hujus doctrinæ commendat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 25. *num.* 59. Non secundum; quia non est verum, quòd Sara fuerit soror Abrahami, ei in primo gradu conjuncta; siquidem Sara fuit ejus neptis, tanquam filia Aran Fratris ejusdem Abrahami, qui propterea verè, & propriè erat ejus Patruus, & sic Sara erat cum eo in secundo consanguinitatis gradu lineæ lateralis; ut bene demonstrat Lyranus *in cap.* 20. *Genesis*, & Cornelius à Lapide *in eod. cap.* 20. *Vers.* 12. ubi duo dicunt: *Unum*, quòd Thare pater Abraham duas habuit Uxores, ex una natus est ei filius Aran, ex altera ortus est ei Abraham. Ex dicto Aran nata est Sara, & Loth. *Alterum*, quòd mos fuit Hebræis, ut omnes nepotes respectu Avi dicerentur Filii, & respectu ipsorum vocarentur Fratres. Igitur Sara hac de causa vocabatur filia Thare Avi sui, & soror Abrahami Patrui sui; sicut ipse Loth Frater Saræ, & Nepos Abrahami nuncupabatur Frater ejusdem Abrahami, ut *in Genes. cap.* 14. Legat Studiosus Lector verba Lyrani, & Cornelii à Lapide *locis supracit.* & dicet cum Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 25. *num.* 71. *Ecce dissipatam omnem contrarii argumenti caliginem.* Non obstat Tertium, quia ut respondet *ibid.* Eminentiss. Cardin de Lauræa *num.* 73. Thamat dixit illa verba, non quia esset licitum id facere cum Regis consensu, sed ut se liberaret demanti impudici Amnonis. Non Quartum ab Exemplo Nationum, apud quas sorores nubebant Fratribus, quia aliæ plures id non permittebant. Non Quintum, quia infelicem finem obtinuit conjugium Octaviæ cum Fratre suo Nerone, à quo occisa fuit, ut testatur ipse Tirinus, ac Tacitus præcitati. Non Sextum, quia nemo probus dicet, magnam non intervenire turpitudinem in copulâ carnali inter Fratrem, & Sororem, tam arcto sanguine conjunctos; adeò ut naturaliter horror insurgat ex sola mentis reflexione ad illam, ut fusiùs differunt DD. supra allegati, & præcipuè Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 52. *num.* 11.

Quo ad Quintum; in quo requiritur, An Papa possit dispensare in omnibus gradibus inter collaterales consanguineos. Respondetur, quòd secundùm Sectatores primæ supra relatæ opinionis, Papa potest in omnibus gradibus dispensare, etiam in primo, itaut Frater possit ducere in Uxorem Sororem suam ex aliqua justa causa; ut in puncto tenet Basilius Pontius *d.*

tius *d. libr. 7. cap. 32. num. 14.* Imò Mastrius *d. disp. 7. num. 461.* refert, ex testimonio Sylvestri *in Summa Verb. Papa. q. 17.* Martinum V. dispensasse in dicto primo gradu ex gravissima causa; & idem asserunt Boerius *cons. 20. num. 26.* & Eminentiss. Cardin. Parisius *cons. 68. num. 138. vol. 4.* At (secundùm Defensores secundæ opinionis) Papa non potest dispensare in dicto primo gradu; quia id est vetitum jure naturæ, in cæteris verò gradibus ulterioribus utique dispensare potest, ut omnes DD. scribunt *in cit. cap. Gaudemus. De Divort.* & Justus *in d. libr. 2. cap. 3. num. 70.* ubi notabiliter dicit, hanc Pontificiam facultatem procedere etiam in combinatione primi, & secundi gradus lineæ inæqualis; videlicet si ageretur de concedenda dispensatione, ut Patruus posset ducere in Uxorem neptem, idest filiam fratris sui.

Hujus dispensationis legitur Exemplum in Annalibus Illustrissimi, ac Reverendissimi Marci
36 Baptaglini Episcopi Nuceriæ *de Sacerdotio, & Imperio ad Annum Christi 1642. n. 13.* ubi narrat, Urbanum Papam VIII. dispensasse, ut Princeps, ac Cardinalis Mauritius de Sabaudia contrahere posset Matrimonium cum Principissa Ludovica Maria filia fratris ipsius, ac ejus Nepte, ad sedandas bellicas discordias, in Reali illa Familia, post mortem Ducis Victorii *Anno 1637.* sequutam, grassantes. Audiat Studiosus narrationem dispensationis prædictæ, quam iidem Annales *d. Anno 1642. num. 18.* referunt his verbis: *Anche nell' estreme parti dell' Italia estendeansi le cure di Urbano VIII. ed havendo commesso strettamente al Nunzio di Savoja di procurare la concordia frà quella Casa, erasi finalmente conclusa; convenendo la Duchessa (Vedova) Reggente con i Prencipi Maurizio Cardinale, e Tomaso suoi Cognati di lasciar loro una portione del Dominio durante la minorità del Duca pupillo, e che il Cardinale deposta la*
37 *Porpora si accopiasse in Matrimonio con Ludovica Maria sorella del piccolo Duca, sua Nipote, cedendoli in governo la Città di Nizza con le di lei pertinenze; ed al Prencipe Tomaso quella d' Inurea, ed il Bielese con Titolo di Luogotenente del Duca; rimanesse poi alla Duchessa l' auttorità di Reggente, con obligo però di ammettere i Cognati nel Consiglio, ed alla partecipazione d' ogni negozio d' importanza.*

Stretto à questo modo l' accordo, il Cardinale Maurizio depose il Cardinalato, e con la debita Dispensatione Pontificia si sposò alla Nipote; la quale, se bene tenera d' anni, vivacissima di spi-
38 *rito, nello stesso giorno, che doveva sposarsi al Zio, tanto disuguale di età, disse allo stesso Nunzio Apostolico, che se era in ordine l' Altare nella Capella per la funzione dello Sposalizio, la Vittima era pronta da sagrificarsi al ben publico della concordia, considerandosi ella tale &c.*

Igitur si duo collaterales reperiantur unus in primo gradu, & alter in secundo, Papa ex justa causa potest dispensare, ut hi simul contrahant Matrimonium; & hujusmodi dispensationem fuisse illam Martini V. assertam à Summa Sylvestrina, ut dictum est supra *num. 35.* est intelligendum, si tamen vera fuit in facto. Cumque Pontifex possit dispensationem concedere super primo, & secundo gradibus simul combinatis, multò magis eam elargiendi facultatem habere fatendum est in secundo, tertio, & quarto gradibus; tam si 39
impedimenta proveniant ex uno stipite, quàm si ex diversis stipitibus; Papa enim in toto Jure canonico potest validè dispensare. *cap. Propositi. De Concess. Præbend.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 3. num. 16.* Loterius *lib. 2. quæst. 43. num 8.* ea ratione, quia qui potest Jus condere, potest in eo dispensare. *cap. Inferior sedes dist. 21.* Farinacius *cons. crimin. libr. 1. cons. 85. num. 88.* & Diana *part. 8. tract. 3. resol. 92.* Quæ est in Coordinato *tom. 3. tract. 2. resolut. 126.*

Quo ad Ultimum, in quo quæritur, Quibus pœnis, ac punitionibus afficiantur consanguinei in gradibus prohibitis Matrimonium simul con-
40 trahentes? Respondetur: Primò, prædictos incestuosos Conjuges ipso Jure esse excommunicatos per *Clem. 1. De Consanguin. & Affinit.* nisi eos excusaret bona fides, vel invincibilis ignorantia. Carol. Ant. Thesaurus *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Matrimonium cap. 5. num. 1.* ubi advertit, quòd antequam denuncientur excommunicati ab Episcopo, si se separaverint ab invicem, censura non est reservata, & à quocunque Confessario possunt absolvi. At sequuta denunciatione, non nisi ab Episcopo. Secundò, prædicti conjuges, si Matrimonium consummaverint, fiunt infames. *cap. Consanguineor. 3. q. 4.* Farinacius *q. 149. num. 139.* Julius Clarus. *§. Incestus. Vers. Hæc autem.* Tertiò prædicti fiunt irregulares, itaut evadant incapaces Ordinum, ac Beneficiorum. Majolus *de Irregular lib. 5. cap. 39. num. 1.* Quarto eorum filii sunt illegitimi, & secundùm quid infames, nisi bona fide, & cum ignorantia impedimenti geniti fuerint. *cap. Conjunctiones. 35. q. 3.* Sanchez *libr. 8. disp. 34. num. 46.* Quintò prædicti carere debent spe obtinendæ dispensationis. Concil. Trid. *sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 5.* Sanchez *libr. 7. disp. 25. num. 27.* & ideò quandocunque copula carnalis habita est inter consanguineos spe facilioris dispensationis, id est semper exprimendum in Supplicatione, aliàs dispensatio est irrita, & nulla. Sanchez *d. libr. 8. disp. 25. num. 21. & 22.* Thesaurus *d. cap 5. num. 5.* Et Sextò puniuntur etiam à Deo flagellis suæ Divinæ Justitiæ, quæ non finit sine vindicta in hoc quoque mundo Nuptias incestuosas, ut ex sequentibus Exemplis

De Heraclio Imperatore, qui propria auctoritate incestuosas Nuptias cum Nepte sua inivit, sic scribit Spondanus *ad Annum Christi 613. num. 1.*
41 *Eodemque Anno idem Heraclius, defuncta jam ante Uxore, incestuosas Nuptias contrahens, Neptem suam Martinam in Matrimonium duxit, Augustamque nominavit, coronatam à Sergio Constantinopolitano Episcopo: sed detestandum id facinus gravi vindicta à Deo punitum esse, docent Zonaras, Cedrenus, atque alii, dum turpia, atque nefanda, quæ indè passus est Heraclius, referunt.* Idem Spondanus de eodem Heraclio *Anno 1641 num. 1.* hæc habet: *Heraclius Augustus ubi imperasset annos 31. infelici exitu vitam clausit, confectus ærumnis animi, corporisque molestiis; ea passus, quæ pudet referre: sed & præter alios corporis ægritudines, magnoperè hydropisi laboravit.*

Sed horrenda est punitio, quam ex Annalibus Eminentiss. Cardin. Baronii *Anno* 998. transcribit Bagatta *in Admiran. Orbis Christ. tom. 2. libr. 1. cap. 2. §. 2. num. 7.* his verbis : *Robertus Galliarum Rex, Avus Philippi, qui in paterni Juris sceptra successit, propinquam sibi copulavit Uxorem, ex qua susceptit filium, anserinum per omnia collum, & caput habentem, quos etiam Virum, & Uxorem omnes ferè Galliarum Episcopi, communi simul, excommunicavere, Sententia.* Et deindè : *His autem Rex coarctatus angustiis, ad sanum consilium rediens, divortium fecit, iniitque legale connubium.*

42

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quid sit Cognatio Spiritualis dirimens Matrimonium, & à quo Jure procedat? Ostenditur, à quibus contrahatur personis? Et in his quæ requisita sint necessaria ad eam contrahendam? Explicantur plurimi casus, in quibus, vel ex DD. placito, vel ex declarationibus Sacræ Congregationis contrahitur: vel non, à Patrinis ipsa Cognatio? Referuntur pœnæ, & punitiones ex Sacris Canonibus, & ex Historiis contra Cognatos Spirituales, qui inter se contraxerant Matrimonium.

SUMMARIUM.

1 *Cognationis Spiritualis definitio, ac declaratio.*
2 *An ex Sacramento Pœnitentiæ insurgat?*
3 *Circumstantia Filationis Spiritualis an exprimenda in Confessione?*
4 *Cognatio Spiritualis impedit, ac dirimit Matrimonium.*
5 *Oritur ex Jure Ecclesiastico.*
6 *Cognatio Spiritualis afficit nunc personas quinque tantùm. Et quæ?*
7 *Cognati Spirituales antiquitus plurimi.*
8 *Procurator tenens Filium alieno nomine ad Fontem an contrahat Spiritualem Cognationem?*
9 *Civitas, vel Universitas an contrahat hanc Cognationem, si ejus nomine levetur puer de Fonte?*
10 *Requisita quinque in Patrino, ut contrahat Spiritualem Cognationem.*
11 *Catechumenus, & non baptizatus Patrinus illam non contrahit.*
12 *Patrinus in Confirmatione si ipse confirmatus non sit, illam non contrahit.*
13 *Designati debent esse Patrini, ut Cognationem Spiritualem contrahant.*
14 *Patrini, licet plures, si sint omnes designati, omnes contrahunt illam.*
15 *Patrinus levans è Fonte puerum per errorem illam non contrahit.*
16 *Baptismo in privato an contrahatur Spiritualis Cognatio?*
17 *Baptizans semper illam contrahit;* & num. 27.
18 *Assistentia sola Patrini non facit contrahere Cognationem.*
19 *Patrini à Jure prohibitis, si teneant ad Fontem Cognationem non contrahunt.*
20 *Patrini qui esse non possint?*
21 *Monachi, & Regulares omnes prohibentur esse Patrini.*
22 *S. Gregorius Magnus fuit Patrinus filii Mauritii Imperatoris.*
23 *Unus tantùm Patrinus, vel unus, & una admittendi ad Fontem.*
24 *Parochus ex Officio potest repellere Patrinos indignos, & alios vocare.*
25 *Filii baptizantis, vel Patrinorum nullam contrahunt Cognationem.*
26 *Adoptivi Parentes non contrahunt Cognationem Spiritualem cum Patrinis.*
28 *Cognatio Spiritualis aliquando duplicatur. Et quomodo?*
29 *Pater baptizans, vel tenens suum filium ad Baptismum peccat mortaliter;*
30 *Et amittit Jus petendi debitum.*
31 *Episcopus dispensat super Jure petendi debitum.*
32 *Excommunicati sunt Cognati Spirituales si simul Nuptias ineant.*
33 *Papa recusat dispensare, ut Patrinus ducat in Uxorem filiam Spiritualem.*
34 *Otho Imperator punitus à Deo, quia duxit in Uxorem Commatrem suam.*
35 *Mediolanensis Regii Præsidis infelix Matrimonium cum filia Spirituali.*
36 *Patrini Officium recusare, quando, sit peccatum?*
37 *Diabolus intrat in Nobilem recusantem levare ad Fontem filium agricolæ.*

POst Cognationem carnalem sequitur Cognatio Spiritualis, quæ ad similitudinem præcedentis, in regeneratione, quæ fit hominis Christiani tum in Baptismo, tum quodammodo in Confirmatione, contrahitur, & habet vim dirimendi Matrimonium, si fortè illud ineant personæ adinvicem Spirituali hac Cognatione conjunctæ; idcircò de ea quinque sunt breviter videnda.

1 Quid sit?
2 Quo jure sit introducta?
3 Inter quas Personas Matrimonium dirimat?
4 Quæ requisita sint necessaria in iisdem personis, ut inter se Cognationem Spiritualem contrahant?
5 Quibus pœnis, & punitionibus afficiantur Cognati Spirituales invicem Nuptias ineuntes?

Quo ad Primum. Cognatio Spiritualis *est propinquitas personarum, ex administratione, receptione, ac susceptione Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis, Matrimonium impediens, ac dirimens, si, postquam ipsa sit contracta, ab iisdem Cognatis Spiritualibus invicem ineatur, ex Statuto Ecclesiæ consurgens.* Dicitur, quòd est *propinquitas* personæ.

personarum ad imitationem, ac similitudinem Cognationis carnalis; nam sicut per illam homo formatur, & nascitur, & postea corporaliter roboratur; ita per Sacramentum Baptismi homo spiritualiter regeneratur, & renascitur, prout per Sacramentum Confirmationis roboratur in fide, & observantia Divinorum mandatorum; ideòque personæ illæ, quæ concurrunt ad formandam hanc Spiritualem regenerationem, & corroborationem, ineunt inter se Spiritualem quandam attinentiam, ac propinquitatem, in obsequium, ac reverentiam prædictorum Sacramentorum, ob quam impediuntur carnaliter secum copulare; & prohibentur simul Matrimonium inire, ut demonstrat S. Thomas *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 2. & *in addit.* 3. *p. q.* 56. *art.* 2. *ad* 1. cujus verba referunt Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 12. *num.* 23. Dicitur *ex administratione, receptione, ac susceptione Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis*: Quia ex his duobus Sacramentis tantùm provenit hæc Spiritualis Cognatio dirimens Matrimonium, ut expressè loquitur Bonifacius VIII. in *cap. ult. de Cognat. Spiritual. in* 6. ibi: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum, Cognatio Spiritualis nequaquam oritur quæ Matrimonium impediat, vel dissolvat.* Ex quo sequitur, quòd licèt in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos dicatur Pater Spiritualis, ac pœnitentes filii, & filiæ, prout legitur *in cap. Omnes.* 30. *q.* 1. in quo Symmachus Papa ita loquitur: *Omnes, quos in Pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda Sacri Baptismatis re-*
2 *generavit*: nihilominùs hæc locutio est metaphorica tantùm, & impropria; ex qua Cognatio Spiritualis non insurgit, ut notant Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 25. & *seqq.* addentes, quòd si Confessarius copulam carnalem habeat cum filia pœnitente, non committit Incestum, sed Sacrilegium ob irreverentiam Sacramenti Pœnitentiæ, in quo, vel occasione cujus sollicitat filiam Spiritualem ad turpia; quo in casu denunciandus est Sanctæ Inquisitionis Officio, ut dixi *in meis Erotematibus cap.* 76. *quæs.* 6. & *seqq.* & *cap.* 126. *per totum.* Etsi, ubi omninò extra
3 confessionem sollicitatio, & turpes actus committantur, an hæc circumstantia filiationis Spiritualis sit in confessione à Sacerdote exprimenda? disputent DD. quorum alii affirmant, alii negant, ut videre est apud Sanchez *de Matrim. libr.* 7. *disp.* 55. *num.* 3. & 4. Basilium Pontium *libr.* 7. *cap.* 38. *num.* 7. Sancium *in selectis disp.* 11. *num.* 3. Dianam *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 12. & *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 110. Quæ nunc leguntur in Coordinati ejus Operis *tom.* 1. *tract.* 7. *resol.* 47. & *resol.* 49 Dicitur in definitione *Matrimonium impediens, ac dirimens*, quia hic est principalis effectus hujus Cognationis Spiritualis, ob reverentiam debitam Sacramentis Baptismi, &
4 Confirmationis, impedire scilicet Matrimonium contrahendum, ne inter has personas sic spiritualiter conjunctas contrahatur; ac si fortè de facto contractum fuerit, sit invalidum, irritum, & nullum. Glossa *in cap.* 1. *Verb. Spiritualem*, & *in cap. Veniens. De Cognat. Spirit. in* 6. quòd multò magis procedit in sponsalibus; quæ inter prædictos Spirituales Cognatos iniri non possunt; & casu quo antea inita forent, statim dissolvuntur, nec possunt absque dispensatione Apostolica adimpleri. Layman. *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 8. *num.* 6. Sanch. *d. libr.* 7. *disp.* 54. *num.* 5. & Aversa *q.* 16. *sect.* 2. *Vers. Habet consequenter.* Tandem dicitur, *Ex Statuto Ecclesiæ consurgens*; undè

Quò ad Secundum; in quo quæritur, *Quo Jure Cognatio hæc Spiritualis sit introducta?* respondetur, eam ortum non habere à Jure naturali, vel divino, nec ab ipsorum Sacramentorum institutione; sed ex mero Jure Ecclesiastico ob eo- 5
rundem Sacramentorum, ac personarum in eis intervenientium reverentiam; & quidem ut creditur, à tempore Apostolorum; siquidem de hoc impedimento dirimente statutum fuit in primo Concilio Nicæno, celebrato tempore Constantini Magni *Ann.* 323. ut legitur in *Canone* 21. ubi ita: *Nemo fidelium cum Patre, aut Matre Spirituali Matrimonium contrahat, idest cum Patrinis, aut Matrinis: & qui hoc commiserit, habeatur, tanquam ethnicus, quousque separentur, & spatio viginti annorum pœnitentiam sui peccati agant. Decem annis abstineant à Cammunione fidelium: alteris decem licebit intrare in Ecclesiam ad audiendum tantùm Scripturas. Quando autem impletum fuerit hoc tempus pœnitentiæ viginti annorum, licebit intrare in Ecclesiam, & sumere Sacram Communionem.* Observetur rigor Ecclesiasticæ disciplinæ contra prævaricatores Sacrorum Canorum in primis illis Ecclesiæ Sæculis; & excommunicationem latam in Cognatos Spirituales simul adinvicem nubentes. Fuit autem hoc impedimentum successivis temporibus in variis Conciliis, ac Summorum Pontificum Decretis confirmatum, quæ referuntur de Sæculo in Sæculum per Emin. Card. de Lauræa *disp.* 28. *n.* 146. ac habentur 30. *qu.* 1. *per totam*: & in Decretali toto titulo *De Cognatione Spirituali*; atque *eod. tit. in* 6. ubi plures dispositiones Canonicæ, atque responsa circa hanc Cognationem Spiritualem, & personas illam attingentes usque ad tempus Concilii Tridentini, in quo tandem restricta fuit ad quinque personas tantùm ex motivis expressis *sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 2. his
6 verbis: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, moltoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & à Cognationis Spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantùm sive Vir, sive Mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, ac Matrem tantùm Spiritualis Cognatio contrahatur.* Et paulò infra: *Ea quoque Cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, & Confirmatum; illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus Spiritualis Cognationis impedimentis omnino sublatis.* Et quia statim post Concilium Tridentinum super intelligentia prædicti Decreti plura oriebantur dubia, ad ea omnia tollenda emanavit peculiaris Constitutio B. Pii V. Incipien. *Cum illius vicem. Anno* 1566. 4. *Cal. Decembr.* in qua declaravit, prædictum Cognationis Spiritualis impedimentum non affice-

re, nisi illas personas in ejusdem Concilii Tridentini Decreto nominatas. Idcircò

Quò ad Tertium; in quo inquiritur, *Inter quas personas Cognatio Spiritualis Matrimonium dirimat?* respondetur, quòd olim dejure antiquo hoc impedimentum extendebatur in pluribus 7 personis, & præcipuè in filiis Patrinorum, nec non baptizantis, ac fratribus ipsius baptizati; itaut darentur quatuor species hujus Cognationis, quæ dicebantur Paternitas, Compaternitas, Fraternitas, & Affinitas Spiritualis, ut scribit Reginaldus *lib. 31. sub num. 148.* sed hodie ex anterelato Decreto Concilii Tridentini non afficit, nisi Baptizantem, ac Baptizatum; Patrem, Matremque ipsius, atque susципientem; ideſt Patrinum, qui debet esse *Unus* tantùm, vel ad summum *Unus*, & *Una*; & idem est statutum circa Sacramentum Confirmationis, ut notant omnes Theologi, ac Canonistæ, de hoc impedimento pertractantes; inter quos Tamburin. *de Impedim. Matrim. libr. 8. cap. 5. §. 2.* Sanchez *de Matrim. d. libr. 7. disp. 54.* Basilius Pontius *libr. 7. dist. 37.* Aversa *quæst. 16. sect. 2.* Mastrius *d. disp. 7. num. 464.* Eminen. Cardin. de Lauræa *de Matrimon. disp. 28. per totam;* & Salmanticenses *d. tract. 9. cap. 12. punct. 2.*

Fuit autem olim insignis quæstio inter Doctores; casu quo aliquis susципiat puerum in Ba- 8 ptismo, vel in Confirmatione non per se ipsum personaliter, sed per Procuratorem, Utrùm Cognatio Spiritualis afficeret ipsum Procuratorem, vel ipsum Mandantem? Tres erant opiniones; *Una*, quòd nullum afficeret, non principalem Mandantem, quia non tangebat puerum in Baptismo, vel Confirmatione; non Procuratorem, quia nomine proprio puerum non susципiebat. Sanchez *d. libr. 7. disp. 59. num. 4.* ubi DD. ita opinantes cumulat. *Altera*, quòd afficeretur Cognatione hac ipse Procurator ob physicum tactum, & personalem susceptionem pueri in Sacramento. *Tertia*, quòd ipse Principalis mandans remaneret Spiritualis Cognatus, quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur, ut latè differit Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 39. num. 10.* & Justus *de Dispensat. Matrim. libr. 2. cap. 5. num. 33.* ubi alios allegat; & ita secundùm hanc tertiam opinionem est tenendum, quia sic declaravit Sacra Concilii Congregatio in *una Veronen. 29. Martii 1582.* & iterum *15. Martii 1631.* ut testatur Nicolius *in Lucubrat. Civilib. lib. 1. tit. 10. Impedim. 4. Vers. An verò.* Et ego dixi in meis *Erotemat. cap. 115. num. 63.* & *cap. 133. num. 34.* ubi Studiosum legere non pigeat.

Sed quid Juris, si aliqua Civitas, vel Universitas constituat Procuratorem, ut nomine ipsius Civitatis, vel Universitatis puerum in Baptismo, vel in Confirmatione susципiat? Respon- 9 detur, quòd ipsa Civitas, seu Universitas est hujusmodi Cognationis expers, tanquam Persona ficta, & incerta: an verò singuli de Civitate, vel Universitate fiant Cognati Spirituales? alii asserunt, alii negant, & pro negantibus stat Sanchez *d. libr. 7. disp. 59. num. 7.* ubi alios congerit; quibus addendus est Merolla *tom. 3. disp. 6. cap. 3. dub. 11. num. 154.* & Donatus Ant. de Marinis *Resolut. Quotid. libr. 1. cap. 96. num. 4.*

Quò ad Quartum, in quo petitur, *Quæ requisita sint necessaria in Patrinis, seu personis susципientibus puerum, vel puellam in Baptismo, seu Confirmatione, ut prædictam Cognationem Spiritualem contrahant?* Respondetur quinque esse 10 requisita necessaria in Patrino, ut contrahat Spiritualem Cognationem. Primum est, ut si susципiat in Baptismo, ipse sit baptizatus; si verò in Confirmatione, sit confirmatus; & ideò si infidelis baptizaret, vel susciperet filium in Baptismo, non contraheret hanc Cognationem Spiritualem, quia non est subjectus Ecclesiæ, ex cujus lege, ac præcepto emanat, ut omnes DD. communiter tenent, Sanchez *d. libr. 7. disp. 60. num. 7.* Pontius *d. libr. 7. cap. 40. num. 2.* Layman *d. libr. 5. tract. 10. part. 4. cap. 8. num. 2.* & Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg. 3. num. 34.* & hoc procedit, etiamsi Patrinus esset Catechumenus, quia adhuc est extra Ec- 11 clesiam, nec ipsius canonibus obligatus, Sanchez *ibid. num. 9.* Basilius Pontius *libr. 7. cap. 40. num. 4.* Mastrius *d. disp. 7. num. 465.* & Emin. Card. de Lauræa *disp. 28. art. 5. §. 2. à num. 98. & seqq.* ubi *texx. & DD.* allegat. Quò verò ad Sacramentum Confirmationis, si Patrinus non sit Confirmatus, eum nullam contrahere Cognationem Spiritualem probat variis argumentis doctissimus Pignatellus Jurisconsultus Romanus hujus ævi *tom. 1. Consult. 10.* ubi *num. 3.* testatur, sic esse decisum à Sacra Congregatione *in Una Licien. 13. Junii 1654.* undè cessant rationes Doctorum, qui asserebant contrarium, 12 quos citat Tamburinus *de Baptism. libr. 2. cap. 4. §. 2. num. 4* Secundum requisitum est, ut ipsi Patrini sint designati vel à parentibus pueri; vel eis deficientibus per illos, ad quos spectat, juxta Decretum Concilii Tridentini *in cit. sess. 24. de Reform. Matrimon. cap. 2.* cujus hæc sunt verba: *Parochus antequam ad Baptismum conferendum* 13 *accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, scisciteur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de Sacro Fonte susципiant; & eum, vel eos tantùm ad illum susципiendum admittat, & in libro eorum nomina describat; doceatque eos quam Cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quòd si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, Cognationem Spiritualem nullo pacto contrahant; Constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus.* Quo conciliari attento Decreto, omnes DD. concorditer docent, designationem prædictam esse prorsùs necessariam ad hoc, ut Patrinus susципiens puerum de Baptismo, vel in Confirmatione contrahat Spiritualem Cognationem: Sanchez *d. libr. 7. disp. 57. num. 8. & num. 12.* Guttierez *de Matrimon. cap. 100. num. 7.* Mastrius *d. disp. 7. num. 467.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 30.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 28. num. 124.* qui omnes constanter tenent, solos Patrinos designatos contrahere Cognationem; & quamvis Concilium Tridentinum ordinet, ut unus tantùm, vel unus, & una ad summum designentur pro levando puero de Fonte Baptismali; nihilominùs, si præter hunc numerum alii designentur, & omnes tangant puerum, dum aqua Baptismi abluitur, omnes contrahunt Cogna- 14 tionem, ut declaravit S. Congregatio, teste ejus Secretario Fagnano *in cap. Ex litteris num. 5.*

De

De Cognat. Spirit. tom. 6. pag. 70. nec non Layman *d. libr. 5. tract. 2. cap. 9. num. 4.* & fuit à me dictum in Decisionibus *de Baptismo Decis. 37. num. 5. & 6.* ubi Caramuel Gobatus, ac Barbosa idem advertunt. Ex hac doctrina resolvitur curiosus ille casus; si quis per errorem levabit
15 de Fonte filium Pauli, credens esse filium Petri, à quo fuerat rogatus, & designatus; ac similiter si cum eodem errore alius Patrinus levet de Fonte filium Petri, credens esse filium Pauli; Utique in hoc casu neuter contrahit Cognationem, tum quia à parentibus pueri suscepti non fuerunt designati; tum etiam quia nullus debet fieri Cognatus cum personis illis, de quibus non cogitavit. Franc. de Lugo *De Sacram. Baptismi cap. 7. num. 6.* Cotonius *libr. 2. Controv. 2. num. 94.* Sanchez *libr. 7. disp. 58. num. 7.* & Justus *libr. 2. cap. 5. num. 56.*

Tertium requisitum, ad hanc Cognationem Spiritualem contrahendam, est, ut Patrinus suscipiat puerum in baptismo solemniter in Eccle-
16 sia administrato; undè si puer domi baptizaretur privatè in casu necessitatis, ob periculum mortis, & aliquis tunc eum susciperet, nullam contraheret Cognationem; multò minus si illum teneret, dum supplerentur cæremoniæ in Ecclesia. Sanch. *d. libr. 7. disp. 62. num. 14.* Aversa *quæst. 10. sect. 3. Vers. sed tandem.* Basilius Pontius *de Matrim. libr. 6. cap. 11. n. 1. & 2.* & *libr. 7. cap. 40. num. 5.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 18.* nec non *part. 4. tract. 3. resol. 7.* ac etiam *part. 10. tract. 16. resol. 30.* Quæ omnes nunc resident in Coordinato ejus opere *tom. 1.*
17 *tract. 1. resol. 96. 97. & 98.* in quibus tamen advertit, quòd baptizans semper contrahit Cognationem, sivè solemniter, sivè privatè detur Baptismus. Quòd si puer baptizatus sit, domi in casu necessitatis, & esset dubium circa bene prolata Verba Baptismi, iterumque baptizaretur sub conditione in Ecclesia; tunc suscipiens contraheret Spiritualem Cognationem. Sanchez *d. libr. 7. disp. 62. num. 6.* Bonacina *quæst. 3. de Matrimon. punct. 5. §. 2. num. 10.* Justus *d. libr. 2. cap. 5. num. 42.* & Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 32.*

Quartum requisitum est, quòd patrini puerum teneant, quando Aqua Baptismi ei infunditur, vel ungitur Chrismate Sacro, vel ex Fonte levent, si per immersionem detur Baptismus, statim ac baptizatus est, ut habetur in *cap. Omnes.*
18 33. *quæst. 1.* & propterea sola assistentia Patrini non sufficit, sed debet puerum vel tenere, vel tactu physico tangere, dum aqua Baptismalis infunditur; quod servant Parochi in hac Diœcesi Patavina; ubi enim puer tenetur à fœmina in Catechismo, & è Viro ad Fontem, cùm abluendus est puer, vocatur fœmina Matrina à Parocho, & jubetur manum ponere super humeros pueri, vel puellæ, quæ baptizatur; ut sic contrahat & ipsa Matrina Cognationem; aliàs per tenutam ad januam Ecclesiæ, & per solam præsentiam ad Fontem, illam non contraheret. Sanchez *d. libr. 7. disp. 56.* Bonacina *d. q. 3. p. 5. §. 2. num. 15.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 31.* qui addunt, hos Patrinos habère debere intentionem verè fungi Patrinorum Officio; vel saltem, quòd intendant facere id, quod præcipit Ecclesia. Sanchez *libr. 7. disp. 58.* & Justus *d. libr. 2. cap. 5. num. 54. & 55.*

Quintum requisitum est ad contrahendam Spiritualem Cognationem; ne Patrini ab hoc officio sint de Jure prohibiti; si enim prohibeantur, & de facto puerum suscipiant, peccant 19
mortaliter, & nullam contrahunt cognationem, Sunt autem de Jure prohibiti, Primò muti, ac infantes, non habentes usum rationis. *cap. Parvuli. 74. de Consecr. dist. 4.* Quòd si ratione polleant, etsi minores sint ætate quàm baptizandus, vel confirmandus, nihil impedit, quin eum suscipiant, atque cognationem contrahant. *cap. Vos* 20
ante omnia. ead. de Consecr. dist. 4. Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 28. num. 114.* Secundò Hæretici, Excommunicati, ac Publici pœnitentes. Basilius Pontius *lib. 6. cap. 37. n. 5.* idem Emin. Card. de Lauræa *ibid. num. 110. & 111.* Tertiò Monachi, Sanctimoniales, ac Regulares Mendi-
cantes quicunque per *texx. in cap. 103. & cap.* 21
104. de Consecr. dist. 4. nec non *in cap. Placuit. 16. quæst. 1.* & *in cap. Pervenit ad nos. 18. quæst. 2.* Barbosa *in collect. ad Concil. Trid. d. sess. 24. cap. 2. de Ref. Matr. n. 12.* ubi DD. cumulat. Et Emin. Card. de Lauræa *ead. disp. 28. à num. 105. ac seqq.* Excipiuntur tamen Regulares ad dignitatem Episcopalem, vel Cardinalitiam promoti; hi enim non sunt ampliùs prohibiti fungi hoc Patrinorum officio. Barbosa ubi *supr. num. 12.* & Sanchez *in Præcept. Decalogi libr. 6. cap. 6. num.*
24. qui referunt exemplum S. Gregorii Magni, 22
à quo non fuit recusatum hoc officium Patrinatus postquam de Religione effectus fuit ad Cardinalatum, tunc enim benignè consensit fieri Compater Mauritii Imperatoris, ejus filium è fonte suscipiens.

His requisitis, ut supra firmatis, faciunt DD. ex eis infrascriptas illationes, à studiosis notandas, ac menti tenendas. 1. Quòd non est admittendus ad officium Patrini, nisi *unus* tantùm; 23
vel *unus*, & *una* ad summum ex Concil. Trid. *d. sess. 24. cap. 2.* quod ita Patavii interpretatum est à consuetudine, ac etiam Venetiis, ut prædictus numerus non augeatur ad susceptionem è Fonte; secùs ad Januam Ecclesiæ; seu ad Catechismum; in quo impunè numerus ipse multiplicatur, quia ex Catechismo non contrahitur Cognatio Spiritualis. 2. Nihil referre, quòd Patrinus Vir suscipiat puellam fœminam; vel Fœmina teneat ad fontem puerum masculum. 3. Quòd Patrinus designatus à Parentibus potest tenere puerum vel per se immediatè, vel per Procuratorem, aut nuncium suum. 4. Licèt olim qui fuerat Patrinus in Baptismo, non posset suscipere eundem filium in Confirmatione *cap. 100. de Consecr. dist. 4.* hodie tamen id non servatur ex præcepto, sed tantùm ex quadam Episcoporum prudentiali sollicitudine, ut magis consulant utilitati spirituali filiorum. 5. Quòd Parentibus non designantibus Patrinos, vel eos ex genere prohibitorum proponentibus, potest Parochus 24
ex officio eos repellere, & alios ad arbitrium suum eligere, qui puerum suscipiant, & sic suscipientes cognationem spiritualem contrahant, ut ostendit Beja *in Decis. Casuum part. 2. Cas. 4. 6.* Maritus, & Uxor si simul eandem puellam in baptismo suscipiant inter se cognationem spiritualem non contrahunt, attamen ex tali quali reverentia, debita Sacramento, simul ad suscipiendam non sunt admittendi. 7. Filii baptizantis, vel

Patrinorum non contrahunt Cognationem Spiri-
25 tualem cum ipso baptizato, vel ejus genitoribus; nec etiam Maritus cum puella, quam ejus Uxor suscepit vel in Baptismo, vel in Confirmatione; nec vice versa Uxor cum puero, quem Maritus suscepit. Gobatus *tract.* 9. *num.* 177. *Vers. Eva peccavit.* 8. Parentes adoptivi
26 non contrahunt Cognationem cum Patrinis suscipientibus eorum filios adoptivos; nam contrahitur in susceptione filiorum naturalium tantùm, etsi illegitimorum. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 54. *num.* 16. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 150. Barbosa *alleg.* 30. *num.* 54. 9. Ille, qui puerum defert baptizandum ad Ecclesiam, nullam contrahit Cognationem, prout declarasse S. Congregationem, testatur Barbosa *ad d. cap.* 2. Concil. Trid. *sess.* 24. *num.* 37. 10. Ille, qui baptizat, (ut dictum est supra *num.* 17.) semper contrahit Cognationem Spiritualem cum baptizato, & parentibus
27 ejus fidelibus, sivè sit Clericus, sivè sit Laicus, sive Vir, sivè Fœmina, sivè baptizet solemniter, sivè privatè; quia jure de eadem cognatione loquentia nullum baptizantem excipiunt. Navarrus *in Man. cap.* 22. *num.* 40. *Vers. Interrogatus.* Sanchez *lib.* 7. *disp.* 57. *num.* 10. Justus *d. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 40. ubi alii; advertens sub *num.* 43. quòd sicut cognatio carnalis ex multiplici gradu augetur; ita hæc spiritualis; quia si alter alterius prolem invicem suscipiant, vel in diver-
28 sis Sacramentis, nempè Baptismi, & Confirmationis eundem, vel alterum ejusdem personæ Filium, quis suscipiat, duplicabitur cognatio; quæ duplicitas, casu quo petatur dispensatio Apostolica pro contrahendo Matrimonio, erit exprimenda. At non duplicatur cognatio, si ejusdem Patris plures filios quis suscipiat in Baptismo tantùm, vel in Confirmatione tantùm; ad exemplum consanguinitatis, quæ non duplicatur ex copula repetita pluries cum eadem persona, ut tradunt Garzias *de Benefic. part.* 8. *cap.* 3. *n.* 78. Pyrrhus Corradus *de Dispensat. Apostol. lib.* 8. *cap.* 8. *num* 16. Omnes suprarelatas illationes congerit Justus *in d. lib.* 2. *cap.* 5. *à num.* 14. *& seqq.* ubi Theologos, ac Canonistas de illis differentes plurimos allegat; quibus se conformant Mastrius *d. disp. à num.* 466. *& seqq.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 28. *art.* 6. atque Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 12. *punct.* 2. in occurrentia videndi.

Quòd ad Quintum, in quo inquiritur. *Quibus pœnis, ac punitionibus afficiantur Cognati spirituales, invicem Nuptias ineuntes?* Respondetur: Primò, quòd si Cognatio Spiritualis superve-
29 niat post contractum Matrimonium inter Maritum, & Uxorem, puta, quia alteruter teneat ad Fontem proprium filium, vel eum absque necessitate baptizet; in hoc casu Parens hæc faciens peccat mortaliter, & idem est, si suscipiat illum in Confirmatione. Thesaurus *de Pœnis Eccl. part.* 2. *Verb. Baptismus cap.* 4. *in princ.* Secundò prædictus Parens amittit jus petendi debi-
30 tum. *cap.* 2. *de Cognat. Spirit.* Thesaurus *d. cap.* 4. *Vers. Item si*; ubi tamen ait, excusari si per ignorantiam, & non ex malitia id fecisset, & multò magis si baptizasset proprium filium in periculo mortis ejusdem filii, in quo nullus alius esset, qui illum baptizaret. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 26. *num.* 7. & 9. In casu tamen amissionis Juris petendi debiti, potest Episcopus super hoc dispensare, ut
31 non obstante Cognatione Spirituali inita in supradicta malitiosa, vel susceptione, vel collatione baptismi, conjux possit petere debitum ab alio suo conjuge. Barbosa *allegat.* 35. *num.* 8. & Sanchez *lib.* 8. *disp.* 12. *num.* 15. Tertiò si post contractam Cognationem Spiritualem baptizans, vel Patrinus de facto contraheret Matrimonium, vel cum filia baptizata, vel cum ejus Matre; aut Pater baptizati cum Matrina, quæ
32 eundem filium levaverat; hi omnes incurrunt excommunicationem tum vigore antiquorum Canonum, ut dictum est *supr. num.* 5. tum *ex Clem.* 1. *de Consanguin. & Affinit.* quia sub nomine Consanguinitatis, & Affinitatis naturalis venit etiam Cognatio Spiritualis, & Legalis, & in his omnibus cognationibus committitur incestus, ac nuptiæ inter eosdem cognatos spirituales, atque legales sunt incestuosæ. Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 11. *n.* 122. *& seqq.* Scio contrarium opinari Basilium Pontium *lib.* 7. *cap.* 41. *in fin.* & Justum *d. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 88. ea ratione quia pœnæ sunt restringendæ, sed ego non acquiesco; quia frustra esset inductum ab Ecclesia hoc impedimentum, nisi huic pœnæ subjaceret. Quartò prædicti inter se nubentes incurrunt pœnam infamiæ. *cap. Consanguineorum.* 3. *quæst.* 4. *cap. Infames* 6. *quæst.* 1. Quintò si nascantur filii, sunt Spurii, & illegitimi. *cap.* 1. 35. *quæst.* 7. Sextò si petatur dispensatio à Summo Pontifice super hoc impedimento Cognationis Spiritualis, etsi non sit difficile eam obtinere ob justam causam inter Compatrem, & Commatrem. Justus *d. libr.* 2. *cap.* 5. *num.* 72. tamen inter Patrem, & 33 Filiam Spiritualem; vel inter Matrem Spiritualem, & Filium ab ea è Fonte susceptum dispensatio omninò denegatur, ob maximam irreverentiam Sacramenti, ut ait Sanchez *libr.* 8. *disp.* 24. *num.* 15. testans, se numquam audisse, aut legisse, quòd fuerit super Paternitate Cognationis Spiritualis dispensatum; idemque scribit Majolus *de Irregularit. cap.* 39. *n.* 3. & Donatus Antonius de Marinis *Resol. Quotid. libr.* 1. *cap.* 96. *n.* 18. Septimò tandem prædicti incestuosas nuptias inire attentantes à Deo graviter puniuntur, ut ex S. Petro Damiano *in Tract. de Mirab.* narrat Surius *tom.* 7. & ex eo Bagatta *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. §. 2. *n.* 20. his præcisis verbis:

Otho Rex Teutonicorum, qui postmodum Imperator creatus est Romanorum, Adelaidem Italiæ Reginam, quæ sibi Commater extiterat, suscepit in Conjugem. Illum filius ejus Almificus, 34 qui Moguntinæ præsidebat Pastor Ecclesiæ, cœpit constanter arguere, & scelestum, luridumque conjugium publicè condemnare. Licetque ab eodem multa passus, in carceremque conjectus, Patrem non resipientem excommunicationis gladio ab Ecclesia separavit. Cumque nec ob hoc ab incœptis recederet, eum sic affatus est: Tu arbitraris, Pater, me adversum te insolenter agere, te verò præjudicium sustinere; citò prænosces, quia die Sancto Pentecostes uterque simul astabimus ante Deum; ibique ventilabitur inter Nos librata justiciæ lance litigium. Factumque est ipso, qui dictus est, Sacrosanctæ solemnitatis die, ut dum Augustus Imperialibus insulis redimitus, multorumque Pontificum choris, sivè Procerum vallatus agminibus, Missarum solem-

solemniis interesset, repentino super eum veniente judicio, repertus sit mortuus. Episcopus verò in Domino jam quieverat. Hucusque Bagatta.

Huic punitioni consonat, & sequens infelicissimus exitus Matrimonii initi inter Patrem, ac Filiam spiritualem ex Baptismo (etsi prævia Apostolica dispensatione) quem narrat Basilius Pontius *de Matrim. lib. 8. cap. 17. §. 5. n. 28.* dicens: *Cognovi, quòd Gregorius XIV. dispensavit cum Patre, & Filia spirituali: Pater erat nobilissimus Hispanus, & apud Mediolanenses Regius Præses, Filia nomine Ersilia; quorum infaustas Nuptias, infaustamque Prolem, vita brevi, forsan veneno extinctam, Mediolanenses viderunt.* En quanta religione Cognatio Spiritualis est servanda. Tandem

Corollarii loco notandum; quòd negare officium susceptoris, vel susceptricis in Baptismo, vel in Confirmatione, non continet per se, seu ratione ullam culpam. Gobatus *tract. 2. de Baptis. num. 586.* ubi reddit rationem dicens, quia ubi Præceptum non est, ibi nec prævaricatio. *Rom. 4.* Atqui nulla lex divina, vel humana præcipit, ut quis rogatus in Patrinum acquiescat petitioni; peccaret tamen si ex fastu, aut superbia, aliove pravo motivo repelleret rogantem. In cujus dicti confirmationem narrat, personam nobili genere natam, quæ renuit tenere ad Fontem prolem pauperis agricolæ, paulò post obsessam fuisse à diabolo; qui à Sacerdote exorcismis compulsus abire, & manifestare causam, cur in corpus illud fuerit ingressus? respondit, *eò quòd persona illa repudiasset preces rustici deposcentis ab ipsa pro filiolo suo baptizando officium Patrini*; utique ex fastu, & superbia ob paupertatem supplicantis.

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

Ad intelligentiam *Cognationis Legalis*, quæ est Impedimentum dirimens Matrimonium, proveniens ex Adoptione, traditur plena, ac perfecta explicatio ipsius Adoptionis. Hæc dividitur in Divinam, & Humanam, Humana subdividitur in perfectam, & imperfectam; idest in Arrogationem, ac simplicem Adoptionem, atque definitio, differentiæ, & effectus ponuntur utriusque. Historiis, ac Exemplis probatur, Adoptionem esse inventam de Jure Gentium, instauratam de Jure Civili, & approbatam de Jure Canonico pro Impedimento Matrimonium dirimente. Declarantur tres Lineæ, seu species ejusdem Cognationis Legalis, ac quomodo, & quando eadem dirimat Matrimonium? Tandem An Papa dispenset in illa?

SUMMARIUM.

1 *Cognatio Legalis undè sic dicta?*
2 *Adoptio vel Divina, vel Humana. Quid sit Divina?*
3 *Abba hebraicè idem est, ac Pater Latinè.*
4 *Justificatio peccatoris quot bona ei tribuat?*
5 *Adoptio Divina quid homini largiatur?*
6 *Adoptionis humanæ definitio.*
7 *Adoptari nemo potest in Fratrem, vel Patrem. Et cur?*
8 *Adoptio duplex, alia perfecta, alia imperfecta.*
9 *Arrogationis, ac Adoptionis differentiæ septem.*
10 *Arrogatio in tribus convenit cum Adoptione. Et quæ?*
11 *Adoptio à quo Jure procedat?*
12 *Moyses Propheta adoptatus à filia Pharaonis.*
13 *Mardochæus adoptavit sibi in filiam Esther.*
14 *Alexander Magnus adopatus in filium à Regina Cariæ.*
15 *Romani frequenter adoptiones filiorum faciebant.*
16 *Longobardorum in Italiæ adoptiones filiorum per tonsionem capitis.*
17 *Francorum adoptiones.*
18 *Cognatio Legalis dirimit Matrimonium de Jure Canonico.*
19 *Adoptare, vel Arrogare ut quis possit, novem requisita habere debet.*
20 *S. Mammantis Martyris adoptio.*
21 *Adoptionis imperfectæ qui sint effectus?*
32 *Arrogationis, seu Adoptionis perfectæ effectus.*
23 *Adoptati non veniunt sub nomine filiorum, nisi expressè vocati.*
24 *Cognationis Legalis tres lineæ, seu species. Et quæ?*
25 *Cognatio Legalis inter quas personas dirimat Matrimonium?*
26 *Adoptio imperfecta an producat Cognationem Legalem dirimentem Matrimonium? Opiniones duæ.*
27 *Cognatio Legalis dirimens oritur etiam ex Adoptione imperfecta.*
28 *Glossæ opinio prævalet opinioni aliorum DD.*
29 *Cognationis Legalis Impedimentum in prima, & tertia specie est perpetuum.*
30 *In secunda tandiù durat, quandiù adoptivi sunt in potestate Patris adoptantis.*
31 *Cognationis Legalis Impedimentum ad quot gradus extendatur?*
32 *Casus particulares prædictæ extensionis.*

33 *Papa*

33 *Papa non dispensat in Cognatione Legali primæ, & tertiæ speciei.*

34 *Cognatio Legalis superveniens post Matrimonium non tollit usum ejus.*

TErtia Cognatio, quæ impedit Matrimonium contrahendum, & illud dirimit contractum, vocatur *Cognatio Legalis*, sic dicta quia 1 à Lege inventa est tanquam quædam generationis imitatio ad solatium eorum, qui liberos non habent. *l. Cum eum. ff. de Adoption.* Romani enim antiqui legum conditores, & alii populi solliciti fuerunt, ne quis sine hærede decederet; ideòque curarunt, ut qui filios naturales habere non poterant, saltem legales haberent. *l. Si Pater. §. ult. ff eod.* quamvis etiam is adoptare possit, qui filios proprios habet. *l. 1. §. sextum. ff. de Postulat.* Justus *de Dispensat. Matrim. libr. 2. cap. 6. num 2.* Igitur de hac Cognatione Legali sex sunt breviter videnda.

1. Quid, & Quotuplex sit Cognatio Legalis?
2. Ex quo Jure procedat?
3. Qui possint Adoptare? atque Arrogare?
4. Qui sint effectus Adoptionis?
5. Qui sint effectus Arrogationis?
6. Quomodo, & inter quas Personas Cognatio Legalis impediat, & dirimat Matrimonium?

Quo ad Primum. Præcipua adoptionis divisio est, in Divinam, & Humanam. Adoptio Divi- 2 na est justificatio hominis peccatoris, quam obtinet ipse per gratiam Dei justificantem; cujus vi efficitur filius Dei adoptivus, juxta illud Apostoli *ad Rom. 8. 15. Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum Adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* (nota has duas voces *Abba*, & *Pater*, idem signi- 3 ficare; sed *Abba* est vox hebraica, *Pater* verò Latina; ut Apostolus demonstraret, per has duas voces à bonitate Dei recipi in adoptionem filiorum utrumque populum, Judaicum, & Gentilem) ut differit Cornelius à Lapide *ibidem*: qui loquens de hac Divina Adoptione *in Comment. ad Osee. 1. 10.* subdit: *Porrò ut hanc Dei Adoptionem profundiùs inspiciamus, ambiamus, & suspiciamus, notandum est, in ea non tantùm animæ infundi gratiam, charitatem, aliaque dona Spiritus Sancti, sed etiam ipsum Spiritum Sanctum, qui est primum, & increatum donum, quod Deus donat hominibus.* Et prosequendo declarare hanc Divinam hominum Adoptionem, quæ à Deo fit, addit: *Ex dictis sequitur primò, quòd justitia inhærens, sivè gratia justificans, per quam sanctificamur, & adoptamur in filios Dei, non sit una simplex qualitas, ut quidam imaginantur; sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, Fidem, Spem, Charita-* 4 *tem, aliaque dona, ac ipsum Spiritum Sanctum, donorum Auctorem (ac consequenter totam Sanctissimam Trinitatem) hæc enim omnia in justificatione infusa accipit homo, ut ait Concilium Tridentinum* sess. 6. cap. 7.

Sequitur secundò, falli eos, qui in justificatione, & adoptione censent dari Spiritum Sanctum dumtaxat quoad sua dona, non autem quoad suam substantiam, & personam, contrarium enim docet S. Bonaventura in 1. sent. dist. 14. art. 2. quæst. 1. *qua tota ostendit, Spiritum Sanctum non tantùm in effectu, sed etiam in propria persona, quasi Donum increatum justis dari, ut sit eorum perfecta possessio. Idem docent Magister sent.* lib 1. dist. 14. & 15. *ex S. Augustino & aliis. Idem Scotus, Gabriel, S. Thomas* 1. p. q. 43. art. 3. & 6. atque pluribus citatis concludit:

Sequitur tertiò, quòd Adoptio nostra licèt in se una sit, virtute tamen sit duplex. Prior est, qua adoptamur in filios Dei per charitatem creatam, & gratiam animæ infusam. Hæc enim est summa participatio divinæ naturæ. Posterior est, qua per gratiam adipiscimur ipsum Spiritum Sanctum, ejusque naturam divinam, ac per eum quasi deificamur; & in filios Dei adscisimur. Porrò utraque hæc adoptio hic inchoatur per gratiam; sed in cœlo perficietur, & solidabitur per gloriam æternam, qua hæreditatis Dei possessionem reipsa nanciscemur, idque firmè, & immobiliter, sine ullo timore, vel periculo eam unquam amittendi; Deoque intimè uniemur, & fruemur per Visionem beatificam; qua novo modo Deus seipsum substantialiter animæ beatæ communicabit; illique intimè, & suavissimè illabetur, seque insinuabit. Hucusque Cornelius à Lapide, cujus verba volui transcribere, ut Studiosus Lector absque labore discat, quid, & quotuplex sit Adoptio Divina, ex qua fideles adoptati in filiationem Dei, jus habent ad ejus hæreditatem æternam; meliùs quàm adoptati ab hominibus, quibus leges dant jus succedendi in bona Patris adoptantis, ut infra dicemus.

Adoptio humana; illa scilicèt, qua homines adoptant sibi aliquem extraneum in filium, vel neporem, definitur à Theologis, quòd sit *Extra-* 6 *neæ personæ in Filium, vel Neporem, vel deficeps legitima assumptio.* Ita S. Thomas *in 4. sent. dist. 42. quæst. 2. art. 1.* Sanchez *de Matrim. libr. 7. disp. 63. num. 1.* Reginaldus *libr. 31. num. 158.* Justus *d. libr. 2. cap. 6. num. 1.* ubi advertit, quòd nomine *extraneæ personæ*, hoc casu intelligitur quicunque, etsi sit consanguineus ejusdem adoptantis dummodò non sit ex ejus descendentibus, & hæredibus quod etiam notat Layman *libr. 11. tract. 10. part. 4. cap. 7. n. 1.*

At secundum Juristas definitur Adoptio, *ut sit Actus legitimus, per quem, qui non est, fit Filius, aut Nepos, penè naturam imitans. l. 1. ff. de Adopt. Instit. §. Minorem. eod. tit.* Anton. Pichardus *in Rubric. Institut. de Adoptionib.* ubi pro explicatione ejusdem definitionis duo notatu digna dicit: *Unum*, quòd est *actus legitimus*, quia fieri non potest coram privata persona; sed coram Magistratu, vel Principe, apud quos legis actio est. *Alterum*, quòd per adoptionem quis potest? fieri *Filius, vel Nepos*; non autem Frater Pater, vel alius cognatus; siquidem Adoptio,

ut

ut dictum est in principio, imitatur generationem naturalem; at per ipsam nullus nascitur pater, vel frater generantis; sed tantummodò Filius, Neposvè, ideòque si quis adoptaret aliquem sibi in Fratrem, vel Patrem, vel Avum, irrita esset hujusmodi adoptio. *l. Nec apud 7. C. de Hæred. instit.*

Dividitur Adoptio secundum Theologos, ac Juristas in duas species; quarum una dicitur Adoptio imperfecta; alia verò perfecta, quæ aliud nomen sortita est, & vocatur Arrogatio, de-
8 finiturque propriè, Ut sit: *Actus legitimus, per quem homo sui Juris, & sic qui in se est Paterfamilias auctoritate Principis, in alterius familiam, ac potestatem cum omnibus bonis suis transit; & ejus filius legitimus efficitur.* Ita Nicolius *in Instit. Civil. libr. 1. tit. 11. num. 4.* Porrò septem sunt differentiæ inter Arrogationem, seu Adoptionem perfectam, atque ipsam Adoptionem simplicem, & imperfectam, quas refert Reginaldus *d. libr.*
9 *31. num. 159.* Prima est in nomine, nam Adoptio perfecta vocatur Arrogatio; imperfecta verò nuncupatur generali nomine Adoptionis. Secunda est, quòd in Arrogatione non adoptatur, nisi is, qui est sui Juris, ut dictum est in ejus definitione; per imperfectam adoptatur etiam filius familias, qui est sub alterius potestate. Tertia differentia est, quod perfecta fieri non potest, nisi auctoritate Principis, vel ejus Delegati, cum inquisitione causæ, & an expediat, ut quis arrogetur; Imperfecta vero coram inferiori Magistratu peragi potest. Quarta est, quòd in Arrogatione requiritur consensus illius, qui est adoptandus, secùs in imperfecta, nam etiam infans potest adoptari. Quinta est, quòd Arrogatio fieri debet præscriptis Verbis à lege, prout *in l. 2. ff. de Adopt.* Imperfecta verò adoptio quibuscunque verbis fieri poterat. Sexta est, quòd in Arrogatione adoptans debet esse sexagenarius, & absque filiis; nisi ex gratia speciali Princeps dispenset super juniori ætate. *l. Si paterfamilias. §. penult. ff. ad Adopt.* Ratio erat, quia Romani volebant, ut homines potiùs Uxores ducerent, & naturales sibi filios gignerent. In Imperfecta verò sufficit illa ætas in adoptante, quæ faciat eum majorem adoptato Annorum decem, & octo. Septima est, quòd per Arrogationem adoptatus transit in potestatem adoptantis. At non etiam in Adoptione imperfecta, quia filius adoptatus remanet in sua potestate, vel sui ipsius Patris na-
10 turalis, si in ea reperitur. Cæterùm utraque Adoptio perfecta, ac imperfecta in tribus conveniunt. 1. Quòd in utraque sit necessaria præsentia adoptantis, & adoptandi, quia per Procuratorem talis actus expleri non potest. *l. Neque. l. Post mortem. §. fin. ff. de Adopt.* 2. Quòd adoptatus in utraque succedit adoptanti decedenti ab intestato. §. *Sed hodie. Instit. de Adopt.* 3. Quòd in utraque adoptans debet esse Vir non fœmina; nisi speciale Privilegium hæc à Principe obtineat. §. *Fœminæ. Instit. eod. tit.* etsi tam Vir, quàm Fœmina possit adoptari. *l. Nam & fœminæ. ff. eod.* ut latiùs explicant Reginaldus *d. libr. 31. num. 160.* & Justus *d. libr. 2. cap. 6. à. num. 7. & seqq.* ubi alios DD. citat.

Quò ad Secundum. Cognatio Legalis, quæ per Adoptionem sivè perfectam, sivè imperfectam gignitur, etsi Juristæ doceant, eam procedere ex Jure Civili, ob multas dispositio-
11 nes legales, quæ circa illam leguntur in Legibus Romanorum; veriùs tamen procedit à Jure gentium; quandoquidem Adoptio fuit in usu *Annis 1600. circiter* ante Christum, idest tempore nativitatis Moysis, quem Filia Pharaonis septennem sibi adoptavit in filium, ut legitur
12 *Exod. 2. 10. ibi: Suscepit mulier, & nutrivit puerum* (Moysem,) *adultumque tradidit Filiæ Pharaonis, quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum.* Nec obstat, quod mox diximus, fœminis non fuisse licitum adoptare, quia intelligendum est tum ex Legibus Romanorum, qui tunc non erant in mundo, tum in fœminis privatæ conditionis; illa autem erat Filia Regis Ægypti. Item Mardochæus adoptavit Esther sibi
13 in filiam, ut legitur *Esth. 2. 7.* ibi: *Mortuisque patre ejus, ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.* Vivebat autem Mardochæus *Anno Mundi* 3360. quando vix Romulus cœperat condere Urbem Romæ, ut ex Saliano ad *Annum M.* 3302. apud Assyrios etiam adoptandi antiquissimum fuisse morem tradit Berosus *libr. 5.* & Diodor. Sicul. *libr. 4.* ubi narrat exempla. Pariter Adamam Cariæ Reginam adoptasse sibi in filium Alexandrum Magnum; eumque nomen filii non fuisse aspernatum scribit Arrianus *libr. 1. de Expedit. Alex.* regnasse autem Alexandrum Magnum ante Romanos, nemo est, qui dubitet. Apud ipsos autem Roma-
14 nos, postquam potentes facti in Mundo fuere, frequentissimæ extiterunt Adoptiones, ut desumitur ex multiplicitate legum de iisdem loquentium; & ex omnibus Historicis rerum Romanarum, quos plurimos allegat Gregor. Tholosanus *in Syntagmat. Jur. libr. 10. cap. 6. num. 17. & 18.* ita dicens. *Coccius Nerva Cæsar M. Ulpium Trajanum adoptavit extraneum à se, mox-*
15 *que in Curia Cæsarem designavit, ut ait Xiphilinus ex Dione in Coccio Nerva. Sic Adrianus adoptatus à Trajano post mortem Nervæ. Et Adrianus successorem sibi delegit Antonium: sed cùm illi nulla virilis stirps fieret, Commodi filium adoptavit, adjuncto etiam M. Annio Vero, qui ante Catilius dicebatur. Demumque mortuo Vero Cæsare, rursum adoptavit Adrianus Arrium Antonium, qui postea pius dictus est, eadem lege, ut Idem sibi duos adoptaret, Annium Verum, & M. Antonium, teste Spartiano, & Capitolino. Julius Cæsar adoptavit Octavium ex Aetia nepotem, cùm liberos non haberet; eumque hæredem Imperii, & fortunarum instituit, ut scribit Dio.* Prosequitur deindè Tholosanus referre plures Romanorum Leges, quibus prohibebatur, ne quis plures sibi filios arrogaret, nisi dives valdè, nec alienum libertum; & alia plura, quæ fuerunt in usu usque ad tempora Longobardorum; hi enim cùm cœpissent regnare in Italia, utebantur in adoptandis filiis propriis legibus, quarum una erat, ut adoptio fieret per detonsionem
19 capillorum ejusdem adoptandi, undè Paulus Diaconus *lib. 6. de Gest. Longobard. cap. 15.* scribit: *Carolus Pipini filius, Francorum Rex, filium suum ad Luitprandum Regem Longobardorum misit, ut ejus, juxta morem, capillum susciperet, qui ei cæsariem incidens effectus Pater est, multisque regiis*

muneribus donatum genitori remisit. Sed & Reges Franciæ filiorum Adoptionem in suis populis, & in seipsis admittebant, ut liquet ex eo, quod testatur Tritemius *in Annal. Francor.* quòd Clodovei Anno VII. Sigibertus Rex Galliarum in
17 Austrasia filius Dagoberti, *Anno Domini* 652. adoptavit Hildericum filium Grimnaldi Majoris domus, in Filium, & Regni successorem.

Igitur Cognatio Legalis à Jure gentium ortum habuit, & à Jure Civili Romanorum instaurata est, pluribus Imperatorum Legibus dispositа, ac munita circa modum ac formam adoptandi, vel arrogandi filios; quorum adoptione, vel arrogatione eadem Cognatio Legalis gignitur. Porrò ipsa effecta est impedimen-
18 tum dirimens Matrimonium à Jure Canonico; siquidem Nicolaus Papa I. electus *Anno* 850. approbans Leges Civiles prohibentes fieri Matrimonia inter Adoptantes, ac Adoptatos; decrevit, non posse inter eosdem validum esse Matrimonium, ut legitur in *cap. Ita diligere* 30. *quæst.* 3. ubi comparando Cognationem Spiritualem cum Legali, ait, quòd in ista non licet Nuptias inire, & multò minùs in illa: *Si ergo* (inquit) *inter eos non contrahitur Matrimonium, quos Adoptio jungit, quantò potiùs à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit?* Et idem Pontifex *in cap.* 1. *De Cognat. Legali* sic disponit: *Si qua per Adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat Adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt.* Hi sunt textus Juris Canonici firmantes hoc Impedimentum Cognationis Legalis, ultra quos non reperitur alius Canon, de ea disponens, quòd non transit sine admiratione, ut observat Eminen. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 29. *de Matrimon. num.* 43. ubi relatis supradictis verbis Nicolai I. subdit: *Nicolaus, ut vides, per solam approbationem Juris Civilis statuentis Cognationis Legalis impedimentum, illud inducit in Ecclesiam. Nec ullus alius Canon, aut rescriptum Pontificium antea de eo loquitur, sed approbatio Nicolai in perpetua consuetudine Ecclesiæ fuit.* Sed numquid ante Nicolaum I. Papam per octo sæcula non fuit in Ecclesia hoc Cognationis Legalis impedimentum dirimens? Dico quòd fuit; & ejus Auctor in iisdem octingentis annis fuit universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ circa hoc impedimentum voluit Jus Civile observare: est autem certum, quòd Consuetudo potest inducere Impedimenta dirimentia Matrimonium, ut supra à nobis probatum est *Decis. XVIII. num.* 20. & 35.

Quo ad Tertium in quo quæritur, quis possit Adoptare, seu Arrogare? Respondetur, eos omnes, qui sequentia habent requisita, seu qua-
19 litates *Prima*, si adoptare, vel arrogare cupiens sit Paterfamilias, & sui juris. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 63. *num.* 3. Trullench *libr.* 7. *cap.* 9. *num.* 5. *tom.* 3. & Palaus *tom.* 5. *disp.* 4. *punct.* 9. *num.* 4. Ideò filii familias, ac servi, qui sunt in aliena potestate, filios sibi adoptare, vel arrogare non possunt. *Secunda*, ut sit major annorum 25. qui enim minor est, bona sua administrare non valet, & per consequens nec filios, aut nepotes sibi adoptare. Layman *d. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 7. *num.* 1. Arrogans autem debet esse sexagenarius, ut dictum est supra sub *n.* 9, nisi ex gratia à Principe dispensetur. *Tertia*, ut Adoptans, vel Arrogans sit Vir, quia ut dictum est supra *n.* 10. Mulier, eò quod Filios carnales non habet sub potestate, eos adoptare non potest, nisi ex speciali Principis rescripto; quod benignè concedebatur Matri filiorum in bello peremptorum. *l. Nam & fœminæ, ff. De Adopt. §. Fœminæ. Inst. eod. tit.* Hæc tamen conditio erat necessaria de Jure civili Romanorum; secùs de Jure gentium, & apud exteros populos, apud quos liberum erat etiam fœminis filios extraneos sibi adoptare, ut dictum est de filia Pharaonis, & de Adama Cariæ Regina ab Hinc etiam S. Mamantem Martyrem puerulum fuisse adoptatum in filium à pia fœmina ditissima, ac vidua in Paphlagonia scribit Metaphrastes; & ex eo Surius *die* 17. *Augusti tom.* 4. tempore Aureliani Imperatoris, qui assumptus fuit ad Imperium *Anno* 271. *Quarta* conditio est, ut Adoptans, vel Arrogans non sit naturaliter impeditus ad generandum filios; quales sunt frigidi, vel maleficiati. *§. Sed & illud. Inst. de Adopt.* Dicitur naturaliter, quia si ex injuria hominum sint inhabiles, ut castrati, vel castitatis amore, ut sæculares Religiosi; hi non prohibentur adoptare. Justus *d. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 11. *Quinta*, ut adoptans, vel arrogans saltem octodecim annis adoptatum excedat, ut sit in tali ætate, in qua ejus Pater etiam secundùm naturam esse possit, quia Adoptio naturam imitatur, *§. Minorem natu. Inst. eod. tit.* Angelus *Verb. Adoptio. n.* 6. *Sexta*, ne Adoptans ab alio adoptatum filium adoptet, nisi de consensu prioris adoptantis, & aliorum de illa familia. Massobrius *de Concursu Prælud.* 7. *dub.* 20. *num.* 74. & 75. *Septima* est conditio, ut Arrogans cavere debeat de restituendis bonis Arrogati, illius hæredibus legitimis, vel directis, vel substitutis, legatariis, aut fideicommissariis, qui propterea post Arrogati mortem statim agere valent. *l. Nec ei. §. fin. ff. de Adopt. §. Cum autem. Inst. eod. tit.* Ant. Pichard. *ibi in Rubr. num.* 8. & 9. *Octava*, quòd Pater Arrogator quartam saltem partem suæ hæreditatis tenebatur relinquere filio Arrogato. *l. fin. ff. Si quid in fraud. patr.* Pichard. *ubi prox. num* 10. *Nona* tandem est, quòd si Adoptaturus, vel Arrogaturus sit Tutor, vel Curator Adoptandi, seu Arrogandi, eum adoptare, sivè arrogare non possit, nisi finito Officio tutelæ, aut curæ; ac redditis rationibus suæ administrationis. Barrolus in *l. Nec ei.* 17. *ff. de Adopt.* Nicolius *Instit. Civil. lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 11.

Quo ad Quartum; in quo desideratur scire, *Qui sint effectus Adoptionis?* Respondetur cum distinctione. Vel Adoptio facta est ab Avo Paterno, 21
seu materno: Aut facta est ab extraneo. In primo casu parit sex sequentes effectus. 1. Est, quòd si pater naturalis adoptati est emancipatus, filius adoptatus desinit esse in potestate patris sui naturalis, & transit in potestatem Avi illum adoptantis; adeò ut quidquid deindè acquirit, non Patri naturali; sed Avo, à quo fuit adoptatus, acquirit, & eidem succedit ab intestato; non autem Patri naturali. *l. Cum in adoptivis. §. Si verò, C. De Adopt.* 2. Talisque effectus operatur etiamsi Avus adoptans habeat alios filios legitimos, ac naturales. *d. l. Cum in adoptivis.* 3. Quòd Dignitas Senatoria Avi adoptantis transit in ipsum adoptatum. *l. Senatoris filium.* cum *l. seq. l. liberos. ff. De Senatorib.* 4. Quòd Avus adoptans habet jus

corrigendi

corrigendi adoptatum. *l.* 1. *C. De Emendat. propr.* 5. Quòd sic adoptatus sine venia in jus vocare non potest Avum adoptantem *l. Adoptivum. ff. De in Jus vocan.* 6. Inter Adoptantem, adoptatum hujusmodi, & alios liberos legitimos, ac naturales Matrimonium iniri non potest. §. *Ergo. Instit. de Nupt. l. Adoptivus* 14. *ff. de Ritu Nupt.* de quo effectu infra disseremus. In secundo casu, quando quis adoptat extraneum, cessat primus effectus; nam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, sed remanet in potestate Patris naturalis, & huic acquirit, non autem ipsi adoptanti, nec ei succedit, nisi ab intestato deficientibus suis hæredibus. Richardus *eod. tit. de Adopt. in Rubr.* Nicolius *in tit. de Adopt. num.* 2. Alii effectus remanent in suo vigore, quamvis de ultimo circa Impedimentum Matrimonii, cùm Adoptio facta est ab extraneo, sit altercatio inter DD. de qua infra *num.* 26.

Quo ad Quintum. Effectus Arrogationis, 22 (præter sex supradictos, qui nascuntur ex Adoptione etiam in Arrogato) sunt sequentes. 1. Arrogatus transit in potestatem Arrogatoris cum omnibus suis bonis, & liberis, si quos habet in potestate; adeò ut ab Arrogatore possit alteri in adoptionem dari. *l. Si Paterfamilias. 15. ff. de Adopt.* 2. Arrogator succedit ab intestato filio ipsi Arrogato. Nicolius *Instit. Civil. libr.* 3. *tit.* 1. *num.* 41. quod intelligendum esse ait, si Arrogatus decedat ante pubertatem. 3. Arrogatus succedit Arroganti, nedum ab intestato, sed etiam ex testamento. Et hoc adeò est verum, ut si Arrogator in testamento prætereat Arrogatum, vel eum sine justa causa exhæredet, non solùm sint restituenda ipsi Arrogato omnia bona, quæ ad Arrogatorem detulit; sed etiam quarta bonorum Arrogatoris; ad quam consequendam habet conditionem ex Lege D. Pii; & eam transmittit ad suos hæredes etsi non agnitam, neque petitam. *l. Si Arrogator.* 22. *ff. de Adopt.* 4. Arrogans non potest sine causa emancipare Arrogatum, quod si fecerit, & bona sua ei restituere, & quartam de propriis relinquere debet. Richard. *in Rubr. d. tit. de Adopt. num.* 10. 5. Ex Arrogatione insurgit prædictum impedimentum Cognationis Legalis, quod dirimit Matrimonium, de quo infra *num.* 25.

Unum autem, notatu maximoperè dignum, est advertendum non solùm à Studiosis pro foro interno, sed multò magis ab illis, qui in 23 foro externo, ac contentioso insudant; & est, quòd filii Adoptati, seu Arrogati non comprehenduntur in Jure sub nomine filiorum, nisi speciatim exprimantur. Hinc fit, ut filius adoptivus non admittatur in feudis. *cap.* 1. §. *Si quis. Verb. Adoptivus. tit. Si de feudo defuncti &c. In Usib. feudorum.* Item Adoptati, ac Arrogati non admittuntur in bonis fideicommisso subjectis ad excludendum substitutum: ut, si Testator dixerit, si Filius meus decesserit sine liberis, Cajus hæres esto. Certè sine liberis Filius obiisse dicetur, licèt mille Adoptatos, vel Arrogatos reliquerit. *l. Fideicommissum.* 75. *ff. de Condit. & Demonstr.* Item in Statutis, in quibus stricta fit interpretatio, nomine filiorum non continentur Adoptivi. *arg l. Liberorum.* 220. *ff. de Verb. Signific.* ideòque si stante Statuto filiæ per masculos excludantur, non excludentur per Adoptivos. Ripa *in l. Si unquam. C. De Revocand. donat.* Nicol. *d. tit. de Adopt.* §. *sed hodie num.* 3.

Quo ad Sextum, & Ultimum; in quo flagitatur: *Quomodo, & inter quas personas Cognatio Legalis impediat, & dirimat Matrimonium?* Pro resolutione Quæsiti sciendum est, quòd secundùm Theologos, & Canonistas, tres sunt species Cognationis Legalis. *Una* in 24 Linea recta, quasi ascendentium, & descendentium, in qua comprehenduntur Adoptans, Adoptatus, & ejus filii, ac nepotes. Altera in Linea transversali, in qua continentur ipsi Adoptati, & filii naturales, ac legitimi ipsius Adoptantis. Tertia est Linea affinitatis legalis ad similitudinem affinitatis carnalis, & in ea considerantur Adoptans, atque Uxor adoptati; ac vice versa Uxor adoptantis, & ipse Adoptatus. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 3. *in corp.* nec non in *Addit.* 3. *p. qu.* 57. *art.* 3. Reginaldus *d. libr.* 31. *num.* 162. ubi doctè advertit, Cognationem Legalem primæ speciei vocari *Paternitatem;* secundæ speciei *Confraternitatem;* tertiæ speciei *Affinitatem;* quod idem docent omnes Theologi, quos citat, & sequitur Sanchez *libr.* 7. *disp.* 63. *num.* 6. Basilius Pontius *libr.* 7. *cap.* 41. *à num.* 3. *& seqq.* Salmanticenses *tract.* 9. *cap.* 12. *de Matrim. num.* 37. doctissimus Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 7. *num.* 472. ac Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Matrim. d. disp.* 29. *n.* 25 17. His ita prænotatis, respondendo ad Quæsitum dicendum est, quòd quælibet ex his speciebus Legalis Cognationis, ex Adoptione, seu Arrogatione provenientis impedit, & dirimit Matrimonium inter personas in iisdem tribus Lineis, seu speciebus existentes; non quidem Jure Divino, aut Naturali, aut Civili, sed Jure Ecclesiastico; quia prædictæ tres species sunt ab Ecclesia approbatæ; & firmatæ pro impedimento dirimente; ac de duabus primis, scilicet in Linea recta, ac transversali loquuntur expressè *texx. in cap. Per adoptionem.* 30. *q.* 3. & *in cap. Unico de Cognat. Legali.* De tertia verò Linea, seu specie, etsi non habeamus textum Canonicum expressum, sufficit illa Rubrica generalis. *De Cognatione Legali*, qua omnes Legales Cognationes de Jure Civili introductæ censentur comprehensæ, & à Jure Canonico approbatæ; addita potissimum consuetudine immemorabili Ecclesiæ, quæ prædictas tres species Legalis Cognationis tanquam legitimum Matrimonii impedimentum dirimens cognovit, & approbavit, scientibus, & non contradicentibus Summis Pontificibus, ut ex S. Thoma *ubi supra* docent Sanchez *d. disp.* 63. *num.* 17. Basilius Pontius *d. cap.* 41. *num.* 2. & aliis pluribus citatis Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 38. ubi hanc fuisse rationem ajunt, introducendi hoc impedimentum: nempè ut ad similitudinem Consanguinitatis, ac Cognationis carnalis servaretur debita reverentia inter Patres Adoptantes, ac filios, nepotesvè Adoptatos; & custodiretur castitas inter fratres legitimos naturales, ac adoptivos; quæ ob familiaritatem inter ipsos periclitabatur, nisi fulciretur hoc impedimento Matrimonii inter illos. Modò tres remanent difficultates solvendæ circa quas digladiantur DD. in hac Cognatione Legali.

Prima difficultas est, Utrùm hoc impedimentum dirimens proveniat tam ex Adoptione perfecta, quæ proprio nomine vacatur *Arrogatio*; quàm ex imperfecta; quæ simplici vocabulo contento dicitur *Adoptio*? In hac difficultate sunt duæ opiniones; Una Thomistarum, asserentium solam Adoptionem perfectam; idest solam Arrogationem producere hoc Legalis Cognationis impedimentum. Altera est Scotistarum docentium, illud provenire ex utraque Adoptione, sivè perfecta, sive imperfecta; ideòque non tantùm ex Arrogatione, sed etiam ex simplici Adoptione. Rationes Thomistarum sunt. 1. Quia Adoptio imperfecta potiùs est dispositio ad perfectam, idest ad Arrogationem; quàm vera Adoptio. Sed dispositio ad formam non participat veram formæ naturam. Ergo simplex, seu imperfecta Adoptio non est impedimentum dirimens; sicut est Arrogatio, seu Adoptio perfecta. 2. Quia hæc Legalis Cognatio introducta est ad similitudinem Cognationis carnalis; nam, ut sæpè supra dictum est, Cognatio Legalis imitatur naturam. Sed natura, atque carnalis Cognatio facit, ut filii, qui per eam nascuntur, sint in potestate parentum, à quibus generantur. Ergo talis effectus est attendendus etiam in Cognatione Legali; cumque ipse non habeatur nisi in Adoptione perfecta, seu Arrogatione, per quam Arrogatus transit in potestatem Arrogantis; sequitur, quòd ex sola Arrogatione, atque Adoptione perfecta producatur Cognatio Legalis, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonium. 3. Quia hoc impedimentum Legalis Cognationis introductum est ad evitandum periculum incontinentiæ ob familiaritatem, & continuam habitationem in eadem domo filiorum adoptivorum cum filiis legitimis, & naturalibus Patris adoptantis. Sed hæc cohabitatio, & familiaritas cessat in Adoptione imperfecta; in ea enim adoptati non transeunt in domum, ac potestatem Patris Adoptantis; sed tantùm in Arrogatione, ac Adoptione perfecta. Ergo ex ista solummodò nascitur Cognatio Legalis, quæ impedit, & dirimit Matrimonium. Es his rationibus hanc opinionem censetur tenere S. Thomas 3. *p. q.* 57. *art.* 1. & 2. prout eam tenent Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 63. *num.* 9. Perez *disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 6. Aversa *quæst.* 16. *sect.* 3. & pluribus citatis Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 12. *num.* 41. & ibi Diana *part* 4. *tract.* 4. *resol.* 120. nec non *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 53. Quæ nunc sunt repositæ. & leguntur in ejus operis Coordinati *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 250. & *resol.* 251. in quibus plurimos DD. allegat, opinantes, ex Adoptione imperfecta nullam oriri Cognationem Legalem; & ex ea nullum insurgere impedimentum, nec dirimens, nec impediens. 26

Scotistæ è contra docent, Cognationem Legalem oriri tam ex Adoptione perfecta, quàm ex imperfecta, & in utraque esse impedimentum dirimens Matrimonium. Eorum rationes sunt. 1. Quia utraque adoptio est vera adoptio, etsi respectu, & comparatione inter se, Arrogatio sit magis perfecta. Adoptio simplex sit minùs perfecta, prout puer est verus homo, quamvis in comparatione ad virum sit imperfectus homo. Ergò tam perfecta, quàm imperfecta Adoptio producit Cognationem Legalem, Matrimonium dirimentem. 2. Quia omnia Jura de illa loquentia dicunt absolutè quòd nascitur ex Adoptione. Ergo sivè de perfecta, sivè de imperfecta; ubi enim Lex non distinguit; nec nos distinguere debemus. Barbosa *Axiom.* 156. *num.* 7. 3. Quia hæc est opinio antiquissima Glossæ in *cap. Unico. De Cognat. Legal. Verb. Quandiu*, circa medium, ubi ita dicit: *Tam adoptati, quàm arrogati sunt filii adoptivi, sivè fratres*: & circa finem sic habet: *Per decretalem istam, quæ indistinctè loquitur de adoptione, non distinguendo inter adoptatum, & arrogatum, hoc idem videtur.* 4. Quia idem sentit alia Glossa antiquissima in *summa* 30. *q.* 3. dicens: *Legalis Cognatio est, quæ fit per Arrogationem, vel per Adoptionem.* Ergo oritur ex utraque secundum utramque Glossam. Porrò opinio Glossæ in re dubia prævalere debet opinioni contrariæ quorumcunque Doctorum, & eis est anteponenda, ut notabiliter scribit, ac demonstrat Fagnanus *in cap. Cum vos.* in fin. *De Offic. Ordin. tom.* 2. *pag.* 445. & Calcaneus *cons.* 6. *num.* 5. & 6. Quare ita tenent, ac docent juxta hanc opinionem omnes Scotistæ, quos Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 471. nominat, idest Basolius, Hiqueuz, & alii; ac præter eos, Riccardus, Paludanus, D. Antoninus, Sotus, Toletus, Lopez, Angelus, Tabiena; nec non Covaruvias 4. *Decret.* 2. *part. cap* 6. §. 5 *num.* 2. & ex modernis Basilius Pontius *libr.* 7. *cap.* 41. *num.* 2. Rebellius *part.* 2. *libr.* 3. *de Matrimon. q.* 7. *num.* 5. Hurtadus *de Matrim. disp.* 19. *diffic.* 2. *num.* 3. ubi alii allegantur; quibus adhæret Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.* 29. *num.* 12. & hæc opinio in praxi est amplectenda tanquam magis probabilis, ac magis tuta. 27

Secunda difficultas est. Quantum temporis duret inter Cognatos Legales hoc impedimentum dirimens Matrimonium? Pro cujus resolutione distinguere oportet, primam, ac tertiam speciem Cognationis Legalis à secunda. Siquidem in prima specie, scilicet inter adoptantem, & adoptatam; prout in tertia, nempè inter Uxorem adoptantis ac adoptatum; sivè inter adoptantem, & Uxorem adoptati, impedimentum hoc est perpetuum, itaut nullo unquam tempore possit inter personas prædictarum specierum esse Matrimonium; quamvis adoptio solveretur per emancipationem filii adoptati, vel per mortem Patris adoptantis. S. Thomas 3. *p. q.* 57. *art.* 3. Sanchez *libr.* 7. *disp.* 63. *num.* 34. Basilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 41. *num.* 5. Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 42. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 472. & alii plurimi congesti per Barbosam *in Collect. DD. ad d. cap. Unic. de Cognat. Legali.* quibus adstipulatur Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 29. *de Matrim. num.* 44. 45. & 46. Duplex est fundamentum hujus impedimenti perpetui. Unum, quia sic Statutum est à Jure Civili. §. *Ergo non omnes. Instit. de Nupt. l. Quin etiam.* 53. *ff. de Ritu Nupt.* ipsum autem Civile Jus, prout stat, & jacet, approbatum, & confirmatum est circa hanc Matrimonialem prohibitionem à Jure Canonico; ut *in d. cap.* 1. & *cap. Per adoptionem.* 30. *q.* 3. & *in cit. cap. Unic. De Cognat. Legal.* Alterum, quòd eadem prohibitio emanavit ob reverentiam, quæ debet esse inter Adoptatos, ac eorum Parentes Adoptantes, quæ debet esse perpetua. Quò verò ad secundam speciem hujus Cognationis, quæ amplectitur lineam transversalem, 28

idest

30 ideſt fratres naturales, ac legitimos, ipſoſque fratres adoptivos, hoc impedimentum tandiù durat, quandiù ipſi adoptivi fratres ſunt in Poteſtate Patris adoptantis; idcircò patria ejus poteſtate ſoluta, vel per emancipationem, vel per mortem ipſius Patris, poſſunt iidem fratres contrahere inter ſe Matrimonium, quia tunc ceſſat inter eos tale impedimentum; undè filia adoptiva, mortuo Patre adoptante, nubere poteſt filio naturali ejuſdem Patris *d. cap. Unic. De Cognat. legal. cap. Per adoptionem.* 30. *q.* 3. §. *Inter eam. Inſtit. de Nupt.* S. Thomas *d. qu.* 57. *art.* 3. Sanchez *d. libr.* 7. *diſp.* 63. *num.* 27. Baſilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 41. *num.* 5. Salmanticenſes *d. cap.* 12. *num.* 42. ubi alios citant; & concordant Maſtrius *d. diſp.* 7. *num.* 472. & Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 29. *à num.* 49. *& ſeqq.* Ratio hujus extincti impedimenti eſt, quia ſoluta patria poteſtate per emancipationem, vel per mortem adoptantis, adoptivus non tenetur amplius cohabitare cum aliis filiis naturalibus ejuſdem adoptantis; & ſic ceſſat periculum incontinentiæ cum illis.

Tertia difficultas eſt, Utrùm hæc Cognatio Legalis extendatur ad alias perſonas, præter Patrem Adoptantem, ac Filium Adoptatum, Uxoreſque eorum; ac fratres naturales, legitimoſque filios reſpectivè ejuſdem adoptantis? Duæ 31 ſunt Sententiæ. Una eſt, quòd extendatur uſque ad quartum gradum in prima ſpecie; & ſic ad filios, nepotes pronepotes, aut proneptes filii adoptati, cùm quarum nulla Pater adoptans poteſt Matrimonium contrahere; prout nec ejus Uxor cum pronepotibus adoptati; ea ratione quia hæc Cognatio Legalis introducta eſt ad exemplum Carnalis, quæ dirimit uſque ad quartum gradum. Ita Card. Toletus *libr.* 7. *cap.* 8. *num.* 4. Navarrus *in ſumm. cap.* 22. *num.* 45. Pontius *d. cap.* 41. *num.* 3. & alii apud Salmanticenſes *d. cap.* 12. *num.* 43. Altera Sententia eſt; quòd nulla fiat extenſio ultra perſonas formantes primam, & ſecundam ſpeciem; ideſt Patrem, & filium adoptatum, ejuſque liberos exiſtentes in poteſtate ejuſdem adoptantis, Uxoremque ejus, ac filium adoptatum; prout Uxorem adoptati reſpectu Patris adoptantis. Ita Sanchez *d. diſp.* 63. *num.* 34. Averſa *q.* 16. *ſect.* 3. Salmanticenſes *d. cap.* 12. *n.* 43. ubi alios citant; ajuntque, contrariam rationem non adaptari huic impedimento, aliàs ſequeretur, quòd etiam in ſecunda ſpecie, lineaque tranſverſali hoc impedimentum extenderetur inter fratres naturales legitimos, atque inter adoptivos, eorumque deſcendentes uſque ad quartum gradum, prout fit in Cognatione Carnali; quod eſt apertè falſum. Quapropter Cognatio Legalis non extenditur in linea recta, & prima ſpecie niſi ad filium adoptatum, ejuſque libere exiſtentes in poteſtate adoptantis reſpectu illius, ac ipſius Uxoris.

Ex his deducuntur DD. præcitati, ac iidem Salmanticenſes *d. cap.* 12. *num.* 44. Primò, quòd Cognatio Legalis impedit, & dirimit Matrimo- 32 nium inter Patrem, ac Matrem adoptantis cum omnibus deſcendentibus à filio adoptato, qui fuerint in eadem poteſtate Patris adoptantis, juxta *l. Si Paterfamilias. ff. de Adoptionib.* itaut cum iiſdem nullo tempore poſſit eſſe Matrimonium. Secundò, quòd è contra Adoptans poteſt ducere in Uxorem Filiam, vel Neptem filii adoptati, ſi ipſa nunquam fuerit in poteſtate Patris adoptantis. Tertiò multò magis idem Pater adoptans poteſt inire Matrimonium cum filia filiæ adoptatæ, quia ipſa filia adoptata non habebat patriam poteſtatem in eadem filia. §. *Fœminæ Inſtit. de Adopt.* Quartò filii naturales illegitimi adoptantis poſſunt inter ſe nuptias celebrare, quia illegitimi ſunt extra patriam poteſtatem. §. *ult. Inſt. de Nuptiis.* Quinto ipſe adoptans poteſt contrahere Matrimonium ob eamdem rationem cum filiabus illegitimis adoptati. Et Sextò deducunt, quòd ſi plures ſint filii adoptati ab uno & eodem adoptante; eorundem Adoptatorum liberi poſſunt inter ſe Matrimonium contrahere, quia inter ipſos non extenditur Legalis Cognatio, neque ex ea inſurgens dirimens impedimentum. Ita Sanchez *d. libr.* 7. *diſp.* 63. *num.* 29. Baſilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 41. *num.* 4. Salmanticenſes *d. num.* 44. *& ibi* alii DD. noviſſimè Juſtus *de Diſpenſat. Matrim. d. libr.* 2. *cap.* 6. *num.* 511. *& ſeqq.* qui ſub *num.* 86. addit, quòd rarò petitur diſpenſatio à Papa ſuper hoc impedimento Cognationis Legalis, quia in linea recta, ſeu in prima, & tertia adoptionis ſpecie Papa non vult diſpenſare; in ſecunda verò ſpecie, ſeu linea tranſverſali rarò venit caſus diſpenſandi; cùm vel per emancipationem filii adoptati, vel per mortem Patris adoptantis, ceſſet Legalis Cognatio inter adoptatum, & inter liberos legitimos, ac naturales ejuſdem adoptati.

Ultimò notandum, quòd ſi poſt contractum Matrimonium ſuperveniat inter conjuges Legalis Cognatio, puta ſi adoptetur Vir conjugatus, cum ipſa conjuge; vel ſi gener adoptetur à Socero, non impeditur inter eoſdem conjuges uſus Matrimonii, quia nullo jure hoc cautum reperitur, teſte eodem Juſto *d. libr.* 2. *cap.* 6. *num.* 88. *in fin.*

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

Impedimentum *Criminis* dirimens Matrimonium exponit hæc Deciſio. Illud ab Eccleſia eſſe introductum demonſtrat: ideò Conjugium David cum Berſabea hac nullitate non laboravit; imò nec hoc Crimine dirimente fuit affectum. Ponuntur quatuor Caſus, in quibus patratur hoc Crimen; & recenſentur conditiones neceſſariæ, ut per illud irritetur Matrimonium. Hiſtoriæ Uxorum adulterantium, ac Viros ſuos occidentium; punitioneſque Divinæ Juſtitiæ in eaſdem, & alios adulteros.

SUMARIUM.

1 *Crimen dirimens Matrimonium cur ſic nuncupetur?*
2 *A quo Jure ſit introductum?*
3 *David Matrimonium cum Berſabeâ an fuerit irritum ob hoc impedimentum* Criminis?

4 *Jus naturale an irritet Matrimonia cum hoc crimine inita?*
5 *Jus Ecclesiasticum introduxit impedimentum* Criminis.
6 *Infideles an afficiantur impedimento* Criminis *dirimente?*
7 *Criminis dirimens impedimentum in quatuor Casibus incurritur. Et qui sint isti Casus?*
8 *Crimen dirimens incurritur per homicidium sivè per se, sivè per alium, de mandato, vel consilio commissum: non per solam ratihabitionem.*
9 *Machinatio unius tantùm an faciat incurrere?*
10 *Conditiones novem ad incurrendum impedimentum Criminis dirimens. Et quæ sint?*
11 *Machinatio sine adulterio debet esse de consensu utriusque.*
12 *Mastrius dormitavit legendo Aversam; & cur?*
13 *Adulterium cum promissione de futuro Matrimonio, illud dirimit, septem conditionibus concurrentibus. Et quæ sint?*
14 *Conjugati contrahentes aliud Matrimonium incurrunt impedimentum Criminis dirimens inter eosdem.*
15 *Dispensatio super Crimine obtinenda quæ requirat?*
16 *Clytemnestra Agamemnonis Uxor adultera, & Viricida.*
17 *Euridice Macedonum Regina Adultera, & Viricida.*
18 *Fabia Romana adultera, & Viricida.*
19 *Mulier adultera filicida.*
20 *Adulteri facies in Dæmonem conversa. Alterius deformitas.*
21 *Adulteri lectulus igneus paratus in Inferno.*

POst triplicis Cognationis Impedimentum, Naturalis, Spiritualis, atque Legalis (de quibus in præcedentibus disseruimus) sequitur Impedimentum *Criminis*, de quo in præcedenti est agendum. Quamvis autem plura sint crimina, quæ impediunt Matrimonium, ne contrahatur, ex eis tamen nullum reperitur, quod contractum irritum reddat, ut dicemus infra suo loco, quando de impedimentis impedientibus tantùm verba faciemus; at *Crimen*, de quo in præsenti, dirimens Matrimonium est Homicidium, ac Adulterium, per antonomasiam nuncupatum *Crimen* à Sacris Canonibus ob nimiam ejus enormitatem, & injuriam, quam infert tum Matrimonii Sacramento, violans fidelitatem, quam unus conjux alteri debet; tum personis conjugatis per machinationem in mortem alicujus ex ipsis; idcircò, quatuor sunt breviter videnda de illo.

1 Quo Jure introductum sit hoc impedimentum dirimens Matrimonium, quod vocatur *Crimen?*
2 Quot sint Casus, in quibus hoc Crimen committitur?
3 Quæ, & Quot conditiones requirantur in quolibet Casu, ut sit impedimentum dirimens?
4 Quantum Deo displiceant prædicta Homicidia, ac Adulteria.

Quo ad Primum. Concorditer docent omnes DD. hoc impedimentum Criminis dirimens Matrimonium neque à Jure Divino, neque à Jure Naturali esse introductum; sed tantùm à Jure Ecclesiastico. Non est introductum à Jure Divino, quia nec in novo, nec in veteri Testamento id habetur, ne dum enim in isto, vel in illo Matrimonium dicitur invalidum in hac Criminis suppositione, sed neque illicitum; & nullus assignari potest Sacræ Scripturæ locus, qui de invaliditate hujus Matrimonii loquatur; & quamvis 2. *Reg.* 11. referatur factum Regis David, qui captus amore Bersabeæ Uxoris Uriæ cum ea adulteratus est, deindè homicidium commisit, per internecionem ejusdem Uriæ, facto Ducis Joab sequutam; & postea ipsam Bersabeam in Uxorem duxit; quod, ut habetur 2. *Reg.* 11. *in fin. Displicuit hoc, quod fecerat David coram Domino;* nihilominùs nullibi dicitur, quòd Matrimonium illud fuerit irritum, & invalidum; imò *Matth.* 1. 6. cum magna observatione notatur, quòd Salomon fuit filius David *ex ea, quæ fuit Uriæ*, & per consequens fuit filius legitimus, & natus ex Matrimonio valido, qualem decebat auctorem, ac propagatorem futuri Messiæ, qui ab ipso David, mediante Salomone genito cum Uxore Bersabea, ortum duxit; Imò ipse David etsi reus de Adulterio cum eadem Bersabea, & de Homicidio in personam Uriæ Viri ejus commisso, non potest redargui de hoc *Crimine* impediente, ac dirimente Matrimonium; tum quia copulam carnalem habuit cum muliere illa ex æstu amoris, non etiam cum promissione futuri Matrimonii, quæ (ut infra dicetur) necessaria est in adultero ad incurrendum hoc impedimentum *Criminis* dirimens; tum etiam quia non fecit occidere Uriam ad hunc finem, & effectum, ut Bersabea sibi nuberet; sed ut consuleret ejus mulieris indemnitati, timens eam occidi à marito; & post Uriæ homicidium, ipsaque Bersabea viduante, resolvit illam sibi sumere in Uxorem ad reparandam ejus famam, & ne ab Hebræis tanquam adultera lapidaretur, ut bene considerat Salianus ad *Annum Mundi* 2998. *num.* 29. & Cornelius à Lapide *d.* 2. *Reg.* 11. *Vers.* 27. adeò ut Regis David delictum fuit quidem grave coram Domino, & scandalosum coram populo; at verè, & propriè non fuit *Crimen* illud, de quo agimus, & quod dirimit Matrimonium.

Nec fuit inductum à Jure naturali, quia nec ex primis naturæ principiis, neque ex conclusionibus ab eis deductis habetur, adulterantem occidentem conjugem vel dantem fidem adultero, non posse cum eo contrahere Matrimonium, ut argumentatur Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 33. *de Matrim. num.* 119. ubi subdit, quòd *esto, contra legem naturæ sit machinari homicidium ob quemcunque finem,*

finem, & violare fidelitatem; tamen secuto homicidio, vel violata fidelitate, non dicat Lex naturæ, nullum esse contractum Matrimonii, seu non posse validè contrahi, scilicet inter ipsos occisores, seu adulteros. Hinc inter Paganos, & Gentiles, qui Legibus naturæ sunt obstricti, non semel hoc crimen homicidii, seu adulterii commissum fuisse legitur, cum promissione, & executione futuri conjugii inter homicidas, atque adulterantes; absque pœna nullitatis, ut desumitur ex illis carminibus Martialis *libr. 6. Epigram. 22.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modò nunc facis Maritum,
Ne Lex Julia te notare possit,
Non nubis, Proculina, sed fateris.

Et alibi idem Poeta:

Mœchus erat, poteras tamen hoc bene Paula negare,
At Vir est: nunquid Paula negare potes?

Ex Jure itaque Ecclesiastico institutum est hoc dirimens *Criminis* impedimentum, ut habetur in *cap.* 13. 1. *q.* 1. ubi S. Leo Papa, electus ad Pontificatum *Anno* 440. ita loquitur: *Nullus ducat in Matrimonium, quam priùs polluit*
5 *adulterio*: & eamdem prohibitionem subsequentibus temporibus plura Concilia renovarunt, quorum Canones referuntur *ead.* 31. *q.* 1. deindè id sanxerunt Cœlestinus III. *in cap. Laudabilem. De Convers. Infidel.* Allexander III. *in cap. Super hoc. De eo, qui duxit &c. & in cap. Propositum.* Innocentius III. *in cap. Significasti. eod. tit* atque Gregorius IX. *in cap. Si quis uxore vivente. in fin. eod. tit.* ubi proposito casu de fide data ducendi in Uxorem mulierem ab Uxorato post mortem Uxoris, subdit: *Cæterùm tolerari non debet, si priùs, vel postea, dum vixerit Uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Hoc autem impedimentum inductum est à Jure Canonico, & ab Ecclesia in favorem Matrimonii, ut fides intacta servetur inter conjuges, & ne unus alterius mortem machinetur; ut docet S. Thomas *in 4. dist. 37. q. 2. art. 2.* & in Addit. 3. *p. q.* 60. *art.* 2. Scotus *in 4. dist.* 35. Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 33. art.* 10. Mastrius *in 4. Sent. disp.* 7. *num.* 499. atque Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 12. *de Matrim. num.* 45. ubi inferunt quòd infideles hoc Crimen committentes non incurrunt nullita-
6 tem Matrimoniorum, quia cùm sint extra Ecclesiam, hoc impedimento dirimente non afficiuntur, nisi tamen in eo committendo concurreret fidelis cum infideli, quia tunc uterque subjaceret nullitati, si simul contraheret, ut advertit Aversa *quæst.* 18. *sect.* 5. Mastrius *num.* 500. & alii DD. apud eosdem Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 64.

Quo ad secundum: in quo quæritur. *Quot sint Casus in quibus hoc Crimen committitur?* Respondetur, quòd licèt duo tantummodò sint *Crimina*, quæ faciunt oriri hoc impedimentum dirimens Matrimonium, videlicet *Homicidium*, & *Adulterium*; nihilominùs hæc duo crimina diver-
7 simodè inter se combinata constituunt quatuor casus; in quibus inter prædictos vel homicidas, vel adulteros non potest ampliùs contrahi Matrimonium; siquidem cum aliis personis, quæ non participaruntin homicidio, vel adulterio (etsi prohibitum sit inter eosdem homicidas, & adulteros contrahere in pœnam tantorum Criminum) si contrahatur Matrimonium; validè contrahitur, quamvis cum peccato, ut suo loco de Crimine tantùm impediente dicetur. Primus casus est, quando concurrit homicidium conjugis cum adulterio; sivè Vir adulter occidat propriam Uxorem; aut interficiat maritum adulteræ, ut cum ea ineat Matrimonium; sivè ipsa adultera interimat Maritum suum, aut Uxorem adulteri, ut eidem adultero nubere possit; & de eo loquitur *text. in cap. Super hoc. in cap. Significasti. in cap. Propositum. & in cap. Si quis vivente. De eo, qui duxit in Matrim. quam polluit adulter.* Secundus casus est, quando absque adulterio solum homicidium committitur alterius conjugis, ex mutuo consensu Viri, & fœminæ, qui inter se volunt Matrimonium contrahere, hoc animo, & intentione, ut inter se ipsos Matrimonium contrahant; ut habetur *in cap. Si quis vivente.* 31. *quæst.* 1. *& in cap. Laudabilem. De Convers. Infidel.* Tertius Casus est, quando quis adulterium committit vel cum fœmina uxorata; vel si ipse est uxoratus cum fœmina libera, cum promissione tamen ut inter se sequatur Matrimonium, quandocunque sivè Uxor mariti adulteri, sivè maritus fœminæ adulteræ mortui fuerint, etiamsi mors non fuerit ab aliquo ipsorum machinata; ut *in cap. Relatum* 31. *quæst.* 1. *& in cap. Veniens. & in cap. finali. De eo qui duxit in Matrim. quam polluit adult.* Quartus casus est, quando unus, vel duo conjugati, non obstante priori Matrimonio, & adhuc vivente eorum primo conjuge, scienter contrahunt adinvicem Matrimonium, & illud consummando adulterium committunt, prout *in cap. Ex Litterarum. & in cap. Si quis. eod. tit. præd. De eo, qui duxit in Matrim.* Isti sunt quatuor casus, in quibus oritur Impedimentum Criminis, quod impedit, & dirimit Matrimonium.

Quo ad Tertium: In quo petitur. *Quæ, & quot conditiones requirantur, in quolibet casu, ut sit Impedimentum dirimens?* Quo ad Primum ca-8 sum occisionis Conjugis simul cum adulterio, in primis notandum est, quòd Impedimentum hoc incurritur, sivè ipsi adulteri inferant mortem conjugi suo propriis manibus, sivè alterius ministerio, alteri mandantes, vel consulentes, ut occidat; vel eundem occisorem adjuvantes. E contra non incurritur hoc impedimentum, si ipsi adulteri tantummodò occisionem ab altero factam, ipsis insciis, ratam habeant; etiamsi illorum causa facta fuerit; quia ratihabitio solùm æquiparatur mandato vel in rebus, quæ à propria voluntate pendent, vel in his, quæ à Jure assignantur, ut est percussio Clerici, juxta DD. communem doctrinam, quam memorant Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 46. & 47. ubi ulteriùs advertunt, circa hunc primum Casum, ad incurrendum hoc Impedimentum *Criminis* dirimens Matrimonium, necessarium non esse, quòd uterque Adulter ad occisionem concurrat, sed satis esse, si unus tantùm, altero nesciente, machinetur in mortem conjugis; tum quia Jus Canonicum mentionem facit de 9
adulterio, & homicidio in genere; tum quia uter-

que

que cùm sit reus adulterii, censetur etiam particeps homicidii; tum etiam quia in hoc differt crimen adulterii, & homicidii simul, ab occisione absque adulterio; quòd in ista requiratur expressus consensus utriusque conjugis, ut infra dicemus; in illa verò sufficiat consensus etiam unius solius ex adulteris, ut bene probat Sanchez *libr.* 7. *disp.* 78. *num.* 9. Bonacina *de Matrimon. Imped. quæst.* 3. *punct.* 6. *num.* 8. & aliis citatis iidem Salmanticenses *d. cap.* 12. *n.* 47.

Igitur, ut in prædicto primo casu Impedimentum Criminis Matrimonium dirimens inducatur, requiruntur sequentes novem conditiones. *Prima* est, quòd mors conjugis de facto secuta fuerit; itaut non sufficiat, si tantummodò fuerit intentata, vel ordinata, si postea ob aliquam causam fuerit impedita. *Secunda* est, quòd fuerit secuta, non utcunque, sed ex vi percussionis, violentiæ, vel veneni, aut alia invasione in conjugem occisum facta; quopropter si ex culpa Medicorum, vel ex alio accidenti, sivè excessu infirmi mors sequatur, non inducatur hoc impedimentum. *Tertia* est, quòd percutiens se moverit jussu, mandato, vel consilio ipsorum adulterantium; nam si proprio motu, aut ad alicujus extranei instantiam occiderit, adulteri non afficiuntur hoc Impedimento. *Quarta* est, si ipsi adulteri, non revocaverint jussionem, mandatum, seu consilium ante percussionem, quandocunque enim illud retractassent, & occisori significassent ante delictum commissum, non oriretur hoc Impedimentum; & validè possent inter se nubere. Basilius Pontius *libr.* 7. *cap.* 45. *num.* 4. Aversa *quæst.* 18. *sect.* 4. Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 78. *n.* 5. & Salmanticenses *d. cap.* 12. *n.* 48. *Quinta* conditio est, ut Matrimonium occisi cum adulteris, ac homicidis præcedens fuerit validum; quia si constaret de nullitate Matrimonii conjugis interfecti, possent interfectores validè iter se contrahere. *cap. Significasti. De eo, qui duxit.* Basilius *d. num.* 4. Sanchez *d. disp.* 78. *num.* 20. & Salmanticenses *ibid. num.* 49. ubi subdunt, non requiri, quòd Matrimonium cum occiso fuerit consummatum; & sufficit, si fuerit ratum, vel si conjuges fuissent separati quoad thorum, & habitationem. *cap. Ex Litterarum. eod. tit. Sexta* est, quòd inter occisorem, & adulteram consummatum fuerit adulterium per veram copulam carnalem; ideò oscula, tactus, & hujusmodi inhonesti tactus sine copula non producunt hoc *Criminis* impedimentum. DD. præcitati, & Salmanticenses *numer* 50. *Septima* est, quòd adulterium sit commissum ante occisionem alterius conjugis; quia si quis conjugem priùs occidisset; deindè adulterium cum muliere patrasset, ea vidua effecta, poterit validè huic occisori nubere. Basilius *d. libr.* 7. *cap.* 45. *num.* 5. Conninch *disp.* 31. *dub.* 5. *num.* 54. ac ipsemet Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 50. *Octava* conditio est, ut uterque adulter conscius sit Matrimonii status, in quo uterque reperitur; quapropter si mulier copulam carnalem habeat cum conjugato, credens eum esse liberum; vel conjugatus coeat cum Uxorata, putans eam esse liberam; quamvis horum alter suum conjugem occidat, ut cum adultero Matrimonium ineat, validè inibit; quia requiritur in utroque notitia præcedentis conjugii; ea ratione, quia jura Statuentia hoc impedimentum *Criminis* dirimens, intendunt evitare, quòd adulterium sub spe futuri Matrimonii non sit incentivum machinationis mortis alterius conjugis. *cap.* 2. *cap. Veniens. cap. Propositum. De eo, qui duxit &c.* Aversa *d. quæst.* 18. *sect.* 4. Guttierez *cap.* 105. *n.* 14. & 15. ac alii apud eosdem Salmanticenses *num.* 51. & 52. ubi addunt, altercare DD. qualis debeat esse ignorantia Matrimonii alterius adulteri? & referunt, secundùm aliquos esse debere ignorantiam invincibilem; at juxta alios sufficere etiam ignorantiam supinam, & crassam, dummodò non sit cum dolo, prout tenet Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 78. *n.* 38. Rebellius *libr.* 3. *quæst.* 8. Glossa in *l. Magna ignorantia. ff. de Verb. signif. Nona* tandem conditio est, quòd occisio conjugis facta fuerit per ipsos adulteros, aut eorum unum hoc animo, fine, & intentione contrahendi Matrimonium cum conjuge viduato, vel viduata per mortem occisi; adeò ut si quis occideret maritum alicujus mulieris, ut ea liberius carnaliter uteretur, vel ob inimicitiam ex causis extraneis ortam, posset contrahere validè Matrimonium cum conjuge superstite ejusdem occisi, ut ex doctrina S. Thomæ *n.* 4. *dist.* 37. *quæst.* 2. *art.* 2. nec non *in Addit.* 3. *part. quæst.* 60. *art.* 2. tenent Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 53. & ibi Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 78. *num.* 13. Basilius Pontius *eod. libr.* 7. *cap.* 45. *num.* 5. Aversa *quæst.* 18. *sect.* 4. Valentia, Bonacina, & alii plures; quibus tamen se opponunt Card. Cajetanus *in Summ. Verb. Matrimonium cap.* 1. *Impedim.* 5. Petrus Soto *lect.* 9. *de Matrim.* Armilla *Verb. Matrimonium n.* 40. Sed non his ac præcedentibus DD. adhæret Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 497. & Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.* 33. *art.* 5. quia Sacrorum Canonum mens, in inducendo hoc impedimento dirimente, fuit, ne quis machinetur mortem sui, vel alterius conjugis hoc animo, fine, & intentione contrahendi Matrimonium cum conjuge interfecti, ut latiùs probant iidem Salmanticenses *d. num.* 53. & 54. Igitur cessante hoc animo, cessat hoc impedimentum.

Circà secundum Casum, in quo incurritur hoc *Criminis* impedimentum dirimens absque adulterio, sed ex sola machinatione in mortem conjugis illorum, qui simul volunt Matrimonium inire; requiruntur omnes conditiones in primo casu consideratæ; videlicet, quòd mors actualiter sit secuta; quòd Matrimonium occisi fuerit validum; & quòd hac intentione, & animo homicidium factum sit, ut adinvicem valeant Matrimonium contrahere; præcipuè tamen requiritur in hoc secundo casu, quòd machinatio procedat ab utroque volente simul Nuptias inire; & quòd ex mutuo eorum consensu mors conjugis sequatur, hac intentione, & animo simul contrahendi Matrimonium, ut latè probat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 33. *art.* 4. Siquidem hæc est differentia inter hunc secundum, & primum Casum; non solùm, quòd in primo unà cum homicidio concurrit adulterium; & in hoc secundo adulterium non committitur; sed etiam quia in primo casu sufficit machinatio mortis facta ab uno tantùm; at in hoc secundo opus est, ut machinatio procedat ab utroque, idest à viro, & à muliere, qui volunt deindè simul contrahere nuptias; ut bene advertunt omnes

DD.

DD. supra allegati, & præsertim Mastrius *d. disp. 7. num. 497.* his verbis: *Secunda conditio ex Bonacina ibidem est, ut Vir, & fœmina, qui conjugium contrahunt, ambo simul in mortem conjugis conspiraverint; unde si unus illorum machinatus sit mortem absque alterius conspiratione, non contrahit impedimentum dirimens Matrimonium, modò interceserit adulterium cum homicidio, ut habetur cap. Super hoc. De eo qui duxit in Matrim.*

Cæterùm ipse Mastrius *d. num. 497.* adjungit: *Oppositum tamen tenet Aversa quæst. 18. sect. 4. ubi ait, non solùm, quando ambo concurrunt, & conspirant in necem, ut contrahant, incurrere hoc impedimentum, ne possint contrahere; sed etiam sufficere ex hac parte machinationem, & intentionem unius, etiam injscio altero, & inquit sic expressè haberi in jure cap. Si quis vivente. 31. q. 1.* quæ opinio, ait Mastrius, sibi magis placet, etsi Scotus contrariæ inclinet.
12 At pace tanti Viri, non attentè ipse legit Aversam, nec consideravit canonem allegatum; quandoquidem quando Aversa *d. q. 18. sect. 4. Vers. Quartò* docet machinationem unius tantùm sufficere, injscio altero, loquitur in primo casu, in quo una cum machinatione concurrit etiam adulterium: at quando non committitur adulterium, sed quæritur, an sola machinatio sufficiat ad inducendum hoc impedimentum dirimens, absque adulterio? opus est, consensu mutuo utriusque, qui volunt simul contrahere, in eadem machinatione; itaut si unus tantùm machinatus fuerit, possit validè contrahere cum altero injscio ejusdem machinationis, ut expressè concedit idem Aversa *d. q. 18. sect. 4. Vers. Communis tamen. pag. mihi 598.* ubi ita loquitur: *Communis tamen Theologorum, Juristarum, ac Summistarum, & vera Sententia est, quando machinatio intercedit ex parte amborum contrahere inter se cupientium, & in necem alterius conjugis conspirantium, solam hanc machinationem sufficere, nec requiri adulterium.* Et paulò infra: *Quando crimen machinationis intercedit ex parte unius tantùm, absque cooperatione, vel consensu alterius; tunc simul etiam dicitur requiri adulterium, adhoc, ut incurratur tale impedimentum. Hoc similiter patet ex jure: quia ubi ponitur crimen machinationis ex una parte tantùm, simul apponitur crimen adulterii cap. Si quis vivente. 31. quæst. 1. & hæc est communis Doctorum intelligentia.* Hucusque Aversa, qui clarè loquitur juxta aliorum Theologorum doctrinam, quòd, ubi non est adulterium, requiritur machinatio amborum Nuptias simul inire volentium; ubi concurrit adulterium, sufficit machinatio unius tantùm. Quomodo ergo dicit Mastrius, quòd oppositum tenet Aversa? forsan, dum Aversam legerit, voluit verificare dicterium illud: *Quandoque bonus dormitat Homerus;* vel quòd aliquando etiam Viri doctissimi errare consueverunt.

Circa Tertium casum; in quo solum adulterium cum promissione futuri Matrimonii produ-
13 cit Impedimentum *Criminis* dirimens, hæ sunt conditiones necessariæ. *Prima*, quòd Adulterium fuerit consummatum per actualem copulam. *Secunda*, quòd Matrimonium fuerit validum, & verum inter adulterantem, & conjugem innocentem. *Tertia*, quòd dum committitur adulterium, & fit promissio de futuro Matrimonio, uterque adulterans sciat, Matrimonium existere inter ipsos cum eodem conjuge innocente; quia si crederent, se esse liberos, formaliter non adulterarent, & hoc impedimentum non incurrerent. *cap. 2. cap. Veniens. De eo, qui duxit &c. Quarta*, quòd habita scientia de alterutrius statu conjugali, iterum simul coeant; nam incurrunt Impedimentum per hanc novam copulam, per quam censentur ratificare præcedentem promissionem de futuro Matrimonio inter se ineundo. Sanchez *d. libr. 7. disp. 79. num. 32. & 34.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 59. Quinta*, quòd tam adulterium, quàm promissio sequatur, vivente adhuc conjuge innocente; nam si eo mortuo vel copula habeatur, vel promissio detur, impedimentum non incurritur. Basilius Pontius *libr. 7. cap. 54. num. 2.* & alii citati per Salmanticenses *d. cap. 12. num. 60. Sexta*, quòd promissio non fuerit revocata; si enim revocata fuerit, & postea non ampliùs se carnaliter cognoverint ipsi adulteri, cessat impedimentum, & poterunt simul contrahere; secùs verò, si promissione retractata, iterum carnaliter se cognoverint, nam impedimentum reviviscit. Salmanticenses *d. num. 60. Septima* conditio est, ut ipsa promissio sit verbis, vel signis exterioribus expressa; non autem in corde tantùm retenta. Sed utrùm debeat esse accepta? ac etiam ne sit ficta, sed vera? Alii DD. asserunt, oriri impedimentum dirimens; alii negant, quos allegant Salmanticenses *num. 61.* ubi stant pro negativa, dicentes, promissionem debere esse veram, & non fictam, ad hoc ut gignat impedimentum, & opus esse, ut sit acceptata ab alio adultero. Verùm pro utraque opinione refert gravissimos DD. Diana Coordinatus *tom. 6. tract. 6. resol. 168. & resol. 169.* ibi à Studiosis videndi; & extant in Diana veteri, seu inordinato *part. 3. tract. 4. resol. 197.* nec non *part. 9. tract. 6. resol. 26.*

Circa Quartum Casum, in quo unus, vel duo conjugati, non obstante priori Matrimonio de facto contrahunt aliud Matrimonium inter se, vivente primo conjuge; nulla alia conditio requiritur ad incurrendum hoc impedimentum *Criminis* dirimens, nisi quod sciant, primum, vel 14
primos eorum conjuges esse vivos, & quod de facto procedant ad contrahendum inter se Matrimonium; quia licèt nulliter, & invalidè contrahant; attamen in pœnam tanti ausus, & quòd attentaverint conjugum inire, redduntur inhabiles, etiam postquam fuerint in statu libero post mortem naturalem priorum conjugum, ad simul contrahendum Matrimonium. *cap. Ex Litterarum. cap. Si quis. eod. tit. De eo, qui duxit.* & hoc docent omnes DD. Moralistæ, & Scholastici, quos allegant Salmanticenses *d. cap. 12. num. 63.* & concordant Mastrius *d. disp. 7. n. 498.* atque Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 33. art. 7.* per totum.

Hic autem notandum venit, id quod scribit Justus *de Dispensat. Matrim. libr. 1. cap. 4. n. 188.* his verbis: *Circa dispensationem obtinendam super commisso, seu machinato Crimine, explicari debet, An hujusmodi impedimentum oriatur ex* 15
Machinatione, seu Adulterio, vel ex ambobus; si idem Crimen fuisset alia vice patratum; & deindè repetitum de ea fit mentio; aliàs dispensatio secundò

eundò obtenta erit nulla, ac subreptitia, quia Papa non præsumitur velle idem genus criminis pluries remittere. l. Nemo 3. C. de Episcop. audient. Et allegat DD. ita sentientes, inter quos Sanchez *libr.* 8. *disp.* 22. *num.* 20. Basil. Pontium *libr.* 8. *cap.* 17. §. 1. *num.* 8 *in fin.* Aversam *q.* 19. *sect.* 5. & aliis omissis, Dianam *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 75. quæ nunc reperitur in ejus opere Coordinato *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 148. ubi alios DD. concordantes cumulat.

Quo ad Quartum: in quo investigandum proponitur, *Quantum Deo displiceant prædicta homicidia, vel adulteria in proprios conjuges?* talis displicentia ostendi potest ex punitione quam Divina Justitia semper sumpsit, ob hujusmodi crimina, prout apparet ex sequentibus historiis,
16 ac exemplis. Prima est Clytæmnestræ, Tyndari filiæ, Castoris germanæ, Helenæ, Pollucisque Sororis, natæ in Urbe Sparta, ac Agamemnonis Mycenarum Regis Uxoris, quæ malè Viro suo servavit fidem. Hic enim Trojam ad ulciscendam fratris injuriam, ob Helenæ raptum profectus, totius Græci exercitus summum gerens imperium, dum in expugnanda Troja, pro Græciæ dignitate insudat, à prædicta Clytæmnestra Uxore sua magno fuit affectus dedecore; nam ipsa, insano amore capta, cum Ægistho Thyestæ filio, Agamemnonis patruele, adulterium commisit; adeòque in adulterum amore exarsit, ut secum convenerit de Agamemnone Conjuge occidendo, ut secum Nuptias impunè posset inire. Post expugnationem Trojæ Agamemnon domum triumphans reversus cum captiva Cassandra, quæ in prædæ partitione ei obvenerat, ejusdem sentit vaticinium de insidiis sibi ab Uxore paratis, quibus credere nolens impiè fuit ab Ægistho adultero interfectus, & eidem adultero homicidæ adultera nupsit. Sed numquid impunè? Nequaquam: nam non multò post, ab Oreste filio, quem Agamemnon ex impia Conjuge reliquerat, indignam Patris necem ulciscente, Clytemnestra Mater, & Ægisthus adulter interempti fuerunt, ut fusiùs scribit Seneca *in Agamemn.* & Euripides *in Oreste*, de quo Ovidius:

Vindex in Matrem Patris malus ultor Orestes.

Secunda historia est Euridices, Macedonum Re-
17 ginæ, Uxoris Amynthæ, ac mater Philippi, quæ cujusdam adulteri desiderio, vitam marito suo auferre veneno tentavit, sed à filia scelere detecto; tanti flagitii Euridice, ac adulter pœnas luerunt; ut scribit Fulgosius *libr.* 9. *cap.* 1. Tertia est Fabiæ, Fabrii Fabriciani Uxoris, quæ dum
18 Petronium Valentium liberali forma adolescentem, quocum adulterii consuetudinem habebat, maximè deperiret, maritum interfecit, ut adultero frueretur securiùs. Sed paulò post & ipsa infeliciter fuit necata, ut narrat Plutarchus *in Parallel.* Quarta est, quam ex Jo. Moscho *in Prato florido cap.* 76. narrat P. Stephanus Menochius *in Storeis part.* 5. *centur.* 10. *cap.* 15. de quadam muliere, quæ ut nuberet militi, in cujus amorem exarserat, præter mariti mortem, duos filios suos necaverat, eò quia à milite sibi dictum
19 fuerat, nolle in conjugem sumere alienos filios habentem. At post hæc facinora à milite pro Uxore ob horrorem recusata; ipsa præ desperatione navim ascendit; ut in Africam trajiceret. Ex abrupto navis in medio maris remanet immobilis per plures dies, etsi aliæ naves feliciter transmigrarent. Nauta orans cælitùs monitus fuit, ob hujus mulieris peccata, hoc prodigium datum; quam in sclapham hortatus descendere; statim ac in illam ingressa est mulier ipsa; & sclapham, ac mulierem mare in profundum absorbuit. Quinta est, quam ex Cantipratano refert Bagatta *tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. de quodam conjuge adultero, cujus facies in formam horribilis Dæmonis cum cornibus mutata
20 est, itaut omnes non solùm homines, sed & jumenta, ac pecudes illum intuentes in fugam præ horrore se præcipites darent. Hæc passus est adulter ille nonnullis diebus in pœnam adulterii. Subdit autem Bagatta *ibid. Peccatum suum ubi cum mira contritione, & lacrymis est confessus, larvalis illa confusio detecta est, & propriam faciem cum sua integrietate recepit.* Sexta pariter ponitur ab eodem Bagatta *d. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. ex Joanne Eusebio Nierimbergo his verbis: *Legimus in Societatis Jesu Litteris annuis, quendam ex adulterio perpetrato tantam oris totius deformitatem retulisse, ut refugeretur à familiaribus, & uxore, domoque ab iis arceretur: quod ille prudenter flagitio tribuens, peccatum suum confessus, illicò evasit in alterum, & decenti splendore, ac elegantia formosus rei conscios stupefecit.* Septima continetur in Chronicis S. Dominici, & ex eis desumpta transcribitur à P. Paulo Segnerio *in Christ. Instruct.*
21 *part.* 3. *serm.* 26. *num.* 20. de quodam adultero, cujus Uxor innocens in visione vidit lectulum igneum paratum in inferno pro eodem suo marito, qui ab ipsa admonitus, & ab eodem Sancto Dominico adjutus pœnitentiam egit. Non equidem effugient adulteri impœnitentes iram Domini, contra quos ipse minatur dicens: *Saturavi eos, & mœchati sunt. Unusquisque ad Uxorem proximi sui inhiebat: numquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente tali non ulciscetur Anima mea? Jerem.* 5. 7. Plura, digna scitu, disserit idem P. Segnerius *d. part.* 3. *serm.* 26. contra magnitudinem hujus Criminis adulterii, ibi à Studiosis legenda; ubi concludit cum Apostoli tremendis verbis: 1. *Cor.* 6. 9. *Nolite errare: Adulteri Regnum Dei non possidebunt.*

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

Tractat hæc Decisio de Impedimento *Disparitatis Cultus*, **Matrimonium dirimente. Demonstrat Juribus, Rationibus, Historiis, ac Exemplis, illud provenire non à Jure Naturali, non à Jure Divino, non à Jure Ecclesiastico scripto; sed à Consuetudine per Ecclesiam approbata. Docet, Matrimonia inter Catholicos, & Acatholicos esse quidem illicita, sed tamen valida. Leonardi Lessii eximii Theologi Soc. Jesu monita Spiritualia septem; & ejus mortis tempus.**

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Matrimonia iniri à fidelibus cum infidelibus illicitum.*
2 *Ea quoque si fiant, sunt irrita, ac invalida.*
3 *Catechumena nulliter nubit baptizato.*
4 *Jus naturale an irritet Matrimonium fidelis cum infideli? Quòd sic? rationes quinque.*
5 *Quòd non? rationes, ac exempla.*
6 *Rationum contrariarum resolutio.*
7 *Impedimentum disparis cultus an procedat à Jure Divino?*
8 *Esdræ impugnatio Matrimoniorum cum mulieribus paganis.* & num. 13.
9 *Mulierum paganarum Viris Catholicis nuptarum exempla.*
10 *Mulierum Catholicarum, quæ nupserunt Viris paganis, exempla.*
11 *Hebræi illicitè, non invalidè contrahebant Matrimonium cum alienigenis.*
12 *Mulieres alienigenæ, si fiebant proselytæ, licitè nubebant Hebræis.*
13 *Esdræ factum circa conjugia Hebræorum declaratum.*
14 *D. Pauli* 2. Cor. 6. 14. *verba explicata.*
15 *Disparcultus an dirimat Matrimonium Jure Ecclesiastico?*
16 Cap. Judæi 28. quæst. 1. *declaratum.*
17 *Consuetudo introduxit Impedimentum dirimens disparis Cultus.*
18 *Hæretici Matrimonium cum Catholica, & è contra, an validum?* & num. 20.
19 *Consuetudo potest abolere Impedimenta dirimentia.*
21 *Catholica validè nubit Hæretico.*
22 Can. 72. *Synodi Trullanæ* 6. *proscriptio.*
33 *Indi, ac Japones an afficiantur Impedimento disparis cultus dirimente?*
24 *Leonardi Lessii monita septem spiritualia; ejusque mortis tempus.*

SEquitur exponendum Impedimentum dirimens, quod communi vocabulo nuncupatur *Disparitatis Cultus*; cujus occasione duo tractant Theologi; Unum videlicet An sit irritum ipso Jure Matrimonium contractum inter Baptizatum, & non baptizatum, idest à Christiano cum Judæa, vel Pagana; aut è converso, à Judæo, vel Pagano cum Christiana? Alterum, an subjaceat eidem nullitati Conjugium fidelis cum Heretico, seu Apostata à Fide; & è converso? Et de his duobus breviter in præsenti Decisione est agendum, ac pro utriusque explicatione, quatuor sunt examinanda.

1. An hoc Impedimentum Disparitatis Cultus sit introductum à Jure naturali?
2. Vel potius à Jure Divino positivo?
3. Sivè à Jure Ecclesiastico? ubi? & quando?
4. An Catholica mulier validè nubat Hæretico, seu Apostatæ? & è contra?

Quo ad Primum. Præmittere oportet, quòd Matrimonium fidelis baptizati cum infideli non baptizato est prorsùs illicitum tam jure naturali, quàm jure Divino; itaut circumscripta prohibitione Ecclesiæ, & irritatione conjugii, ab hoc impedimento dirimente *Disparitatis Cultus* causata, peccent mortaliter fideles cum infidelibus contrahentes, nisi ob magnam, ac publicam causam, & cum dispensatione Summi Pontificis id agerent; tum ob periculum perversionis à fide, cui se exponerent baptizati sic nubentes; tum propter damnum prolis, ad cujus bonam, & rectam educationem in obsequio Dei Matrimonium ordinatur; siquidem difficulter possunt filii vel Patris, vel Matris infidelis in vera fide instrui, & educari, ut differunt Salmanticenses, alios DD. allegantes *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 12. *à num.* 66. *& seqq.* Ulteriùs est præmittendum, quòd hujusmodi conjugia fidelium cum infidelibus, ac baptizati cum non baptizato, non solùm sunt illicita; sed etiam ipso Jure nulla, ac invalida; ut probat S. Thomas *in* 4. *dist.* 39. *quæst. Unic. art.* 1. *& in Addit.* 3. *part. quæst.* 59. *art.* 1. quem universi Theologi, ac Canonistæ sequuntur, illosque refert longa serie Sanchez *de Matrim. libr.* 7. *disp.* 71. *num.* 2. subdens, hanc irritationem intrare etiamsi mulier baptizata nuberet Catechumeno juxta *text. in cap. Cave* 28. *quæst.* 1. ubi dicitur: *Si Christiana sit non est satis; nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis:* quo loco Glossa *d. Verb. Christiana* explicat, *idest Catechizata.* Quærunt igitur DD. an hoc impedimentum dirimens *Disparitatis Cultus* irritet Matrimonium initum inter fidelem, ac infidelem de Jure naturali? Nonnulli DD. affirmant; *Primò*, quia id, quod repugnat fini ipsius Matrimonii censetur vetitum, ac prohibitum in Jure naturali, à quo ordinatum est ipsum Matrimonium. Sed finis Matrimonii non solùm est prolis generatio; sed ejus bona educatio; quæ fieri non potest, quando unus ex genitoribus sit fidelis, alter verò infidelis; ab isto enim contra Deum filii instruentur, & erroribus imbuti pessimè educabuntur. Ergo Jus naturale instituit, ne fidelis nubat infideli: *Secundò*, quia de Jure naturali est, ut conjuges adinvicem se diligant, honorent, ac mutuo prosequantur affectu. Sed hoc obtineri non potest inter eos, quorum dispar est Religio; potiùs enim prorumpent in odia, injurias, ac contentiones. Ergo ab eodem Jure procedit hoc impedimentum dirimens disparis cultus. *Tertiò*, quia sicut Juris naturalis est abstinere ab occasionibus, ac periculis peccandi, sic ab eodem Jure procedere debent remedia ad præcavenda ipsa pericula. Sed impedimentum hoc dirimens disparitatis cultus tendit ad evitandas occasiones, ac pericula peccandi. Ergo à Jure naturali procedit. *Quartò* illius Juris debet esse irritare Matrimonium, ne validè fiat, cujus est illud dissolvere, si antea etiam validè fuisset factum. Sed jus naturale dissolvit Matrimonium valide initum inter infideles, si unus eorum convertatur ad fidem, & oriatur inter eos disparitas cultus, juxta verba illa Apostoli 1. *ad Cor.* 7. *Quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*; quod latè demonstravimus supra *Decis. XI.* & ha-

& habetur *in cap. Quanto. & in cap. Gaudemus. De Divort.* Ergo ad idem Jus naturale spectat hoc impedimentum dirimens Disparitatis Cultus statuere ; ne fidelis nubat infideli, sub pœna nullitatis Matrimonii. *Quintò*, quod operatur Jus Divinum in irritando Matrimonio ratione Sacramenti, operatur Jus naturale in eadem irritatione ratione contractus ; siquidem Matrimonium est unum, & idem quo ad contractum, & quo ad Sacramentum. Ergo sicut jus Divinum irritat Matrimonium tanquam Sacramentum inter fidelem, & infidelem, quia iste non est capax Sacramenti, cùm non sit baptizatus ; ita Jus naturale irritat Conjugium tanquam contractum inter eosdem fidelem, & infidelem.

His tamen, & similibus minimè obstantibus, vera est opinio negativa, quæ tenet, hujusmodi impedimentum Disparitatis Cultus non esse 5 introductum à Jure naturali, neque ab eo provenire. *Primò*, quia Disparitas Cultus nullam incompossibilitatem habet de Jure naturali in Matrimonio fidelis cum infideli : siquidem Matrimonium institutum est ad propagationem prolis, ad ejusdem educationem, & ad mutua inter conjuges obsequia. Sed hæc possunt exerceri etiamsi inter eos dispar sit cultus ; ut est manifestum ex exemplis infra adducendis. Ergo hoc impedimentum non est de Jure naturæ. *Secundò*, quia si à Jure naturali esset hoc impedimentum dirimens, sequeretur, quòd uno conjuge infideli converso ad fidem, statim esset solutum vinculum Matrimonii illius. Sed hoc non est verum ; quia si vult infidelis habitare cum fideli sine injuria Creatoris, id potest, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 7. *Si quis frater Uxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* quia scilicet remanet validum Matrimonium inter eos ; aliàs viverent in fornicatione. Ergo non procedit hæc irritatio à Jure naturali. *Tertiò*, quia tempore Legis naturæ homines sancti, ac timorati conjugia faciebant etiam cum mulieribus disparis cultus ; nam Jacob duxit in Uxorem duas filias Labani, ut habetur *Genes.* 29. quæ quidem, sicut pater earum, erant idolatræ ; nam portaverunt secum idola, cùm Jacob reverteretur cum Uxoribus in patriam suam *Genes.* 31 32. Joseph ejus filius cùm esset Prorex Ægypti accepit in Uxorem *Asenethem* filiam Putifaris Sacerdotis Heliopoleos, utique Idololatram, & Gentilem, prout erat pater ejus. *Genes.* 41. 45. Ipse quoque Moyses cum esset adolescens in Ægypto, & antequam ei Deus daret Legem in Monte Sinai, videlicet adhuc Lege naturali durante, accepit Sephoram filiam *Raguelis*, alio nomine *Jethro* Sacerdotis Madianitæ in Uxorem, *Exod.* 2. 21. utique Idololatram, ac Gentilem ; idcircò recusaverat circumcidere puerum, quem ex Moyse genuerat ; cui post non breve tempus eandem circumcisionem filii exigenti dixit : *Sponsus sanguinum tu mihi es. Exod.* 4. 25. Quo loci ait Cornelius à Lapide : *Quæres, cur Moyses Vir sanctus, secundùm Legem, filium suum non circumcidit ? Respondent Rupertus, & Hugo de S. Victore, eò quod Jethro Socer, & Sephora Uxor, utpotè gentiles, & Madianitæ, non permitterent puerum dolore, & vulnere affici.* Igitur Jus naturale, dum homines viverent sub Lege Naturæ, hoc impedimentum dirimens non induxerat, nec postea induxit. Quare hac retenta opinione ; ad rationes contrarias respondetur ad 1. Quòd dispar cultus non obstat absolutè bonæ educationi prolis ; aliàs sequeretur, quòd Matrimonium esset invalidum inter Catholicam, & Hæreticum, 6 inter quos est eadem difficultas bene educandi filios ; & tamen non est irritum, ut infra ostendemus. Ad 2. quòd idem procedit circa mutuam dilectionem inter ipsos conjuges, qui de Religione inter se non disputant, sed maritalem affectum custodiunt. Ad 3. quòd obligatio fugiendi pericula peccandi procedit quidem à principiis Juris naturalis, sed non est tantæ energiæ, ut irritet conjugium inter personas diversi cultus. Ad 4. quòd dissolutio Matrimonii, ob conversionem conjugis infidelis ad fidem, procedit non ex Jure naturali immediato, sed ex privilegio divino, ac dispensatione relicta à Christo Domino in favorem Fidei, ut probatum est supra *in cit. Decis. XI.* Ad 5. non currere paritatem de contractu ad Sacramentum ; quia etsi Sacramentum non subsistat, ubi nullus est contractus Matrimonii ; attamen in pluribus casibus contractus subsistit, etsi Sacramentum deficiat, ut fusè disputavimus, & docuimus supra *Decis. IV.* Quare rejecta prima opinione ; hanc secundam, quæ negat hoc impedimentum dirimens disparitas cultus inventum esse à Jure naturali amplectuntur, ac tuentur Theologi, & Canonistæ, quos citat, & sequitur Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 71. *num.* 7. Lessius in 3. *p. D. Thom. cap.* 11. *de Matrim. num.* 180. Aversa *q.* 18. *sect.* 1. *col.* 2. Basilius Pontius *de Matrim. libr.* 7. *cap.* 47. *num.* 2. Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 12. *num.* 70. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 502. & novissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Matrim. disp.* 32. *à num.* 20. *& seqq.*

Quo ad Secundum : in quo petitur, an prædictum impedimentum disparitatis cultus procedat à Jure Divino positivo ? Et videtur dicendum quòd sic ; primò, quia *in Deuter.* 7. 1. sic Deus præcepit populo suo : *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris &c. Non inibis cum eis* (7 idest idololatris) *fœdus, nec miserebéris earum ; neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus ; nec filiam illius accipies filio tuo : quia seducet filium tuum, ne sequatur me ; & ut magis serviat Diis alienis.* Et quoniam aliquis posset dicere, præceptum hoc Divinum fuisse prohibitivum ; non etiam irritans conjugiorum, quæ ab Hebræis inirentur cum fœminis gentilibus, & idololatris ; contrarium deducitur ex facto Eldræ, qui reversus in Jerusalem ex Babylonica captivitate, restauraturus Templum, ac reformaturus mores populi ; scandalaque, & peccata, quæ invaluerant, ablaturus ; inter cætera ipse redarguit populum. 1. *Esdr.* 10. 10. dicens : *Vos transgressi estis, & duxistis Uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum ejus, & separamini à populis terræ, & ab Uxoribus alienigenis. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna : Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat.* Et subindè deputati fuerunt Judices, qui exequerentur tale præceptum ; & dimissæ fuerunt Uxores alienigenæ à populo Hebræo. Ergo Matrimonia Hebræorum cum mulieribus idolola-

idololatris erant irrita, & invalida à principio ob impedimentum disparis cultus dirimens, quod procedebat ex Jure Divino positivo scripto in *libr. Deuteron. cap.* 7. supra recensito. Ulteriùs, id videtur expressè innuere Apostolus 2. *Cor.* 6. dicens : *Nolite jugum ducere cum infidelibus ;* quæ verba ab interpretibus explicantur de Matrimonio, quod invalidè contrahitur contra jus Divinum à fidele cum infideli ; & ideò sic opinati sunt ac scripserunt Catharinus *libr.* 5. *contra Cajetan. cap. De Matrim.* Viguerius *libr. de Instit. cap.* 16. §. 7. *Vers.* 9. *Imped.* 10. Paulus Grillandus & alii apud Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 71. *num.* 6. *in fin.*

Cæterùm his non obstantibus ; communis, ac vera omnium Scribentium Sententia est, (quam omnes antiqui ac moderni Theologi, ac Canonistæ amplectuntur) nequaquam impedimentum disparis cultus, de quo agimus, emanasse à Jure Divino positivo ; & ad hanc doctrinam comprobandam satis est allegare exempla à piis viris, ac sanctis mulieribus sumpta; 9 à quibus tum tempore Legis Mosaicæ, tum Legis Evangelicæ fuerunt inita Matrimonia cum personis disparis cultus ; quæ non fuissent per eosdem attentata, neque per Ecclesiam permissa, si illud impedimentum disparis Religionis dirimens processisset à Jure Divino. *Primò*, Mosaycæ Legis tempore, Salmon filius Naassonis, inter Hebræos pietate, obsequio, ac fide præcipuus, ut eum vocat Tirinus *Jos.* 2. 1. duxit in Uxorem *Rahab* meretricem, paganam, ac idololatram, quæ in urbe Jericho Exploratores in sua domo receptos, à morte præservaverat ; quam S. Matthæus expressè nominat in genealogia Salvatoris dicens : *Salmon autem genuit Booz de Rahab. Matth.* 1. 5. Ergo de Jure Divino non erat prohibitum sub pœna nullitatis Matrimonium inter fidelem, ac infidelem. *Secundò :* Booz ejusdem Salmonis filius sibi copulavit Uxorem *Ruth* mulierem Mohabitidem gentilem, ac paganam, ut legitur *Ruth.* 4. 13. de qua pariter in Evangelio *S. Matth.* 1. 6. *Booz autem genuit Obed ex Ruth. Tertiò*, simili modo Sampson conjugium fecit cum Dalila fœmina Philisthina, utique pagana, ut in *libr. Judic.* 16. 1. *Quartò*, ipsemet Rex David inter alias Uxores, quas sibi desponsavit, assumpsit sibi *Macham* filiam Thomai Regis Gessur è genere Chananæorum ; disparis utique Religionis, de qua natus est ei filius Absalom, ut testatur Textus Sacer 2. *Reg.* 3. 3. Quomodo Rex David contrahere potuisset conjugium contra præceptum Divinum, & cum impedimento dirimente ; si verè hoc impedimentum de Jure Divino tunc extitisset ? *Quintò*, Salomon quoque Rex, ac filius David Sapientissimus, *Affinitate conjunctus est Pharaoni Regi Ægypti ; accepit namque filiam ejus, & adduxit in Civitatem David,* ut legitur 3. *Reg.* 3. 1. & nihilominùs tunc erat gratissimus Deo ; subdit enim ibi Scriptura *Vers.* 5. *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis, ut dem tibi.* Sed ulterius idem Salomon copulavit sibi plures alias disparis cultus uxores, *Mohabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sydonias, & Hethæas*, ut considerat Scotus *in* 4. *dist.* 39. *q. Unic. in princ.* Ergo tunc non extabat impedimentum dirimens disparitatis cultus. *Sextò*, etiam *Esther* Virgo Hebræa nupsit Assuero Regi Persarum, atque Medorum, utique Ethnico, ac pagano ; de quo *Esth.* 2. 17.

In Lege autem Evangelica, primis Ecclesiæ Sæculis Virgines Christianæ passim desponsabantur Viris idololatris, ut scribunt S. Hieronymus *libr.* 1. *contra Jovinian.* & S. Augustinus *libr. de fide, & operib. cap.* 19. habenturque exempla plurima in Vitis Sanctorum. Nam 1. S. Cæciliæ Virgini, ac Martyri ejus parentes dederant in maritum Valerianum, qui baptizatus non erat, ut ex lectionibus secundi nocturni in Officio ejusdem Sanctæ *die* 22. *Novembris* legitur. 2. Paganus erat Sponsus S. Luciæ Virginis, & Martyris, qui eam apud Paschasium Præfectum, quòd Christiana esset, accusavit. *Lect.* 5. *Offic. die* 13. *Decembr.* 3. Clotildis prudentissima, ac Sanctissima Principissa nupsit Clodoveo Francorum Regi adhuc Ethnico, ac pagano, *Anno Domini* 494. ubi *num.* 5. sic scribit Spondanus : *Hoc ipso Anno, qui numeratur decimus Clodovei regnantis in Gallia, idem Rex adhuc paganus existens, uxorem duxit Crotildem, sive Clotildem, Christianam fœminam, filiam fratris Gundebaldi Regis Burgundionum.* 4. S. Monica Mater Divi Augustini, quando cum ejusdem genitore Matrimonium contraxit ; ipse ejus Vir erat paganus, ut testatur idem Sanctus *libr.* 9. *Confess. cap.* 9. & refertur à Sanchezio *d. lib.* 7. *disp.* 71. *num.* 7. 5. Ethnicus, ac Idololatra pariter erat Rex Eduinus in Anglia Aquilonari, quando ad illum ducta fuit in Uxorem Edelburga Christiana, filia Edelberti Cantuariorum Regis, & ejusdem jussu associata à S. Paulino Monacho Romano, S. Gregorii Papæ discipulo, ac Nordanumbrorum creato Episcopo, ut legitur in Officio ejusdem S. Paulini *Episcop. & Confess. die* 10. *Octobr.* qui obiit *Anno* 654. 6. Consimile habetur exemplum de genitoribus S. Wenceslai Martyris, in cujus Officio *die* 28. *Septembris* Lectio IV. sic loquitur : *Vvenceslaus Bohemiæ Dux, Uratislao patre Christiano, Drahomira matre gentili natus.* 7. Saracenis jam à sæculis circiter septem Hispanias occupantibus, inter eosdem, ac Christi fideles, ibi habitantes, fiebant frequenter conjugia teste Eminentiss. Cardin. Baronio *in Annal. ad Annum Christi* 1010. *tom.* 11. quem refert novissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 32. *num.* 38. subdens, *Et licet improbetur factum, tamen nullus dicit. ea Matrimonia fuisse irrita ;* concludens, esse evidentissimum argumentum ex omnibus suprarelatis exemplis, impedimentum dirimens Matrimonium, ob cultus disparitatem, non esse inductum à Jure Divino positivo, prout unanimiter tenent, ac docent Scotus *in* 4. *Sent. dist.* 39. *d. q. Unic. & ibid.* S. Thomas, ac S. Bonaventura *q.* 1. aliique Theologi, ac Canonistæ, quos innumeros citat, & sequitur Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 71. *num.* 7. Basilius Pontius *libr.* 7. *cap.* 47. *num.* 2. Aversa *d. q.* 18. *sect.* 1. *col.* 2. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 502. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 32. *num.* 24. & *num.* 35. nec non Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 12. *num.* 70. & Lessius *supr. num.* 181.

Restat, ut evacuentur fundamenta in contrarium adducta; pro quorum resolutione, ultra id, quod circa Legem Deuteronomii *cap. 7. Vers. 3.* tetigimus supra, idest per eam fuisse illicita Matrimonia hebræorum cum mulieribus disparis cultus, non autem irrita; magis propriè respondet Cornelius à Lapide ita scribens *ibid. Nota: tantùm vetatur hic ne misceant connubia cum Chananeis, quandiù maneant Idololatræ. Nam si convertantur, & ad populum Dei aggregentur, jam Judæi sunt, non Chananei; itaque cum iis conjugium inire fas est. Cessat enim tunc ratio Legis, quæ datur Vers. 4. quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis. Sic Salomon duxit Rahab Jericuntinam, quæ receperat exploratores missos à Josue. Matth. 1. 5. nam Rahab facta est proselyta, & Sacra Judaica suscepit.* Igitur prohibitum fuit hebræis inire conjugia cum mulieribus Chananeis non semper, ac in perpetuum, sed donec, & quousque essent idololatræ, & recusarent, se ad verum Deum convertere; 11 12 quæ prohibitio extendebatur ad omnes fœminas cujuscunque nationis, ac regionis, quæ in falsa religione vellent persistere; ut ex Philone, ac Josepho advertit Tirinus *Comment. in Exod. cap. 34. Vers. 15.* ubi subdit: *Hæc tamen intellige, ita fuisse vetita, si Uxores in patria superstitione permanere vellent: Nam si ad Judaicam Religionem transire cuperent, licitum erat, tum alterius cujuslibet gentis, tum etiam Chananeas ducere; sic enim cessabat ratio Legis. Et Deuter. 21. 11. permittitur expresse hebræis, ut captis in bello mulieribus, unam ducant Uxorem.*

Ex his patet responsio ad factum Esdræ, qui jussit omni populo dimittere Uxores, quas ex gentibus alienigenis, ac idololatris sibi copulaverant: nam id videtur prima fronte impossi- 13 bile tum de Jure, quia si Matrimonia illa erant tantùm illicita, non autem irrita; quomodo solvi poterant; tum de facto, ob multitudinem Uxorum alienigenarum, quæ tunc erant apud Judæos? Respondetur enim ad dubium Juris, quòd apud eos licitum erat, ac frequens dare libellum repudii, ut nos docuimus supra *Decis. IX.* undè poterant per illud conjugia, quamvis valida, dissolvere. Ad dubium facti dicitur, quod est probabile, facta publicatione Edicti de mandato Esdræ, ac Judicum deputatorum de dimittendis uxoribus idololatris, paucissimas ex ipsis voluisse remanere in falsa religione, sed eas ferè omnes conversas esse ad veram fidem, & abjurata ethnica superstitione promisisse verum Deum colere; sicque illas non fuisse de facto dimissas à conjugibus, sed retentas tanquam proselytas, ac conversas ad Deum, prout Lex Mosayca concedebat. Notet Studiosus Lector verba doctissimi Saliani *ad Annum Mundi 3593. num. 27.* ubi differens de illo difficillimo Esdræ præcepto, ait: *Duo fuerunt, quæ difficultatem rei minuebant: primum, usitata apud eam gentem repudia: alterum, quòd fortasse licuit retinere alienigenas, si ad veri Dei cultum se traduci paterentur. Quidni enim hoc in istis mulieribus, sicut in captis bello liceret? juxta ea, quæ in Deuteronomio traduntur.*

Respondetur autem ad verba D. Pauli *2. Cor. 6. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus*, esse hortatoria, & ad summum præceptiva, quæ faciebant Matrimonia fidelium cum infidelibus 14 illicita ob periculum perversionis à fide; non autem irrita, & nulla; idcircò ad d. locum ita commentatur Cornelius à Lapide *Nota: Durum erat Corinthiis in tanta paucitate Christianorum arctari ad commercia, & conjugia cum fidelibus ineunda. Multi enim inter eos sibi nec genere, nec opibus, nec statu; nec aliis dotibus pares inveniebant; itaque vel conjugio eis abstinendum erat, aut ducenda conjux nobilitate, gradu, & divitiis impar, & inferior. Rursum Jure naturæ, & Divino eis, aliisque fidelibus simpliciter, & absolutè prohibitum non erat ducere infidelem conjugem: erat tamen id indecens, & periculosum, ideòque ab Apostolo hic prohibetur.* Igitur Apostolus monuit Corinthios, ut abstinerent ab ineundis conjugiis cum infidelibus, non quia si inirent, essent irrita, ac invalida; sed quia indecentia, ac periculosa, ut bene demonstrat etiam Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 32. num. 32.* siquidem tale impedimentum dirimens ob disparitatem cultus non est inductum à Jure Divino.

Quo ad Tertium: in quo petitur, *An prædictum Impedimentum ordinatum sit à Jure Ecclesiastico? ubi? & quando?* Omnes Theologi, ac Canonistæ concordi opinione respondent, Disparis cultus Impedimentum dirimens proveni- 15 re à Jure Ecclesiastico, & ab Ecclesia esse statutum. Ita S. Thomas, Scotus, S. Bonaventura, & alii antiqui in *4. Sent. dist. 39.* Sotus *ibid. q. Unic. art. 2.* & alii plurimi congesti à Sanchez *d. libr. 7. disp. 71. num. 7.* Eminentiss. Cardin. Bellarminus *de Matrim. libr. 1. cap. 23. concluf. 3.* Mastrius *d. disp. 7. num. 502.* Aversa *d. quæst. 18. sect. 1. vers. Communis tamen.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 73.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 32. num. 39.* qui tamen omnes fatentur nullibi reperiri Canonem, vel decretum Ecclesiæ expresse irritans Matrimonia inita inter baptizatos, ac infideles; quia in Jure Canonico sunt quidem prohibita conjugia fidelium cum infidelibus, ita tamen, ut ex prohibitione censeantur illicita, non autem irrita, seu invalida. Idcircò primum Decretum quod adduci potest pro hoc impedimento disparis cultus est illud Concilii Niceni I. celebrati *Anno 323.* in quo *can. 67.* dicitur: *Quæcunque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque ex Ecclesia ejiciatur.* Et subindè *in can. 69.* replicatur: *Si quis fidelis filiam, aut sororem non conscium, neque præsentem dederit nuptum non credenti, prohibeatur communione fidelium. Ipsa verò, quæ data est in Matrimonium, non est prohibenda*: Itaque puniuntur, qui sic nubent, sed nuptiæ non irritantur. Secundum Decretum est illud Concilii generalis Chalcedonensis habiti tempore S. Leonis Papæ, præsente Martiano Augusto *Anno Domini 451.* in cujus *can. 14.* ita fuit statutum: *Neque copulari debet nuptura hæretico, aut judæo, vel pagano; nisi fortè promittat, ad ortodoxam fidem se per personæ orthodoxæ copulam transferre. Si quis hanc diffinitionem Sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit.* In quo canone, ut considerat Lessius *d. cap. 11. de Matrim. num. 182.* atque Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 32. num. 41.* nihil prorsùs habetur de irritatione

tatione Matrimonii, imò eodem penitùs modo decernitur de infideli, ac de hæretico; & tamen cum hoc non est irritum, ut mox demonstrabimus; idemque resultat ex Conciliis Toletan. 3. *cap.* 14. Aurelian. 2. *cap.* 19. Arvernen. *cap.* 6. & Roman. *sub Zacharia Papa*; in quibus omnibus prohibentur Matrimonia fidelium cum infidelibus sub pœna excommunicationis; sed nullum verbum de irritatione.

Posset quis urgere ex Concilio Toletano 4. *cap.* 61. (& refertur *in cap. Judæi.* 28. *q.* 1.)
16 ubi sic habet: *Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo Civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur, quòd si admoniti noluerint, separentur.* Sed, ut bene subdit Emin. Card. de Lauræa ubi *supr. num.* 43. neque ex hoc colligitur intentum, nam non loquitur de separatione vinculi, sed thori tantùm, imò ex eo habetur oppositum: si enim Judæus efficiatur Christianus, perseverat in conjugio; ergo erat verum conjugium, quia non requiritur novus consensus, seu contractus, qui idcircò validus erat ante conversionem.

Quapropter cùm prædicti Canones, & alii consimiles, qui leguntur *in d.* 28. *q.* 1. loquantur de prohibitione, non etiam de irritatione Matrimoniorum inter personas disparis cultus initorum, hanc provenire ex Ecclesiæ consuetudine, universaliter approbata, omnes DD. asseverant; ut subdit idem Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 32. *num.* 46. his verbis: *Consuetudo*
17 *Ecclesiæ Romanæ habet vim Legis. & ideò semper servanda ex Innocentio I. Epist.* 1. *cap.* 19. *& dist.* 11. *cap. Nolite. cap. Quis nesciat. dist.* 12. *cap. Non decet cum similib. Hæc autem est ejus consuetudo, & praxis, ut irritet Matrimonia fidelis cum infideli: estque antiqua, non admittens contrarium*: Undè ex consuetudine inductum, ac firmatum est hoc dirimens impedimentum disparitatis cultus ex communi Theologorum, ac Canonistarum assertione, allegatorum per ipsum Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 71. *num.* 8. quibus consentiunt Lessius *d. cap.* 11. *num.* 183. Ledesma, Aversa, Candidus, Bonacina, & alii, quos citant, ac sequuntur Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 12. *num.* 73. ex quibus confirmatur doctrina, quam posuimus pro inconcussa in *Decis. XVIII. num.* 20. videlicet consuetudinem legitimè præscriptam habere vim introducendi impedimenta dirimentia Matrimonium.

Quo ad Quartum: in quo requiritur, *An Catholica mulier validè nubat Hæretico, seu Apostatæ? & è contra?* Respondetur, circa hoc Quæsitum tres reperiri sententias. Prima negat, mulierem Catholicam validè nubere Hæretico, seu
18 Apostatæ. Ita Glossa *in cap. fin. de Condit. appos.*, *Verb. Contra substantiam*: ubi sic loquitur: *Est & alia conditio honesta, quæ est de substantia Matrimonii, ut cùm Christianus dicat Judææ, vel hæreticæ, contrabo tecum, si vis fieri Christiana; sine ista non teneret Matrimonium.* Huic Glossæ adhæsit Hostiensis *in cap.* 2. *de Conjug. Servor.* & Simanca *de Catholic. Instit. tit* 40. *n.* 46 Sed ejusdem Glossæ dictum reprobatur *ibidem* ab alia Glossa marginali, quæ advertit, esse differentiam inter judæam, atque hæreticam; quia contra illam est impedimentum disparis cultus diri-

mens: non etiam contra istam. Secunda Sententia docet, aliquando extitisse inter Catholicos, & hæreticos hoc impedimentum dirimens, sed successu temporum, per contrarium usum fuisse abolitum. Ita Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 47. *num.* 11. Tertia Sententia, quæ com- 19
munis est inter Theologos, ac Canonistas, absolutè docet, validum esse Matrimonium inter Catholicum, ac Hæreticam, seu Apostatam, & è contra inter mulierem Catholicam cum Viro hæretico, seu Apostata; etsi illicitè simul contrahant, & cum culpa gravi. Ita innumeri DD. quos citat, & nominat Sanchez *d. libr.* 7. *disp.*
72. *num.* 2. Aversa *quæst.* 18. *sect.* 2. Lessius *d.* 20
cap. 11. *num.* 184. Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 75. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 505. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 32. *art.* 3. ubi *num.* 52. *& seqq.* probat, conjugia inter prædictos esse illicita, tum ob periculum malæ educationis prolis, tum ob censuras, quibus per Sacros Canones plectuntur iidem contrahentes, ut *in cap. Cave. & cap. Non Oportet.* 28. *q.* 1. Et ex *Constitut.* 42. *Incipien. Cum sicut.* Clementis Papæ VIII. ac aliis Conciliaribus Decretis.

Quòd autem inter Catholicum, & Hæreticam, seu è contra, si contrahatur Matrimonium, non sit irritum, probatur. 1. Quia nullo Jure reperitur statutum hoc impedimentum dirimens inter eosdem. 2. Quia sic docet Glossa *in d. cap. Non oportet.* 28. *q.* 1. *in Verb. Hæreticis*, dicens: 21
Hæreticus non potest contrahere Matrimonium cum Christiana; dicit tamen Hugo, quòd si contrahit, tenet Matrimonium, sicut si contraheret cum excommunicato. 3. Quia Bonifacius VIII. *in cap. Decrevit. De Hæretic. in* 6. mandat, confiscari dotem mulieris Catholicæ scienter nubentis Viro hæretico, at non irritat ejus Matrimonium. 4. Quia Clemens VIII. in cit. Constitutione *Cum sicut.* §. 2. prohibet tantummodò, *Ut Itali abstineant à Matrimoniis cum Hæreticis mulieribus.* 5. Quia Urbanus VIII. *die* 14. *Martii* 1630. in Congregatione S. Officii coram Sanctitate sua habita, decrevit, *quoad Matrimonia jam inita tolerari posse Mulieres hæreticas, quæ maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quandiù fuerit aliqua spes conversionis; & nullum subversionis periculum; ita tamen, ut proles catholice educetur.* Ut refert Nicolius *Instit. Civil. libr.* 1. *tit.* 10. *num.* 42. Pignatellus *tom.* 4. *consult.* 139. & ejus Summator Abbas Pascuccius *tom.* 2. *Verb. Matrimonium. pag.* 22. Et 6. Quia Sacra Congregatio Propagandæ Fidei *Anno* 1638. *tom.* 52. *num.* 36. Censuit, *in terris Hæreticorum ubi hæreses impunè grassantur, maximè si ibi Catholicæ Fidei liber cultus non permittitur, Matrimonia cum ipsis hæreticis, per exhortationes potiùs, quàm per censuras prohibenda*; teste eodem Nicolio *d. n.* 42. Latè Gobatus *de Matrim. tract.* 9. *num.* 226. *& seqq.* ubi doctè demonstrat, non extare hoc impedimentum dirimens inter Catholicos, & Acatholicos respectu disparis religionis; etsi contingere possit, ut ob aliquas conditiones, essentiæ Matrimonii tanquàm contractus repugnantes, possit inter eosdem invalidè iniri.

Sed objiciet aliquis: In sexta Synodo Generali habita *Anno* 692. statutum fuit in *can.* 72. *Non licere, Virum orthodoxum cum muliere hæretica,*

hæretica, neque orthodoxam cum viro hæretico co-dulari. Si quid hujusmodi ab ullo ex omnibus fa-
22 *ctum apparuerit, irritas Nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.* Ergo tunc statutum fuit Impedimentum dirimens Matrimonium initum inter Catholicos, & Acatholicos. Respondet Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 32. num. 64.* Canonem illum nullius esse auctoritatis, & subdit; *Ratio est, quia ut habetur ex tom. 3. Conciliorum fol. 141. illud Concilium congregatum fuit Constantinopoli Anno 692. in Palatio, quod dicitur Trullum, absque legitima convocatione, & condidit Canones 102. inter quos multi præjudiciales Universitati Ecclesiæ, & præsertim Latinæ; & nunquam fuit à Sede Apostolica confirmatum: Igitur ex eo nequit deduci Decretum invalidans Matrimonia.* Et ne quis dicat, ita locutum Cardinalem ex affectu in Ecclesiam Romanam, cujus primaria fruebatur dignitate; notentur verba Salmanticensium in Hispania commorantium, qui *d. tract. 9. cap. 12. num. 75.* de eodem Decreto Trullani Concilii ita loquuntur: *Respondetur, illum Canonem esse ex illis, qui Trullani dicuntur, qui post dissolutam Synodum statuti sunt ab aliquibus Episcopis, & sic nullam habere auctoritatem.* At id plenius demonstrat Cabasutius *in Notitia Concilior.* agens de ejusdem Trullani conventus Decretis.

Corollarii loco liceat ad Complementum disparis religionis Impedimenti irritantis, tanquàm à consuetudine in Ecclesia recepti, ponere hic verba Dianæ, quæ habentur in *part. 6. tract. 6.*
23 *resol. 39.* & nunc reposita conspiciuntur in Coordinati ejus operis *tom. 6. tract. 1. resol. 13.* sub §. 2. videlicet: *Et ideò conformiter ad dicta graves aliquot Theologi, è quorum numero fuit Lessius, in consultatione Romæ habita, censuerunt, disparitatem cultus apud Chinenses, & Japonios, his initiis conversionis, non esse impedimentum dirimens.* Ratio hujus dicti esse potuit, quòd eatenùs prædictum Impedimentum dirimit, quatenùs sit usu, & consuetudine receptum, cumque in novi illius Christiani Orbis partibus hæc consuetudo tunc non esset legitimè firmata, ac præscripta; ex ea nondum erat idem impedimentum statutum. Leonardi Lessii excellentem doctrinam probant opera multiplicia, quæ in *Bibliotheca Scriptor. Soc. Jesu*, recensentur *Litt. L. Verb. Leonard. Lessius*; cujus pietatis eximiæ ponitur testimonium his verbis de his, quæ sibi servanda quotidiè proposuerat. *I. Neminem vituperare. II. Ante*
24 *studium cor ad Deum elevare. III. Pro capiendo consilio orare. IV. In surgendo orationem*, Concede quæsumus, *usurpare. V. in rebus dubiis, ac perplexis ad luminis Divini fontem confugere. VI. Ubique impetum cohibere, & pacificè agere. VII. Modum in refectione servare, & memorem esse cœlestis voluptatis.* Doctissimus hic Theologus Leonardus Lessius, ac pissimus Societatis Jesu Sacerdos, obiit Lovanii *die 25. Januarii Anno salutis* 1623. ætatis suæ 69. Religionis 51. Sacerdotii 43. Professionis quatuor Votorum 33. ut in eadem Bibliotheca legitur adnotatum.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decisio, quidquid dici potest, aut sciri debet de Impedimento, Matrimonium dirimente, *Vis*, & *Metus*. Harum vocum Etymologia, definitione, ac divisione præmissis, explicatur, Quo Jure Metus gravis dirimat Matrimonium? & Quot conditiones requirantur, ut Metus dicatur gravis, cadens in constantem Virum? Resolvitur, An Metus reverentialis? An blanditiæ, & preces importunæ? An Metus incussus à causa naturali? vel ab homine ex justa causa illatus reddat Matrimonium nullum? Item Utrùm hoc revalidari possit Juramento? Vel copula carnali subsequente? In quibus omnibus per exempla ac DD. punctuales doctrinas tota Metus materia clarè, ac juridicè declaratur.

SUMMARIUM.

1 *Libertas consensus humani duplex. Et quæ?*
2 *Involuntarium dicitur, quod voluntate sit non ominò libera.*
3 *Vis, & Metus impediunt, ac dirimunt Matrimonium.*
4 *Vir, & Metus sunt correlativa.*
5 *Metus Etymologia quæ? & Vis?*
6 *Metus definitiones duæ.*
7 *Vis, & Metus quomodo differant inter se?*
8 *Metus divisio duplex.*
9 *Matrimonium Metu gravi contractum est ipso Jure nullum.*
10 *Sed an Jure Ecclesiastico tantùm? vel etiam Jure naturali Divino?*
11 *Infidelium Matrimonia per Vim, & Metum inita an sint nulla?*
12 *Rebecca, ut nubat Isaaco, requiritur, an velit?*
13 *Mortaliter peccant, qui Vim, & Metum inferunt in Matrimoniis, & quando incurrant in excommunicationem?*
14 *Utrùm etiam qui contrahunt illud ex Metu gravi?*
15 *Vim conjuge passo volente ratificare Matrimonium; an alter possit resilire?*
16 *Metus, ut sit gravis, requirit conditiones quinque. Et quæ sint?*
17 *Malorum exempla, quibus incutitur Metus gravis.*
18 *Mala sunt rationabiliter timenda, ut Metus sit gravis.*
19 *Metus ex minis à persona debili illatis non dicitur gravis.*
20 *Minas faciens an debeat esse solitus illas exequi?*
21 *Minas qui potest indemnis fugere, non patitur Metum gravem.*
22 *Metus levis in fœmina, & viro debili potest esse gravis.*
23 *Metus reverentialis in quibus personis dicatur esse?*

24 *Dupliciter considerari potest.*
25 *Metus reverentialis quando dirimat Matrimonium?*
26 *Fabella de Genitore, qui vim fecit filiabus, ut Moniales fierent.*
27 *Preces importunæ, aut blanditiæ an dirimant Matrimonium.*
28 *S. Dorotheæ, S. Bibianæ, ac S. Hermenegildi fortitudo.*
29 *Martyr nexibus ligatus quomodo blandicias, & oscula meretricis superarit?*
30 *Timor naufragii, vel mortalis infirmitatis an dirimat Matrimonium volitum ob illum metum?*
31 *Medicus negando suam Curam infirmo, an ei inferat Metum gravem?*
32 *Judex si justè Metum gravem inferat, hic Matrimonium non dirimit.*
33 *Damnatus ad mortem, ut eam evitet, si filiam Judicis in Uxorem ducat, an validè ducat?*
34 *Metus gravis à privatis personis justè illatus an dirimat Matrimonium?*
35 *Coactio eligendi ex pluribus filiabus unam an sit Impedimentum dirimens?*
36 *Juramentum an tollat Impedimentum Metus?*
37 *Copula carnalis an convalidet Matrimonium per Metum contractum?*
38 *Consummans Matrimonium invalidè initum, an peccet?*
39 *Matrimonium invalidum revalidari non potest, nisi coram Parocho, & testibus,* & num. 42.
40 *Decisiones Rotæ, ac DD. agentes de Vi, & Metu in praxi videndi.*
41 *Papa non potest dispensare super Impedimento* Vis, & Metus.
42 *Declaratio Matrimonii per Metum irriti, non obstante copula per septennium, ac filiorum susceptione.*

IN contrahentibus Matrimonium, requiritur, quòd eorum consensus sit omnino liber, ac voluntarius; quia cùm Matrimonium sit contractus humanus, cujus objectum, ac materia, circa quam versatur, est valdè gravis, nimirùm proprii corporis traditio sub alterius potestate, necessariò postulat in contrahentibus consensus
1 libertatem; quæ quidem cùm sit duplex, una quæ excludit omnem necessitatem, etiam actionum naturalium, & vocatur absoluta; altera, quæ eximitur ab omni coactione proveniente ab impulsu, seu motivo externo; & dicitur libertas secundùm quid; (nam etsi non destruat penitùs humanam voluntatem, quia nihil fieri potest ab homine rationis usum habente, nisi aliquo modo illud velit,) nihilominùs cùm cogitur coactione externa ad illud volendum, ejus consensus dicitur involuntarius, & sine libertate, ut sub-
2 tiliter differit Mastrius *in 4. dist. 7. num.* 114. ideòque ex hujus privatione absolutæ libertatis insurgit Impedimentum *Vis*, & *Metus* dirimens Matrimonium; quia coactio causat involuntarium secundùm quid, & aufert liberum consensum à contrahentibus, sine quo contractus non potest subsistere; quapropter in præsenti Decisione de hac animi coactione, & libertatis privatione est agendum; quæ in Jure Canonico vocatur *Vis*, tanquam causa; nec non *Metus*, 3
tanquam effectus; juxta Rubricam Decretalium, ac Digestorum De *his, quæ vi, metusve causa fiunt*; & sic videndum quomodo, & quando Matrimonium per vim, & metum initum sit ipso Jure nullum? Pro explicatione autem hujus impedimenti Vis, & Metus sunt videnda:

1. Quid, & Quotuplex sit Metus? & quo Jure dirimat Matrimonium?
2. Quot Conditiones requirantur, ut Metus sit gravis, & dirimat Matrimonium?
3. An Metus reverentialis, & ex solis precibus importunis dirimat Matrimonium?
4. An Metus incussus à causa naturali, & à motivo intrinseco tantùm:
5. An Metus gravis, justè tamen illatus?
6. An Matrimonium metu gravi contractum confirmari possit Juramento, vel copula maritali post illud inter eosdem contrahentes habita?

Nec miretur Studiosus Lector, quòd nos, Theologos, ac Canonistas sequentes, hic non agamus *de Vi*, quæ verè, & propriè est causativa Impedimenti dirimentis Matrimonium; sed tantum *de Metu*, qui non recensetur inter car- 4
mina indicativa impedimentorum: siquidem, ut doctè observat Ventriglia *in Praxi fori Eccles. tom. 1. Annot. 4. num. 2. Vis*, & *Metus* sunt correlativa, & quod de uno dicitur, etiam intelligitur de altero; in hoc enim tantùm differunt inter se, quòd Vis consistit in inferente Metum, & se habet per modum *Agentis*; Metus verò stat in persona, quæ patitur Vim, & se habet per modum *Patientis*; undè virtute correlationis quidquid docent DD. *de Metu*, intelligendum est etiam *de Vi*, ex observatione Bartoli *in l. 1. num. 2. ff. de eo, quod metus causa.* Igitur

Quo ad Primum: Hoc nomen *Metus* venit à verbo *Metuo* quasi *Mutuo*, quia, ut ex Varrone scribit Vossius *in Etymologic. Ling. Lat. Verb. Metus*, iste causat motum animi, quem pa- 5
timur, & sentimus, quando malum, quod imminens credimus, aversamur: & ideò dicitur *Metus*, quasi *Motus*. *Vis* autem deducitur à nomine Græco ἲς, quod propriè significat *fibram*, aut *nervum*; & quia robur in nervis consistit, ideò etiam pro *Vi*, seu *robore* usurpatur; ut ait idem Vossius in *Verb. Vis*; & quia qui robore corporis, seu divitiarum pollent, solent esse violenti; ideò à violentia appellatur *Vis*, qua unus homo terret alium, & ei incutit metum. Plures autem dantur definitiones Metus à DD. sed duæ præcipuæ, Una à Theologis, dicentibus 6
Metum esse passionem, qua refugimus malum futurum, cui resistere non possumus. Ita Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 9. num. 1.* Dicitur *Passio*, tanquam genus, & continet sub se plures passionum species, nam, ut ait Osualdus *in Addit. ad Donellum cap. 38. Litter. C.* si animus apprehendit malum grave futurum, illa apprehensio causat passionem, quæ dicitur *Metus*; si malum imminens, *Timor*; si permanens, *Formido*; si valdè mentem concutiat appellatur

Terror; si mentem loco moveat, *Pavor;* & ulteriùs si processerit, quasi hominem extra sensus impellens, *Exanimatio.* Dicitur, in definitione, *qua refugimus malum futurum*, ideſt nondum illatum, sed inferendum, ad differentiam *doloris*, quem homo patitur ex violentia damni, seu mali illati. E *ly Futurum* sumitur, non pro valdè distanti, sed etiam imminenti, atque præsenti, dummodò tamen non sit actualiter illatum; sed quis comminetur illud inferre. Dicitur, *cui resistere non possumus*, quia si vel per recursum ad Judicem, vel æquali, aut majori, vi possumus illud malum repellere, sivè alio modo effugere, cessat hæc passio, quæ appellatur *Metus.* Altera definitio datur à Canonistis, ac Legisperitis, desumentibus illam à Vulpiano *in l. ff. De eo, quod metus causa*, ubi ait: *Metum esse instantis periculi, vel futuri causa mentis Trepidationem* Hanc approbat Ventriglia *d. tom. 1. Annot. 4. num. 1.* dicens, appellari *Trepidationem mentis*, quia Metus ortum habet ex forti imaginatione periculi futuri, propè jam imminentis. Dicitur *instantis*, quia valdè remòta pericula non adeò timentur, nec multum mentem conturbant. Concordat circa hujus definitionis explicationem Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. 1. de His, quæ vi, metusvè causa fiunt. num. 12. tom. 1.* ubi assignat differentiam inter *Vim*, atque *Metum* dicens, quòd Vis, est impetus, qui repelli non potest, cumque aliquid per vim extorquetur, nulla voluntas patientis adest: at dum futuri periculi metu aliquid datur, vel promittitur, in patiente reperitur aliqua voluntas, quamvis coacta, & non libera, undè fit, ut opus dicatur involuntarium. Idem docet Emin. Card. de Lauræa *disp. 10. de Matrim. num. 4.* 7

Dupliciter autem dividitur Metus. Primo, quòd alius sit *Metus gravis;* alius verò *Metus levis.* Ille dicitur cadens in Virum constantem; iste verò in debilem, seu inconstantem Virum: quomodo autem cognoscatur Metus gravis, ac cadens in constantem virum ab illo, qui censetur levis, & in Virum debilem cadens? explicabitur infra, ubi conditiones Metus gravis referemus. Secundo modo dividitur Metus, ut alius incussus sit à causa libera, ut si frater minetur mortem sorori, nisi nubat tali personæ, quam ipse frater proponit; alius sit incussus à causa necessaria, ut à periculo mortalis infirmitatis, pestis vel naufragii, aut alio motivo veniens ab intrinseco; ut latè disserit Sanchez *de Matrim. lib. 4. disp. 1. & seqq.* Basilius Pontius *eod. tract. lib. 4. cap. 2.* Aversa *q. 4. sect. 2.* Mastrius *in 4. sent. disp. 7. à num. 120.* & Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 19. à num. 26. & seqq.* ubi egregiè subdit alias Metus subdivisiones, etsi non simpliciter necessarias, scitu tamen dignas; videlicet, quòd alius Metus dicitur *Concussivus*, qui infertur per minas, & terrores; alius *Impressivus*, qui incutitur per verbera, vulnera, aut alia mala illata. Item alius est *Suspicionis fundatæ*, ubi minans potens sit, vel solitus minas exequi; alius tandem *Reverentialis*, qui ob reverentiam Majorum inducit ad aliquid faciendum, vel omittendum, de quibus omnibus speciebus Metus infra videbimus, docentes, quando, & quomodo per illas irritetur Matrimonium. 8

Porrò cùm certum sit, Matrimonium contractum Vi, ac Metu cadente in constantem Virum esse ipso jure irritum, ac nullum. *cap. Si verum. & cap.* De *Neptis. 27. quæst. 2. cap. Cum locum. cap. Veniens. cap. Consultationi. & cap. Gemma.* De *Sponsalib. cap. 2. De his, quæ vi &c. & cap. Significavit.* De *eo, qui duxit in Matrim.* S. Thomas, atque Scotus *in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3.* & innumeri DD. congesti à Sanchezio *d. libr. 4. disp. 12. n. 18.* pugnant tamen inter se Thomistæ, ac Scotistæ quærentes, an hæc irritatio, & nullitas Matrimonii provenit à solo Jure Ecclesiastico per *texx.* & Canones suprarelatos, (quos suum effectum habere tam in foro externo, quàm in interno advertunt Salmanticenses *d. cap. 9. n. 2.*) sed etiam remaneat irritum, & nullum Matrimonium ipsum Jure naturæ? In qua quæstione Thomistæ Dominicani, & Carmelitæ, quos citant, ac sequuntur iidem Salmanticenses *d. cap. 9. n. 7.* tenent, quòd solo Jure Ecclesiastico inducta sit prædicta nullitas Matrimonii, quia, inquiunt, sivè Matrimonium consideretur ut Sacramentum, non est Jure naturæ irritum, etsi per Vim, & Metum celebratum, nam Baptismus per vim receptus, & absolutio Sacramentalis per metum impartita est valida. *cap. Majoris. De Baptismo. cap. De Judæis. dist. 45.* sivè habeatur, ut contractus; quia hi omnes per Vim, & Metum non sunt de Jure naturæ irriti, neque de Jure positivo, sed veniunt tantummodò irritandi. *l. 1. ff. De eo quod metus causa. l. si mulier 21. §. si metu coactus. Et l. Metum. 9. ff. eod. l. fin. C. De his, quæ vi.* ac aliis juribus, & argumentis adductis ab eodem Sanchezio *d. lib. 4. disp. 7. à num. 4* ubi innumeros DD. cumulat hanc opinionem amplectentes, quibus adhæret novissimè Nicolius *Instit. Civil. libr. 1. tit. 10. n. 45.* 9 10

Contrarium opinionem sequuntur Scotistæ, affirmantes, Matrimonium, per Vim, ac Metum in constantem Virum cadentem initum, esse nullum, & invalidum, non solùm Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturali, ac Divino; tum quia consensus liber contrahentium est de essentia Matrimonii, non enim coitus, sed voluntas facit illud. *cap. 1. cap. Conjux. 27. quæst. 1.* Conc. Trid. *sess. 24 cap. Unic.* tum quia Matrimonium est indissolubile, & perpetuum; at non potest esse tale, si contrahatur per Vim, nam nihil violentum durabile: nam etiam quia Vis, & Metus repugnat fini Matrimonii, qui est non solum prolis procreatio, sed ejus bona educatio, amorque, & mutua obsequia inter conjuges; quæ omnia desunt, ubi absque libera voluntate initum sit conjugium. Nec obstat, quòd hoc impedimentum Vis, & Metus innotescat per Canones, ac Jus Ecclesiasticum: quia, ajunt Scotistæ, Canones ipsi sunt declarativi antiquæ existentiæ hujus Impedimenti, non inductivi tantùm. Hinc inter infideles, qui Juri Ecclesiastico non subduntur, Vis, & Metus dirimit Matrimonia; sic jubente Jure naturæ; & quando Eliezer servus Abrahami petiit Rebeccam in Uxorem pro Isaaco à genitoribus ejus, illi responderunt: *Vocemus puellam, & quæramus voluntatem ejus: & statim quæsierunt parentes, Vis ire cum homine isto? Quæ respondit, ibo Genes. 24. 57.* Tunc autem vigebat Lex naturæ, à qua parentes Rebeccæ edocti, noluerunt eam 11 12

nuptui

nuptui tradere Isaaco, nisi ipsa volente, ac liberè consentiente; ut doctè differit Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 19. art. 2.* qui stat pro hac opinione, quam antea tenuerunt gravissimi DD. quos allegat, & sequitur Basilius Pontius *lib. 4. cap. 14. num. 4.* inter quos Rebellius *part. 2. lib. 2. quæst. 11. sect. 1.* Comitolus *lib. 1. quæst. 123.* ubi plurimos adducit, prout facit Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol. 141. §. 3.* desumpta ex veteri *parr. 4. tract. 4. resol. 33.* quibus accedunt Mastrius *d. disp. 7. n. 121.* Gobatus *tract. 9. num. 244. 248. & 249.* atque Barbosa in Votis Decisivis *lib. 1. Vot. 1. num. 14.* ibique Farinaccius *in Fragment. Crimin. Verb. Metus n. 18.*

Hujus controversiæ Decisionem relinquimus Studiosi Lectoris arbitrio; nobis enim satis est scire, quòd absque ullo dubio Vis, & Metus gravis cadens in constantem Virum dirimit Matrimonium, ut supra *num. 9.* probatum est. Magis autem utile videtur scire an mortaliter peccent tam illi, qui Vim, ac Metum inferunt; quàm qui cum eo contrahunt Matrimonium, ac simulant consentire, & voluntariè contrahere.

13 De inferente Metum, ac extorquente consensum per Vim, non est dubitandum, quòd peccat mortaliter, tum peccato injustitiæ impellendo renitentem ad ineundum conjugium; tum peccato Sacrilegii, contra reverentiam debitam Sacramento, ut notant Salmanticenses *d. cap. 9. num. 12* addentes, quòd si Vim inferens, ac Metum incutiens sit Judex, vel Magistratus, incurrit excommunicationem latam à Tridentino Concilio in *sess. 24. de Matrim. cap. 9.* De illo

14 autem, qui vim patitur, & fictè consentit, videtur dicendum, quòd peccet mortaliter, quia applicat materiam, & formam Sacramento invalido, prout peccare mortaliter dicimus Confessarium, qui dat absolutionem pœnitenti non bene disposito. Nihilominùs communis est responsio, quòd fictè consentiens ob Vim, & Metum, nullum committat peccatum, etiamsi adderet Juramentum; quia non est ipse, qui facit Matrimonium irritum; sed Jus tum naturale, tum Ecclesiasticum, à quibus irritatur ob defectum sufficientis materiæ, idest liberi consensus. Ita Sanchez *libr. 4. disp. 16. num. 6.* Aversa *d. quæst. 4. sect. 2. §. Ille verò*, Basilius Pontius *d. libr. 4. cap. 16.* & alii apud Salmanticenses *d. cap. 9. num. 14.* ubi *num. 15.* aliam quæstionem proponunt, videlicet, an conjuge Vim, ac Metum passo, volente postea, & petente convalidare Matrimonium per novum liberum consensum, teneatur alter conjux consentire, & Matrimo-

15 nium illud, antea irritum, confirmare? Circa quam referunt diversas DD. opiniones, & concludunt, si alter conjux non fuit auctor violentiæ, quæ à tertia persona, eo inscio forsan fuit illata, attenta nullitate conjugii, potest ab eo dissentire: at si complex fuit, & auctor coactionis, ad resarciendam injuriam illatam conjugi vim passo, tenetur Matrimonium ratificare, si ipse vim passus resolvat illud ratum, & gratum habere: Ita docent Navarrus *in Summa cap. 22. num. 51.* Basilius Pontius *d. lib. 4. cap. 15. num. 3.* Aversa *d. q. 4. sect. 2.* Trullench, Bonacina, & alii per Salmanticenses *d. cap. 9. num. 17.* citati.

Quo ad secundum; in quo quæritur, *Quot conditiones requirantur, ut Metus sit gravis, & dirimat Matrimonium?* Concorditer respondent Juristæ ac Theologi, quinque conditiones requiri.

16 *Prima* est, quòd malum, seu damnum, quod quis minatur, se esse illaturum, nisi in Matrimonium consentiat, sit malum, & damnum grave, aptum incutere timorem etiam in constantem Virum. *l. Metum.* la prima. *ff. de eo, quod metus causa*, in qua hæc verba: *Metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris mali.* ubi Glossa explicat dicens, idest *magni mali.* Ideò si ageretur de levi malo, aut parvo damno, metus non esset gravis, ut advertunt omnes DD. quos allegant, & sequuutur Sanchez *d. lib. 4 disc. 4.* Pontius *d. libr. 4. cap. 3* Aversa *d. q. 3. sect. 3.* & Salmanticenses *d. cap. 9. à num. 18. & seqq.* qui *num. 20.* dant de malo, ac damno gravi exempla sequentia. 1. De metu mortis, ac amissionis Vitæ. *cap. Cum dilectus. De his, quæ vi, metusvè causa fiunt.* 2. De mutilatione, de corporis cruciatibus, de flagellis, aut de servitute. *l. Isti quidem. ff. De eo, quod metus causa.* 3. Timor exilii, vel carceris *l. Timorem. l. Qui in carcerem. ff eod.* & quidem, secundum Basil. Pontium *d. libr. cap. 4. n. 3.* etiam carceris privati. 4. Amissionis proprii status, conditionis, seu dignitatis. *d. l. Isti quidam.* 5. Stupri comminati inferenti sivè Viro, sivè Fœminæ, tum Virgini, tum corruptæ, præcipuè si sit bonæ famæ. S. Thom 3. *p. quæst. 47. art. 2.* 6. Quæ omnia mala censentur gravia, & cadere in virum constantem, non solùm si quis illa minetur inferenda personæ, à qua prætendit extorquere consensum pro Matrimonio ineundo; sed etiamsi protestetur, illa inferre ejus parentibus, consanguineis, vel affinibus usque ad quartum gradum, nec non amicis arctissima amicitia conjunctis, ut latè probant Sanchez *d. lib. 4. disp. 4.* Aversa *qu. 4. sect. 3.* Basilius Pontius *lib. 4. cap. 3.* & alii apud Salmanticenses *d. cap. 9. num. 18.* quibus adstipulantur Nicolius *in Flosc. Verb. Metus. num. 2.* Mastrius *d. disp. 7. num. 120.* Et Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 19. art. 3. per tot.* & præcipuè §. 4. ubi bene advertit, quòd licèt DD. altercentur inter se, an sit metus gravis ille, qui insurgit ex comminatione vel infamiæ, vel excommunicationis, vel amissionis bonorum? verior est opinio affirmativa, quia hæc tria mala gravia sunt, & proprè dicuntur cadere in constantem Virum, ut concludunt etiam Salmanticenses *d. cap. 9. à num. 21. & seqq.*

Secunda conditio, ut metus sit gravis, & dicatur cadere in Virum constantem est, ut ille, cui incutitur, probabiliter credat, & rationabiliter opinetur, malum illud imminere. S. Thomas

17 *d. 3. p. q. 47. art. 2.* siquidem Vir fortis, & constans non movetur, nisi ex forti, & probabili æstimatione; ad differentiam hominis timidi, & inconstantis, qui levibus ex conjecturis sibi imminere malum timet juxta illud *Prov. 28. Fugit impius, nemine persequente.* Et illud *Eccles. 19. Qui citò credit, levis est corde.* Ita concorditer omnes DD & novissimè Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 19. num. 50.* atque Ventriglia *d. tom. 1. Annot. 4. §. 1. num. 7.*

Tertia conditio est, ut Metum incutiens potens sit minas executioni mandare; quia non est Viri fortis, & constantis terreri minis, quæ à viro debili, sene, paupere, vel aliàs contemptibili incutiuntur. *l. Famosi. ff. Ad l. Jul. Majest.*

19 *jest.* ubi hæc verba : *Nam & persona spectanda est, an potuerit facere, & an ante quid fecerit.* Imò addunt DD. quòd ; ut metus dicatur cadens in constantem virum, opus est, ut inferens metum, etsi non possit, credatur posse exequi minas. Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 19. num. 60.* ubi subdit : *Vir constans est fortis, & impavidus ex 3. Ethic. cap. 9. sed fortis non timet inermes, imbelles, verbosos, ac jactatores.* Et Ventriglia *d. Annot. 4. §. 1. num. 10.* ubi ita hanc conditionem declarat : *Quod intelligendum est, ut minatus verè credat, quòd minans possit minas exequi, licèt de facto minans non possit eas exequi ob causam incognitam minato.* Sanchez *d. lib. 4. disp. 1. num. 19.* & Salmanticenses *d. cap. 9. num. 19.*

Quarta conditio est, ut incutiens metum non solùm credatur posse minas exequi, sed solitus sit illas ad executionem deducere, vel in eodem genere mali, vel in alio simili. DD. apud Salmanticenses *d. cap. 4. num. 19.* Ventri-
20 glia *d. Annot. 4. §. 1. num. 11.* ubi considerat *text. in l. Unic. C. Si quis. Imperat.* in illis verbis ; *Ex personis hominum dicta pensemus.* & in *d. l. Famosi. ff. Ad leg. Jul. Majest.* ubi dicitur : *Nam & persona spectanda est, an potuerit facere, & ante quid fecerit ;* prout etiam *in l. Metum. C. De his, quæ vi.* ubi pariter hæc verba habentur : *Metum non jactationibus tantùm, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit ;* ex quibus, solitum esse comminantem exequi minas, probare oportere scribunt ibi Bart. Bald. Salicet. & alii, quos citat Mascardus *de Probat. conclus. 1055. num. 18. & 19.* Et ideò hæc consuetudo, ut quis sit solitus minas exequi, non probatur per unicum actum, quando minans semel est executus minas ; sed requiruntur saltem duo actus secundum doctrinam Archidiaconi *in cap. Illud. in fin. dist. 12.* Bartoli *in l. Pupillo. §. Si quis ipsi. num. 15. ff. De oper. novi nunciat.* & Abbatis *in cap. fin. n. 4. De Appellat.* Sed ego habeo magnam difficultatem circa hanc quartam conditionem, & præcipuè circa hanc multiplicitatem violentorum actuum, à minante alibi executorum ; quia potest esse, ut quis potens exequi minas, cum aliis illas non executus fuerit, sed cùm hac persona, cui grave damnum comminatur, sit illas executurus ; & ideò satis esse puto ; quòd minans talis sit, ut possit minas exequi ; & qui minas patitur, credat, esse ad executionem deducendas ; tunc enim ex hac credulitate oritur metus gravis, & cadens in constantem Virum, irritans Matrimonium, ut scribunt Ferretus, in præterito sæculo Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Consultor, *consil. 296. num. 15.* & Monaldus, Venetus Advocatus *vol. 2. consil. 5. n. 32.* Quapropter in praxi servanda est doctrina Cæsaris de Panimollis, qui *in Decis. 102 Adnot. 1. n. 16.* ita loquitur : *Limita, quòd quando minans sit Princeps, vel persona potens, tunc minæ inducunt justum metum, etiamsi non probetur consuetudo illas exequendi :* ac idem docent Romanus *in l. Interpositas. num. 4. C. De Transact.* Sanchez *de Matrim. d. libr. 4. disp. 6. num. 22.* & Farinaccius *Fragment. Crimin. part. 2. Verb. Metus. num. 97.*

Quinta, & ultima conditio Metus est, quòd ille, cui minæ factæ sunt, non possit facilè eas evitare, malavè comminata fugere, vel implorando Superioris auxilium, vel parentum, aut amicorum. Siquidem si abbsque magna difficultate valeat se tueri, ejus metus non esset cadens in constantem virum ; cujus proprium est, esse fortem, & impavidum, *d. lib. 3. Ethic. cap. 9.* atque aggredi ardua, & difficilia, ut ait Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 19. num. 63.* & ante illum Sanchez *d. libr. 4. disp. 1. num. 23.* Aversa *d. quæ. 4. sect. 3.* & alii, quos congerunt, & laudant Salmanticenses *d. cap. 9. num. 19.* nec non Ventriglia *d. Adnot. 4. §. 1. à num. 14. & seqq.* ubi duo observanda dicit : *Unum*, quòd hæc materia Metus multum pendet ab arbitrio Judicis, qui considerare debet qualitatem inferentis metum, & qualitatem illum patientis ; ut tradunt Menochius *de Arbitrar. Judic. casu 135. num. 3.* Sperellus *decis. 5. num. 72.* Novissimè Emin. Card. de Luca *de Matrim. disc. 6. num. 9. Alterum*, quòd minor metus requiritur in fœmina, quàm in viro, nam fœminæ suapte natura sunt valdè imbecilles, & minùs habiles ad resistendum minis, ut voluit Rota coram Ludovisio *Decis. 374. n. 8. & part. 18. recent. Decis. 405. num. 4.* Similiter major metus requiritur in viro 22
robusto, quàm in puero, vel in sene, vel alias debili, juxta Glossam *in cap. Cum locum Verb. Metu. De Sponsalib.* & ibi Abbas *num. 6.* Idemque docent Hippolit. *Sing. 578.* Felinus *consil. 14. num. 3.* Tiraquell *de Legib. Connub. l. 9. Gloss. 1. num. 160.* Boerius *Decis. 190. num. 2.* & alii plurimi apud Sanchezium *d. lib. 4. de Matrim. disp. 3. per totam ;* & apud Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 9. num. 28.*

Quo ad Tertium ; in quo indagatur, An solus Metus reverentialis, seu solis precibus importunis illatus, dirimat Matrimonium ? Circa Metum reverentialem duo sunt præmittenda. Unum est, quòd Metus reverentialis esse potest in omnibus sequentibus personis, videli- 23
cet. 1. In Uxore respectu Mariti. 2. In Filio respectu Patris, vel Matris. 3. In Genero respectu Socri, qui ut Pater habetur. 4. In Filia minori respectu Fratris majoris, seu Sororis majoris. 5. In Fratre juniore respectu Fratris senioris. 6. In pupillo respectu tutoris. 7. In Clerico respectu Episcopi. 8. In subdito, respectu Magistratus, seu Jurisdicentis ; & 9. In discipulo respectu Magistri, seu Pædagogi, juxta casum, de quo late disserit Barbosa in Votis Decisivis *d. libr. 1. Vot. 1. per totum ;* in quo de Metu dirimente Matrimonium initum à discipulo ob metum reverentialem sui Pædagogi, qui illum per minas, ac terrores impulit ad nubendum, ut lucraretur Ducatos mille, eidem Pædagogo, ad hunc effectum à parentibus puellæ promissos. Agunt de supradictis personis metui reverentiali subjectis Sanchez *d. libr. 4. disp. 6.* Aversa *d. qu. 4. sect. 5.* Basilius Pontius *d. libr. 4. cap. 5.* & alii apud Salmanticenses *d. cap. 9. num. 32.* Alterum præmittendum est, quòd Metus reverentialis dupliciter consideratur, vel cum periculo alicujus gravis mali ; vel sine tali periculo. Primo 24
modo, quando Filius, vel Filia non obtempe-
rans voluntati Patris, aliusve inferior, non exequens jussa sui Majoris, timet rationabiliter reddere illum sibi infensum, supercilioſum, torvè aspicientem, nec placidè loquentem ; & multò magis, si audiat eundem in se verba opprobriosa dicentem, vel ictus, ac verbera minantem ;

aut

aut alias mortificationes in se promittentem; quæ omnia reputantur in filio, seu subdito mala gravia, & insupportabilia. Secundo modo consideratur Metus reverentialis absque periculo, videlicet quando filius, vel subditus non parens Patri seu Superiori suo, patitur quidem talem qualem pudorem, ac verecundiam; sed scit, Parentes, sivè Superiores indignationem non esse servaturos; neque ad vindictam, vel punitionem aliquam fore transituros; imò de facili se reddere placatos, ut dixerunt Salmanticenses *d. cap.* 9. *num.* 33. ubi his prænotatis docent, Metum reverentialem primo modo consideratum esse
25 impedimentum dirimens Matrimonium; non etiam secundo modo acceptum juxta communem DD. sententiam, quos cumulat, & sequitur Sanchez *d. lib.* 4. *disp.* 6. Aversa *d. quæst.* 4. *sect.* 5. Basilius Pontius *lib.* 4. *cap.* 11. quibus concordes sunt Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 19. *num.* 183. ubi ita: *Dico; Metus reverentialis sive Parentum, sive aliorum Superiorum, dummodò sit absque minis, non inducit coactionem nec invalidat Matrimonium*, nec non Mastrius *d. disp.* 7. ita scribens sub *num.* 123. *Sola reverentia erga majores, sive metus reverentialis non sufficit ad reddendum irritum Matrimonium, nisi accedente rationabili timore gravis mali; videlicet quando voluntati, & imperio Patris, aut alterius Superioris conjunctæ sunt minæ graves, aut aliqua sævitia; idemque dicendum, si timeatur gravis, & diù duratura indignatio Patris.* Ideòque subdunt etiam doctissimi Salmanticenses *d. cap.* 9. *n.* 34. *Hujusmodi Metus reverentialis, & timor talis indignationis diuturnæ sufficit ad irritandum Matrimonium; quia est timor gravis mali, quod non potest facilè evitari, & potest rationabiliter filios, vel subditos etiam invitos movere.*

Referenda hic venit fabella, quam multis ab hinc annis eruditissimus Concionator narravit è suggestu in hac Cathedrali Ecclesia Patavina, completa prima Concionis parte, in qua de non inferenda per parentes Vi filiis suis in electione
26 status egerat, sed eos liberè permittendos eligere vel Religionem, vel Matrimonium. Dicetis mihi, Auditores nobilissimi, (subjunxit Concionator) Nos hac monitione non egimus; filios nostros juxta eorum voluntatem collocamus. Ita credo (ait) sed audite. In quadam Italiæ Civitate, Vir nobilis, ac dives, completa Quadragesima, coegit me, prandium in domo sua sumere; quo finito, bellariis tantùm stantibus super mensam, accesserunt tres filiolæ, quinquennis una, sexennis alia, tertia septennis; eisque genitor ipse jussit, ut ad osculandam mihi manum accederent; iisque propè Patrem earum stantibus, ipse dixit: Ecce Pater Prædicator, hæc septennis, ac major fieri vult Monialis: cui respondenti altâ voce, *Nequaquam, Nequaquam*, dedit alapam Pater dicens, discede temeraria. Ad secundam postea conversus ait: Vis fieri Monialis? Utique, illa respondit; tunc Pater porrexit bellaria, & inquit, hæc est prudens, & bona filia. Subindè quinquennem, ac parvulam interrogavit, Vis nubere, vel fieri Monialis? Ipsa statim reiteratò exclamat, *Monialis, Monialis, Monialis.* Tunc Concionator ad auditores è suggestu moralitatem quasi ex hac fabella deducens, subjunxit; Primæ filiæ neganti, se velle fieri Monialem, data est alapa; secundæ asserenti se Monialem facturam, tradita sunt bellaria; hæc videns tertia, etsi puerula, meliùs, ait intra se, est eligere vitam religiosam, quàm mundanam; quia propter hanc Pater alapis me percutiet, propter illam bellariis me donabit. Mehercle, sæpè sæpius, nisi expressis minis, saltem artificiosis insinuationibus per vim, & metum filii, & filiæ statum religiosum eligere, vel contra illorum voluntatem nubere à parentibus adiguntur, ac molestis vexationibus obligantur. Quare his concurrentibus Metum reverentialem reddere Matrimonium irritum, ac nullum, præter Theologos supra recensitos, tradunt etiam Canonistæ, inter quos Abbas *in cap.* 1. *num.* 5. *& in cap. Causam Matrimonii. n.* 3. *De offic. deleg.* Covaruvias 4. *Decr.* 2. *p. cap.* 3. §. 6. *num.* 4. Mascard. *de Probat. concl.* 1055. *num.* 18. *&* 19. Decianus *consil.* 8. *n.* 127. *vol.* 1. & alii apud Ventrigliam *d. Adnot.* 4. §. 1. *num.* 32. & habetur Decisio in terminis Rotæ Romanæ *p.* 16. *rec. Decis.* 38. quæ circa Metum reverentialem Magistralis est, & omninò videnda.

Quo verò ad Preces importunas, instantissimas, ac sæpiùs repetitas, & inculcatas; Utrùm per eas cauſetur Metus dirimens Matrimonium? Alii asserunt, alii negant. Pro affirmativa stat
27 Basilius Pontius *d. libr.* 4. *de Matrimon. cap.* 5. *num.* 17. ac alii plurimi DD. quos citat Sanchez *d. libr.* 4. *disp.* 7. *num.* 4. quia cruciatus animi, quales sunt preces importunæ; non minorem Vim habent, quàm cruciatus corporis; hinc in Evangelio *Luc.* 11. 8. propter importunitatem amici petentis panem, qui nolebat surgere, *surget, & dabit illi.* Et de fortissimo Sampsone legitur *Judic.* 16. 17. quòd ab importunis Uxoris precibus devictus manifestavit ei, in quo consisteret ejus fortitudo. Pro negativa stat Scotus *in* 4. *sent. dist.* 29. §. *ad* 3. *sub. G.* quem sequitur Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 19. *num.* 189. *& seqq.* ea ratione quia preces, ac blanditiæ verè, & propriè vim non faciunt, & qui per eas inclinat ad aliquid faciendum, voluntariè inclinare, ac facere censetur; aliàs omnes contractus, & actiones humanæ subjacerent nullitati; cùm, ut plurimùm ad preces amicorum fiant; imò Joannes Papa XXII. *in Extravag. de Præbend.* profitetur, Pontifices sæpè multa concedere ob importunitatem petentium, & tamen gratiæ Pontificiæ ex hoc non censentur nullæ. Quòd si amicus in Evangelio ob importunitatem dedit panes petenti, voluntariè dedit; prout voluntariè Sampson manifestavit secretum Uxori suæ, ut notant de eo Scripturistæ; & hanc opinionem probabiliorem vocat Sanchez *d. lib.* 4. *disp.* 7. *num.* 7.

Cæterum has opiniones concordant Salmanticenses distinguendo, vel preces importunæ, ac blanditiæ fiunt à personis inferioribus, vel ad summum æqualibus, & in hoc casu, non causant metum dirimentem Matrimonium; vel fiunt ab aliquo Superiore, cui debita est reverentia, obedientia, & obsequium, & tunc, si ille importunè roget, ac reiteratò petat, etiam cum blanditiis, aliisque urgentibus, & instantibus verbis, hæc causare dicuntur Metum reverentialem irritantem Matrimonium, quia hujusmodi preces habent in se violentiam, & sub pelle precum, ac blanditiarum teguntur minæ, & pericula gravium damnorum, juxta Proverbium:

Est orare Ducum species violenta jubendi.

Ita Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 9. num. 37. & 38.* ubi DD. ita distinguentes allegant, & citant textum *in l. 4. ff. de Regul. Jur.* dicentem: *Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini;* nec non canonem *in cap. Puellæ. 20. quæst. 1.* ubi irritatur Professio ex Patris imperio, & repetito rogatu facta.

Hìc memoranda, ac veneranda est memoria S. Dorotheæ Virginis, & Martyris, quæ *Christæ, & Callistæ Sororibus, quæ à fide defecerant, tradita, ut eam à proposito removerent;* earum pre-
28 cibus, ac blanditiis nequaquam cessit; *sed contra factum est, nam eas Dorothea ad cultum Christianæ Religionis reduxit, ut in Breviar. Rom. die 6. Febr.* Admiranda pariter, & summis laudibus extollenda fortitudo S. Bibianæ, ac sororis ejus, *quæ neque blanditiis, neque minis Aproniani Judicis Ethnici à recta fide declinantes, Bibiana Rufinæ mulieri vaferrimæ seducenda traditur, sed ipsa fortior, fœminæ superavit insidias, & Prætoris astus delusit.* , ut in *eod. Brev. 2. Decembr.* Concordat S. Hermenegildi constantia, de quo *die 13. April. ad Matutin.*

Nullis Te genitor blanditiis trahit.
Non vitæ caperis divitis otio,
Gemmarumve nitore,
Regnandivè cupidine.

Sed nec reticenda illius Martyris fortis industria, ac industriosa fortitudo, qui ne à blanditiis, & oculis pulcherrimæ meretricis, ligatus ne eam
29 repelleret, superaretur, mirabili ejecit conatu, quem narrat Spondanus *ad Annum Christi 253. num. 17.* his verbis: *Alium juvenili ætate florentem in amœnissimos hortulos* (impius Judex) *præcepit adduci, ibique resupinari, & ne se inde posset excutere, blandis Serico nexibus irretitum relinqui. Quò cùm adveniens meretrix speciosa, delicatis complexibus, & attrectationibus, corpus ad libidinem concitaret, sentiens se miles Christi superari voluptate, quem tormenta non vicerant, cœlitùs inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedentis doloris magnitudo superavit.* Hæc erat in primitivis Ecclesiæ sæculis fidelium constantia, quos nec Vis, nec Metus à virtutis tramite dimovebat. Ex hoc ultimo exemplo refellitur Menochius *lib. 3. Præsumpt. 4. à num. 35. & seqq.* dicens, Virum non posse nolentem coire.

Quo ad Quartum; in quo proponitur, *An Metus incussus a causa naturali, & libera, non in ordine ad Matrimonium, illud dirimat? Et quid si ab aliquo ad hunc effectum sit justè illatus?* Et quo ad primam partem Quæsiti, concors est DD. Sententia, quòd Metus incussus à causa
30 naturali, vel libera; & propter quem aliquis resolvit contrahere tale, vel tale Matrimonium, illud non irritat. Exemplum dant DD. de illo, qui obviam habens feram, vel in naufragii periculo existens, aut mortali morbo laborans, votum facit, si incolumis evadat, ducendi in Uxorem aliquam Meretricem, ut eam à peccandi occasione liberet; vel puellam pauperem indotatam, ne in libidinis vitium descendat. Ratio est, quia nullus est, qui vim faciat huic voventi; aut ejus consensum violenter extorqueat: sed dicitur omninò voluntaria, ac libera ejus determinatio nubendi, ut demonstrant Aversa *q. 4. sect. 4.* Basilius Pontius *lib. 4. cap. 19. num. 3.* Sanchez *lib. 4. disp. 120. num. 4. & seqq.* Bonacina *de Matrim. q. 3. punct. 8. à num. 16.* & aliis citatis Salmanticenses *d. cap. 9. num. 41.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 19. art. 3. §. 8. à num. 107. & seqq.* ubi pluribus rationibus probat, Metum provenientem ab intrinseco ex causis naturalibus non facere involuntarium, nec tollere liberum consensum. Neque obstat textus *in cap. Gonsaldus. 17. q. 2.* ubi quidam Vir, fic nominatus, cùm esset infirmus, fecit Votum de ingredienda Religione, si convaluerit; & nihilominùs cùm factus esset sanus; respondit Alex. II. eum non teneri illud Votum adimplere. Ergo dicendum, quòd neque Matrimonium valeat, initum ex metu mortalis infirmitatis. Non obstat, inquam, quia, ut respondet ibidem Emin. Cardin. de Lauræa *num. 110. Gonsaldus* ille non erat obligatus ad Votum adimplendum, quia non fuerat sanæ mentis, quando illud emisit.

Sed hic resolvendus est casus satis curiosus, at practicabilis. Medicus quidam non elevatæ nobilitatis, sed sublimis scientiæ, cupiens parentelam inire cum nobilissima sui loci familia, petiit ab ea unam ex filiabus in Uxorem; & So- 31
rorem suam obtulit uni ex natis ejusdem familiæ nupturam. Paterfamilias nobilitati suæ injuriam fieri ratus, Medici instantiam rejecit; paulò post infirmatus, ac maligna febre oppressus, Medicum prædictum ascivit, qui artificiosè se impeditum asserit, & negat, ejus curam assumere. Infirmus, ac sui de familia cognoscunt, Medici recusationem à recusatis Nuptiis provenire; ideò timore mortis ob gravem illum morbum Patrifamilias imminentis, tam ipse, quàm sui offerunt Medico, & exequuntur reciproca desiderata conjugia; quibus initis, studio, ac solertia ejusdem Medici infirmus sanatur. Quæritur Utrùm prædicta Matrimonia irrita fuerint, tanquam contracta timore mortis, ac per metum cadentem in constantem Virum. Respondendum est cum distinctione, Vel in loco illo, ubi Paterfamilias ægrotavit, non erant alii Medici docti, ac periti, qui possent illum curare; prout accidere solet in castellis, & aliis locis, non valdè amplis, prout in castris Montisilicis, Attheftis, Montaneanæ, & aliis hujus Diœcesis? Vel erat copia aliorum Medicorum æquè Sapientum, ac peritorum? Primo casu, Matrimonia illa fuerunt irrita, & invalida tanquam contracta ob metum mortis, qui gravis fuit, & cadens in constantem Virum; ac incussus ab ipso Medico, denegante opem suam illi infirmo necessariam. Ita Aversa *qu. 4. sect. 4. §. Adnotari etiam.* Basilius Pontius *lib. 4. cap. 19. num. 15.* & aliis citatis, Salmanticenses *d. cap. 9. de Matrimon. num. 54.* ubi ita loquuntur: *Si Medicus talem curationem recuset ad extorquendum Matrimonium, tunc videndum est, an Medicus teneatur, quia non est alius; & necessitas urget; tunc invalidum erit Matrimonium; nam licèt timor oriatur ex morte, Medicus denegans curationem in tali casu necessariam, metum gravem incutit; sicut qui in casu extremæ necessitatis denegaret subsidium necessarium ad conservandam vitam periclitanti,*

nisi

nisi nuberet cum filia sua, aut sorore: vel qui immersus in aqua, auxilium postularet ab alio, potente sibi impendere, & ille nollet juvare, nisi nuberet sorori; tunc enim Matrimonium esset nullum. Secundo verò casu, quando alii Medici æqualis sapientiæ, ac praxis extarent in loco, & commodè possent vocari, ut Infirmum curarent, prout in hac Urbe Antenorea, & aliis amplissimis, tunc Matrimonia illa essent valida; quia censentur facta ex libera voluntate ipsius infirmi, atque suorum de familia, ut concludunt Salmanticenses *d. n.* 54. & DD. ibi allegati.

Quo ad Quintum; in quo disputatur, *An Metus gravis juste tamen illatus dirimat Matrimonium?* Duo casus pariter sunt distinguendi. Unus est, si Metus justè inferatur à Judice. Al-
32 ter est, si à privatis personis Metus ipse sit illatus. Circa primum casum, omnes DD. infra allegandi concorditer respondent, Metum à Judice justè illatum, etsi gravem, cum discrimine vitæ, non irritare Matrimonium. Exempli gratia Petrus defloravit Antoniam, ac Vi cum ea copulam carnalem habuit. Denunciatur justitiæ, traditur in carcerem, probato stupro, ac violentia, Judex condemnat Petrum ad mortem, nisi velit in Uxorem eamdem Antoniam accipere. Petrus timore mortis illam in Uxorem accipit. Tale Matrimonium est validum, nec sub prætextu Metus gravis cadentis in constantem Virum, potest irritum judicari. Probatur ratione, quia qui deliquit, tenetur pœnam subire, & qui ad fugiendam pœnam à Jure, & à Judice illatam, eligit nuptias, voluntariè eligit; hinc in *Exod.* 22. & *Deuter.* 22. Deus præceperat Hebræis, quòd qui cum Virgine dormivisset, eam acciperet in Uxorem; Deus autem id, quod justum erat, præceperat. Ideo sic docent Sanchez *d libr.* 4. *disp.* 13. *num.* 3. Basilius Pontius *libr.* 4. *cap.* 19. *num.* 7. Lessius *de Just.* & *Jure lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 40. Salmanticenses *d. cap.* 9. *num.* 44. dicentes, *tunc enim non extorquetur consensus injuste, nec per injuriam, quia ordo justitiæ petit, ut cogatur, & is, qui cogit, non est rationabiliter invitus, quia jure cogitur, & sic ipse sibi metum infert. cap.* 1. & 2. *de Adulter. cap. Ex Litteris.* 2. *de Sponsal. cap. Si mulier. De eo, quod Metus causa.* Concordant Perez *de Matrim. disp.* 17. *sect.* 16. *n.* 6. Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 139. & *resol.* 140. decerptæ ex veteri *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 26. & *resol.* 27. in quibus refert, sed confutat Texedam contrarium asserentem. Et novissimè pro validitate Matrimonii in supra figurato casu stant Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 122. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 19. *num.* 127. & Ventriglia *d. Annotat.* 4. §. 2. *num.* 6. & 7. ubi *texx.* & DD.

Porrò major difficultas est, an valeat Matrimonium, si quis sententiatus, justè quidem, sit ad mortem ob alia facinora, & ut mortem effugiat, offerat Judici se paratum ducere ejus filiam in Uxorem? Pro utraque opinione affir-
33 mativa, & negativa habentur DD. quos refert Diana Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 139. ubi §. 4. amplectitur affirmativam, & stat pro validitate Matrimonii, juxta doctrinam *d. lib.* 4. *de Matrim. disp.* 13. *num.* 6. & 7. ea ratione, quia eo eventu Metus non incutitur ad Matrimonium ineundum; sed jam conceptus auferetur, traditurque modus evadendi periculum; undè licèt demus, eo casu Judicem non justè procedere; attamen cum Metum patienti præbeat modum, quo possit vitæ periculum effugere; nullam vim facit, & Matrimonium est validum; ut tenent etiam Salmanticenses *d. cap.* 9. *num.* 46. cum aliis DD. ibi allegatis.

Circa alterum casum de Metu gravi justè illato à personis privatis, figurari potest facti species de aliquo Juvene reperto cum aliqua Virgine, turpia secum agente per illius Virginis pa-34 rentes, qui statim gravi iracundia perciti, eumdem juvenem armis aggrediuntur, mortem ipsi illaturi, nisi statim Matrimonium cum eadem Virgine ineat, ad quem effectum statim Parochum, & testes ascisCunt, coram quibus contrahitur Matrimonium per verba de præsenti, prout nonnullis ab hinc annis, cùm ego essem Vicarius Generalis, successit in Terra Attheftis sub Parochia Sancti Martini; ubi casus iste occurrit, & inito conjugio, depositis armis à parentibus, Sponsus ex illa domo aufugit, & statim protestatus fuit de nullitate Matrimonii, tanquam per Vim, & Metum gravem, cadentem in constantem Virum, scilicet ob timorem mortis, ab eo initi. Quærunt igitur DD. an Matrimonium in prædicta facti specie sit validum? Circa quam respondent sub distinctione: Si parentes petant à Juvene illo, ut prædictam puellam statim ducat in Uxorem; aliàs eum sunt interfecturi? & concorditer omnes DD. dicunt, Matrimonium esse nullum juxta *text. in cap. Veniens.* 2. *De Sponsal.* At si Juvenis ipse offerat ex se recipere puellam illam in Uxorem, ut mortem effugiat, quam irati parentes minantur ei illaturi: tunc validum esse Matrimonium asserunt Sanchez *d. lib.* 4. *disp.* 12. *num.* 14. Trullench *lib.* 7. *cap* 7. *dub.* 1. *num.* 12. Basilius Pontius *lib.* 4. *cap* 19. *num.* 10. Aversa *q.* 4. *sect.* 4. Salmanticenses alios allegantes *d. cap.* 9. *num.* 46. & 47. Et cæteris omissis Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 19. *a num.* 122. & *seqq.* ubi alios Canones adducit. Ratio pro nullitate Matrimonii in prima distinctione est, quia personæ privatæ non habent facultatem puniendi illum stupratorem, ideò ei injuriam inferunt, minantes mortem, & debent pro ejus punitione ad Judicem recurrere. In secunda autem distinctione, cùm ipse stuprator offerat, compensare suum delictum ducendo puellam in Uxorem, censetur voluntariè Matrimonium contrahere, & sic validum existere.

At instabit aliquis, quid Juris, si parentes armati repertum Juvenem in cubiculo cogerent ad ducendam in Uxorem unam ex quinque filiabus illius familiæ, quam sibi placitam eligeret? In hoc casu validum esse Matrimonium dixe-35. runt Candidus *disp.* 28. *art.* 8. *dub.* 19. Azorius *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 11. & alii relati à Sanchezio *d. lib.* 4. *disp.* 12. *num.* 20. qui tamen amplectitur contrariam opinionem, & tenet Matrimonium esse nullum, tanquam initum per Vim, & Metum cadentem in constantem virum, nihil suffragante illa electione de eligenda una ad sui beneplacitum ex quinque puellis; siquidem non minùs est privus libertate, qui inclusus tenetur in uno cubiculo, quàm in quinque; & ita sentiunt Basilius Pontius *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 14. cum plu-

ribus

ribus per eum citatis, quibus adhærent Salmanticenſes *d. cap. 9. num. 40.* & Ventriglia *d. Ad-not. 4. §. 2. num. 3* ubi tamen dicit, Abbatem *in cap. Cum terra num. 4. de Elect.* & Felinum *in cap. In præſentia. num. 37. De Sponſal.* opinari, validum eſſe prædictum Matrimonium, utpotè ex prædicta libera electione voluntarium.

Quo ad Ultimum, in quo inquiritur, An Matrimonium nulliter ex Metu gravi contractum poſſit validari vel Juramento, vel copula carnali ſubſequente? Circa ſubſequens Juramentum;

36 etſi DD. plura ſcribant, diſtinguentes, an ipſum interponatur ſuper conſenſu præterito, vel de præſenti, aut de futuro, ut fusè differit Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 19. art. 7.* in tribus integris paragraphis; concludunt tamen communiter, quòd ſi duret metus, & cauſa metus, ob quam Matrimonium fuit nulliter initum, ipſummet Juramentum nihil operatur quo ad revalidandum conjugium; ſiquidem Juramentum ſemper ſequitur naturam contractus, qui conjungitur *l. fin. C. De non numer. pecun.* & ideò ſicut Matrimonium ad ſui validitatem imbibit hanc conditionem, ut libero conſenſu fiat, aliàs ſit irritum; ita Juramentum durante metu emiſſum, nullius eſt valoris, & nullam parit obligationem. Sanchez *d. libr. 4. diſp. 20. num. 12.* Averſa *q. 4. ſect. 6.* Rebellius *lib. 2. qu. 11. ſect. 2. num. 18.* & pluribus aliis citatis Salmanticenſes *d. cap 9. de Matrim. num. 63. & 64.* ubi addunt, neque opus eſſe abſolutione, ſeu relaxatione ejusdem Juramenti; & cum iisdem concordant Maſtrius *d. diſp. 7. num. 143. & 144.* & Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 19. art. 7. §. 1. 2. & 3.*

Major difficultas eſt, ſi præſtito conſenſu, ac inito Matrimonio per vim, & metum, cadentem in conſtantem virum, deindè ſequatur copula carnalis, & conſummatio ejusdem Matrimonii, utrum per hanc copulam cenſeatur ab-

37 latus metus, præſtitus conſenſus liber, & revalidatum Matrimonium? Pro reſolutione dubii duo ſunt advertenda: Unum, quòd poſt Concilium Tridentinum ſi Matrimonium fuerit contractum per vim, & metum absque præſentia Parochi, & ſaltem duorum teſtium, quamvis ſubindè conſummatum fuerit per copulam, dubitari non poteſt de ejus nullitate; nam tanquam clandeſtinum ex defectu præſentiæ Parochi, eſt omninò irritum; & nullum ex decreto ejusdem Concilii *ſeſſ. 24. de Matrim. ref. cap. 1.* Alterum eſt, quòd ipſummet Concilium Tridentinum, dum irritavit Matrimonia clandeſtina, absque Parochi interventu inita, nihil innotavit circa illa quæ per vim, & metum cadentem in conſtantem virum contrahuntur, ſed ea reliquit juxta diſpoſitionem antiquorum Canonum, ut bene obſervat Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa *d. diſp. 29. numer. 157. & num 165.* His prænotatis, reſolvendo dubium, ac ſuppoſito, quòd Matrimonium fuerit contractum per metum gravem coram Parocho, & teſtibus, DD. procedunt cum hac diſtinctione. Vel metum gravem paſſus ſcit Matrimonium eſſe nullùm; ſed ſpontè, ac voluntariè conſummat illud, & ad copulam carnalem cum altero conjuge deſcendit; & in hoc caſu omnes teſtantur, Matrimonium validatum cenſeri per novum liberum conſenſum, juxta *texx. in cap. Significavit. De eo, qui duxit. in cap. Inſuper. Qui Matrim. accuſar. & in cap. Conſultationi. & cap. Is, qui. De Sponſalib.* in quibus omnibus juribus copula ſubſecuta habetur pro teſtificatione liberi conſenſus in Matrimonium; & quòd, depoſito metu, & mutata voluntate, ſpontè velit in conjugio manere; nam ſi noluiſſet, aufugiſſet, neque Matrimonium per copulam conſummaſſet, quæ eſt præſumptio Juris, & de Jure, quòd liberè conſenſerit juxta Gloſſam *in cap. Ad id. De Sponſalib. Verb. per annum*, ubi ponit hos verſus:

Effuge, cum poteris, ne conſenſiſſe puteris.
Nam ſi perſtiteris illius Uxor eris.

Quare per copulam liberè ſubſequutam revalidatum eſſe Matrimonium, & voluntarium conſenſum præſtitum docent S. Thom. *in 4. diſt. 29. q. Unic. art. 3. q. 2. ad 2.* Sanchez, plurimos cumulans, *lib. 4. diſp. 18. n. 1.* Averſa *q. 4. ſect. 6.* Baſilius Pontius *d. lib. 4. cap. 14. n. 12.* & alii citatis, Salmanticenſes *d. cap. 9. n. 57. & 58.* addentes, quòd prædicta reconvalidatio conjugii, & ſupervenientia liberi conſenſus præſumeretur etiam ſine copula, quando metum paſſus diu cohabitaret cum conjuge, & ei ſigna amoris dederit vel per amplexus, vel per dona Sponſalitia. Aut prædicta copula maritalis, conſummatque Matrimonii fit à Metum paſſo, durante adhuc Metu, & cauſa Metus; puta, quia parentes armati, à quibus coactus fuerat coram Parocho, & teſtibus conjugium inire per verba de præſenti, non diſceſſerant ex illa domo, in qua facta fuit coactio? Et in hoc caſu duæ ſunt opiniones: Prima aſſerit Matrimonium Metu gravi contractum ratificari, & validum effici per copulam etiam Metu gravi extortam; tum quia talis Metus non cenſetur ampliùs gravis, & cadens in conſtantem virum, cujus eſt eligere potiùs mortem, quàm peccatum fornicationis, per illam copulam; tum etiam quia de Jure ſunt irrita Matrimonia per gravem Metum inita in favorem illorum, quibus vis infertur. Sed quilibet poteſt renuntiare favori pro ſe introducto, prout cenſetur facere minatus, Matrimonium per copulam conſummando; ſic enim præſumitur novum conſenſum, eumque liberum præſtare. Ita tenent plures citati per Salmanticenſes *d. cap. 9. num. 59.* inter quos Averſa *d. q. 4. ſect. 6. Verſ. Et quidem.* Vega *lib. 2. in Summ. caſ. 513.* Sotus, Ledeſma, & alii, præcipuè Gloſſa *final. in cap. de illis. il 2. de Deſponſat. Impuber.* quam allegat, ſequiturque Fagnan. *in eod. cap. De illis. num. 12. tom. 6. pag. 23.* Secunda Sententia, quæ verior, ac probabilior reputatur, tenet, non ratificari Matrimonium, nec validum effici, quando Metu gravi conſummatur per copulam, eò quia hæc non eſt ſufficiens ſignum liberi conſenſus; prout non ſunt verba, quibus minas paſſus dixit, ſe Matrimonium contrahere; quia de Jure irritantur conjugia per vim inita, durante ipſa vi, quæ in hoc caſu ſupponitur durare; ipſaque irritatio tendit in bonum publicum ad tollenda ſcandala, & malos exitus ex eadem vi provenientes; ut fuſiùs comprobant hujus opinionis ſectatores Salmanticenſes *d. cap. 9. num. 50.* & ibi Sanchez *d. libr. 4. diſp. 18. num. 15.* Baſilius Pontius *d. lib. 4. cap. 14. num. 12.* Henriquez *lib. 11. cap. 9. num. 7.* Bonacina *de Matrim. q. 3. punct. 8. num. 24.* Sylveſter *Verb. Matri-*

Matrimonium. 8. *q.* 11. *dub.* 3. Rebellius *libr.* 2. *q.* 9. *num.* 20. & alii Carmelitæ plures; quibus consonat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 19. *toto art.* 4. ubi *à num.* 170. plures adducit rationes, & inter cæteras, quia eatenùs Ecclesia in pluribus *texx.* Canonicis judicavit, pro validitate Matrimonii ob subsequutam copulam, quia, ut in eis legitur, præsumptio stabat pro cessatione Metus, & novo consensu libero; sed si copula exigatur expressè per Metum, vel sequatur durante Metu, cessat præsumptio prædicta. Ergò non sufficit copula subsequens ad validandum Matrimonium. Subindè *num.* 172. respondet primo argumento opinionis contrariæ, & ostendit, Metum adhuc esse cadentem in constantem virum, etsi eligat copulam, quæ reputatur peccaminosa; homo autem fortis, & constans debet potiùs eligere mortem, quàm peccatum;
38 nam, inquit, *Hoc assumptum est falsum; imò est ad oppositum; nam consummans Matrimonium ob mortis Metum, id facit animo conjugale, non concubinario; & eligit ex Metu copulam affectu maritali ad effugienda damna gravia mortis; & sic patitur Metum cadentem in constantem virum.* Aliam responsionem eidem primo argumento dant Salmanticenses *d. cap.* 9. *num.* 62. dicentes: *In tali casu datur in Metum patiente duplex consensus, unus in Matrimonium, alter in copulam: primus, per quem eligit Matrimonium, ut mortem evadat, est ex Metu viri constantis, & ideò illud irritum reddit, quia non consentit in peccatum, ut mortem effugiat. Secundus verò, quo amplectitur culpam, ut à morte liberetur, est viri inconstantis; ideòque compatitur, quòd Matrimonium sit irritum, & illicita consummatio ejus;* ideòque Salmanticenses tenent, ipsam copulam esse peccatum mortale. Ad Secundum argumentum respondent, quòd nemo potest renunciare favori ob bonum publicum introductum, etsi concernat etiam ipsius privati utilitatem; quare si duret Metus, & causa Metus, copula, & consummatio Matrimonii non convalidat illud, quod antea ex eodem Metu gravi nulliter erat contractum; ut in terminis copulæ subsequutæ, & Matrimonii consummati scribunt Abbas, Præpositus, Alexander de Nevo, Parisius, Navarrus, Menochius, & alii, quos citat, & sequitur Sperellus *Decis.* 25. *num.* 19. ubi mordicus stat pro nullitate Matrimonii, copula non obstante; & citat Rotam coram Cardin. Seraphino *Decis.* 863. *num.* 7. ubi hoc ipsum affirmat, prout novissimè *in Neapolitana Nullitatis Matrimonii* coram R. P. D. Calataju *die Veneris* 11. *Januarii* 1675. quæ impressa habetur inter recentiores *part.* 18. *decis.* 405. *num.* 9.

Corollarii loco duo, notatu digna, sunt Studioso Lectori tradenda. Unum est, superfluum esse disputare, An Matrimonium per Metum gravem, etiam coram Parocho, & testibus contractum invalidè, postea revalidetur per subsequentem copulam carnalem, seu voluntariam
39 cohabitationem; siquidem à Sacra Congregatione declaratum est, quòd quotiescunque Matrimonium invalidè initum fuit ex quocunque publico impedimento dirimente; eo cessante, non sufficit novus consensus conjugum ad illud revalidandum, nisi præstetur iterùm coram Parocho, & testibus juxta Decretum S. Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Matrim. cap.* 1. *Vers. Qui aliter.* De prædicta autem declaratione S. Congregationis testantur Rotæ Decisiones coram Cardin. Seraphino *Decis.* 900. & coram Ludovisio *Decis.* 395. nec non Basilius Pontius *libr.* 5. *de Matrim. cap.* 6. *num.* 7. & Fagnanus *in cap. De illis. num.* 13. De *Desponsat. Impub. tom.* 6. *pag.* 23. Undè non sunt attendenda, quæ in contrarium scripserunt Sanchez *lib.* 2. *disp.* 37. *num.* 14. Rebellius *part.* 2. *libr.* 2. *punct.* 9. *num.* 5. & 6. & Gobatus *tract.* 9. *num.* 500. *nec non tract.* 10. *num.* 415. ac alii Moralistæ ibi allegati. Alterum notatu dignum est, quòd si occurrat in praxi aliqua causa nullitatis Matrimonii per Vim, 40
& Metum initi, videndæ sunt Decisiones Rotales coram Buratto *Decis.* 86. & *Decis.* 213. positæ etiam, illa *in part.* 1. *recent. Decis.* 643. ista in *part.* 3. *Decis.* 784. Item coram Seraphino *Decis.* 859. coram Penia *Decis.* 1140. coram Ludovisio *Decis.* 326. & *Decis.* 374. prout etiam in *part.* 16. *recent. Decis.* 38. atque in *part.* 18. *Decis.* 405. *tom.* 2. Legendus pariter Sperellus *Decis.* 5. *Decis.* 6. & *Decis.* 25. Barbosa *in Vot. Decisivis libr.* 1. *Vot.* 1. & *libr.* 2. *Vot.* 16. Cæsar de Panimollis *Decis.* 19. *Decis.* 29. & *Decis.* 102. Eminentiss. Cardin. de Luca *de Matrim. disc.* 4. & *disc.* 6. doctissimus Jacobus Pignatellus J. C. Romanus *tom.* 9. *Consult.* 180. 181. & 182. ubi materiam Vis, & Metus plenissimè explicat; prout etiam Vincentius de Justis De *Dispensat. Matrimonial. lib.* 2. *cap.* 12. ubi copiosissimè alios Auctores allegat, & *num.* 20. demonstrat, super hoc Impedimento *Vis*, & *Metus* Summum Pontificem non posse dispensare, & *sub num.* 67. subdit, quòd Sacra Congregatio *die* 15. *Septembris* 1629. teste Pyrrho Corrado *Disp. Apostol. libr.* 7. *cap.* 7. *num.* 42. declaravit invalidum quoddam Matrimonium contractum à filia propter Metum mortis sibi à Matre incussum, quamvis illa, post obitum Matris, per Septennium cum Viro parmansisset, & filios procrasset.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Ostendit hæc Decisio, irrita esse Matrimonia contracta ab Ordinatis in Sacris; & quibus pœnis jidem sic contrahendes afficiantur? E converso docet, Uxoratum posse Ordinari in Sacris, quinque tamen concurrentibus conditionibus. Agitur de causis, ob quas Papa possit dispensare, ut Ordinatus in Sacris Uxorem ducat. Exempla hujusmodi Dispensationum, & præcipuè de Anno 1690. sub Alexandro VIII.

SUMMARIUM.

1 *Ordinis Sacri impedimentum dirimens explicatum Decis. XXI.*
2 *Ordines Minores an impediant Matrimonium contrahendum?*
3 *Ordo Sacer illud impedit, & dirimit.*
4 *Pœnæ contra ordinatos in Sacris contrahentes Matrimonium.*

5 *Conjugatus potest ad Ordines Sacros promoveri, quinque concurrentibus conditionibus. Et quæ?*

6 *Uxoris licentia omninò necessaria, ut Maritus suscipiat Ordines.*

7 *Uxor, cujus Maritus ordinatur, debet castè vivere, etiam post ejus mortem.*

8 *Si Juvenis ipsa sit, debet Monasterium ingredi.*

9 *Maritus si fiat Episcopus, Uxor debet intrare Monasterium. Et cur?*

10 *Episcopi consensus necessarius, ut conjugatus ordinetur.*

11 *Ratum sit sit Matrimonium, an Maritus possit Sacrum Ordinem suscipere sine licentia Uxoris?*

12 *Ordinatus in Sacris absque intentione servandi castitatem, an validè contrahat Matrimonium?*

13 *Papa potest dispensare in Votis solemnibus Castitatis pro Matrimonio ineundo.*

14 *Causa pro dispensandis dictis Votis an debeat concernere publicam utilitatem?*

15 *Subdiaconus, ut Uxorem ducat, de facili dispensatur.*

16 *Subdiaconus ad Matrimonium dispensatus an teneatur recitare Officium?*

17 *Causæ tres præcipuæ dispensandi ad Matrimonium ordinatos in Sacris.*

18 *Alexandri Papæ VIII. Breve dispensationis pro Subdiacono ad Matrimonium.*

19 *Voto duplici solemni Castitatis adstrictus potest dispensari ad Matrimonium.*

20 *Torturæ subjiciendus super intentione Subdiaconus iniens Matrimonium, vel conjugatus Ordines suscipiens sine requisitis à Jure.*

INter impedimenta dirimentia Matrimonium (post illud ex Vi, & Metu consurgens) sequitur aliud de Ordine Sacro; de quo in præ-1 senti est agendum, sed summa cum brevitate, tum quia supra in his Decisionibus de Matrimonio, quandò de Impedimento Voti egimus *Decis. XXI.* etiam de Ordine Sacro, Matrimonium postea contractum dirimente disseruimus; tum etiam quia in aliis nostris Decisionibus *De sacrament. Ordinis Decis. XXVII.* ostendimus, obligationem castitatis ab initio Ecclesiæ, ac semper successivis temporibus annexam fuisse Ordinibus Sacris; eamque, sivè proveniat ex Jure Divino, sivè ex solo Jure Ecclesiastico, ut ibi disputavimus *num. 5. & num. 14.* esse impedimentum non solùm impediens Matrimonium contrahendum; sed etiam dirimens contractum *ex cap. 1. De Voto, & Voti redempt. in 6.* quare in præsenti pro majori hujus Impedimenti explicatione sequentes septem conclusiones duximus annotandas.

Prima conclusio. Quamvis minores Ordines nec impediant, nec dirimant Matrimonium. *cap. Si quis eorum. dist. 32. cap. Si quis Clericorum.* 2 *De Cleric. conjug.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 28. num. 2.* nec peccet Clericus, solos minores Ordines habens, Matrimonium contrahendo. Bonacina *de Matrim. q. 3. punct. 9. propos. 1. num. 3. & 4.* attamen Ordo Sacer, qualis est 3 Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, non solùm impedit Matrimonium contrahendum; sed etiam dirimit Matrimonium post ejusdem Ordinis Sacri susceptionem contractum. *d. cap. Si quis eorum. dist. 32. & cap. 1. De Voto in 6.* Navarrus *in Summa cap. 22. num. 52.* Sanchez *d. lib. 7. disp. 28. num. 2.* nec de hoc dubitari potest, attento Concilio Tridentino, à quo *in sess. 24. de Matrim. can. 9.* ita diffinitum fuit: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse. Anathema sit.* Quod adeo verum est, ut quilibet Clericus, tàm Latinus, quàm Græcus, aliquo Ordine Sacro insignitus, si Matrimonium absque dispensatione Apostolica de facto contrahat, non solum nulliter, ac invalidè contrahat. *cap. Erubescant. dist. 32. d. cap. Si quis Clericorum. De Cleric. conjug.* Sed etiam dicatur Apostata, fiat irregularis, ac Excommunicationem latæ Sententiæ incurrat per *Clem. 1. De Consangu. & Affinit.* Majol. *de Irregularitate lib. 5. cap. 34. num. 5.* & censeatur de Hæresi vehementer suspectus; & contra illum possit S. Officium Inquisitionis procedere, ut scribit Simanca De *Catholic. Institit. tit. 40. num. 9.* & Carena *de Offic. Inquisit. part. 2. tit. 17. §. 3.* cum quibus concordat Sperellus *Decis. 3. num. 83.* imò ipse Parochus, qui scienter prædicto Matrimonio assisteret, esset ipso jure excommunicatus. Majolus *lib. 3. cap. 25. num. 16.* Et quòd Matrimonia etiam Græcorum inita post susceptos Ordines Sacros sint invalida, & nulla, plenè probat Pignatellus *tom. 8. Consult. 81.* Dixi, si absque dispensatione Apostolica; nam, cùm hoc impedimentum ex magis communi opinione DD. proveniat ex solo Jure Ecclesiastico: Garz. *de Benef. part. 7. cap. 10. num. 64. & 65.* & ut scripsimus *De Sacram. Ord. d. Decis. 27. num. 63.* in eo Papa potest dispensare, & concedere, ut ordinatus in Sacris licitè, ac validè ineat Matrimonium, ut demonstrabimus infra in Conclusione Quinta.

Secunda Conclusio: quamvis autem ordinatus in Sacris non possit contrahere Matrimonium, non sequitur è contra, quòd conjugatus, & existens in Matrimonio non possit ad 5 Ordines Sacros promoveri, quia non repugnat de Jure Divino status conjugalis cum Ordine Sacro; imò in primitiva Ecclesia plurimi Uxorati, pietate, ac doctrina conspicui, ad Ordines Sacros, & ad Episcopatum promovebantur; & nunc etiam possunt promoveri; servatis tamen infra scriptis conditionibus Prima: Ut concurrat licentia & consensus Uxoris. *cap. Conjugatus. 5. De Convers. Conjugat.* Extravag. *Antiquæ. De Voto, & Voti Redempt.* quæ licentia adeò necessaria est, ut sine illa conjugatus neque minores Ordines, neque solam primam Tonsuram possit suscipere. Sanchez *d. libr. 7. disp. 38. num. 6.* Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib. 1. cap. 33. num. 127.* & si sine dicta licentia Maritus, sciens Uxorem suam vivere, ordinaretur, esset irregularis, non haberet Ordinis executionem, ad altiores promoveri non valeret, nec beneficia obtinere.

obtinere. *d. Extravag. Antiquæ.* Sanchez *d. lib. 7. disp. 49. num. 2.* Layman *libr. 5. tract. 10. part. 4. cap. 1. num. 3.* quamvis postea consensus Uxoris subsequeretur. Aversa *de Sacram. Ordin. q. 4. sect. 9. Vers. Tertiò si quis.* Quòd si Uxore contradicente ordinatus, ab ea revocaretur, deberet eidem adhærere, debitum reddere, sed non petere. Sanchez *d. libr. 7. disp. 38. numer. 21.* Majolus *de Irregular. libr. 1. cap. 34. num. 1.* Parisius *de Resignat. libr. 3. q. ult. num. 135.* Et idem esset, si Uxor ob gravem Metum licentiam Viro concessisset Ordines suscipiendi. Aversa *de Matrim. qu. 15. sect. 3. Vers. Secundò.* Secunda conditio est, ut uterque conjux emit-
7 tat Votum perpetuæ Castitatis; tum ipsa Uxor, quæ propterea castè vivere debet, & mortuo Viro, non poterit alteri nubere ob reverentiam Ordinis à Marito de ejus licentia suscepti. *cap. Quia sunt. dist. 28. cap. Ad Apostolicam. 10. De Convers. Conjugat.* Aversa *d. q. 15. sect. 3 Vers. Sextò.* Layman *d. cap 3. numer. 5.* tum ipse Vir, qui vult ordinari; imò iste ad minores non est promovendus, nisi habeat animum ascendendi ad Sacros; & hoc sivè agatur de Latino Viro, sivè de Græco. Sanchez *d. lib. 7. disp. 4. num. 2. & disp. 38. n. 8. & 9.* Non esset autem obligata Uxor ad prædictum Votum continentiæ emittendum, si antea inter eam, ac maritum suum ex justa causa divortium perpetuum factum fuisset. *cap. Constitutus. 11. cap. Veniens. 16. de Convers. Conjug.* Sanchez *libr. 10. disp. 11. n. 16.* Basilius Pontius *lib. 9. cap. 13. à num. 5.* Tertia
8 conditio est, & ipsa Uxor, si juvenis sit, & suspecta de incontinentia, non solùm voveat castitatem, sed etiam ingrediatur Religionem; secùs autem si senex esset. Sanchez *d. libr. 7. disp. 39. n. 6.* Aversa *de Sacr. Ord. q. 4. sect. 10. Vers. Sextò ulteriùs.* Et de Matrim. *quæst. 15. sect. 3. Vers. Sextò.* Quarta conditio, si Vir non solùm esset ad Ordines Sacros promovendus, sed etiam ad Episcopatum; Uxor etiam senex debet ingre-
9 di religionem, ob reverentiam Episcopalis dignitatis, & hoc ad tollendas occasiones accessus fœminarum ad ejus domum, si in Episcopio Uxor (etsi senex, & continens) cohabitaret. *cap. Sanè 6. Convers. Conjug.* Sanchez *d. lib. 7. disp. 41. num. 2.* Justus *de Dispens. Matrim. lib. 2. cap. 14. num. 67. & 68.* qui id ampliat, casu quo Maritus fieret S. R. E. Cardinalis Quinta conditio est, ut Vir conjugatus possit ordinari, ut concurrat consensus, & licentia Episcopi, non solùm de honestate, ut sentit Guttierez *de Matrim. cap. 95.*
10 *num. 4.* Sanchez *d. lib. 7. disp. 32. num. 3.* sed etiam de necessitate; quia ad Episcopum spectat inspicere, an conjux in sæculo remansurus extra periculum incontinentiæ existat. Bonacina *de Matrim. quæst. 3. punct. 4. n. 12.* & Diana *part. 4. tract. 4. resol. 73. §. Notandum est.* Quæ habetur in Coordin. *tom. 2. tract. 6. resol. 222.*

Tertia Conclusio: Conjugatus absque licentia Uxoris non potest Sacros Ordines suscipere, quamvis Matrimonium esset Ratum tantummodò, non autem consummatum. Aversa
11 *de Matrim. quæst. 4. sect. 9. Vers. Nec licet Viro.* Justus *d. lib. 2. cap. 14. num. 24.* ubi bene notat, hanc esse differentiam inter susceptionem Ordinis Sacri, & Professionem Religiosam, ut per istam Matrimonium ratum dissolvatur, & conjux remanens in sæculo possit alteri nubere; non etiam per ordinationem in sacris, ut *in d. Extravag. Antiquæ. De Voto.* Quapropter, si de facto ordinaretur in Sacris Vir conjugatus, absque consensu Uxoris ultra pœnas supra recensitas *concl. 2. condit. 1.* teneretur adhærere Uxori, eique debitum reddere, non autem ab ea petere, nisi dispensationem à Papa obtinuisset. Aversa *de Ordine quæst. 4. sect. 9. d. Vers. Nec licet.* Majol. *de Irregul. lib. 1. cap. 4. num. 8. Vers. Sunt autem.*

Quarta Conclusio: Ille, qui Sacros Ordines suscepit cum expressa intentione non ser-
12 vandi castitatem, neque se obligandi ad Votum continentiæ, iisdem Ordinibus annexum, adhuc obligatus est continentiam servare; & si de facto Matrimonium contraheret, illud esset irritum, & invalidum ob hoc Impedimentum dirimens Ordinis Sacri; ea ratione, quia qui vult consequens, vult etiam antecedens; & cùm prædictus ordinatus voluerit suscipere Ordines Sacros, censetur voluisse se obligare ad Votum solemne castitatis servandæ, & ad inhabilitatem contrahendi Matrimonium. Farinacius *Consil. crimin. lib. 1. consil. 17. num. 7.* Sanchez *d. lib. 7. disp. 27. num. 12.* Justus *d. lib. 2. cap. 14. num. 30. & seqq.* ubi limitat, nisi fuisset ordinatus per vim, & metum gravem, cadentem in constantem Virum, quo casu characterem non recepisset. *cap. Majores 3. De Baptismo.* Sanchez *d. lib. 7. disp. 29. num. 2.* Vel nisi ante pubertatem, & usum rationis fuisset ad Ordines promotus; factusque adultus non ratificaverit, tunc enim nec tenetur ad Votum castitatis, nec subjacet Impedimento Ordinis dirimenti Matrimonium. *cap. Ad nostram. De Regular.* Sanchez *d. disp. 29. num. 6.* & alii DD. quos citat, & sequitur Justus *d. lib. 2. cap. 14. num. 33.*

Quinta Conclusio: Cùm nefas sit negare potestatem in Summo Pontifice dispensandi in Votis solemnibus castitatis, ad effectum, ut, justa causa concurrente, illi, qui Votis illis sunt 13
adstricti, possint Matrimonium contrahere, ut ostendunt Innoc. in *cap. Cum ad Monasterium.* & ibid. Fagnanus *De Statu Monachor.* & nos latè probavimus supra in hoc tractatu *de Matrim. Decis. XXI.* tantummodò notandum venit, An causa debeat respicere publicam utilitatem, vel satis sit, si solam utilitatem, privatam concernat, dummodò sit justa, & rationabilis? In qua quæstione etsi alii opinentur, necessariam esse causam, quæ concernat publicam utilitatem ex doctrina S. Thomæ *in 4. sent. dist. 38. quæst. 1.* 14
art. 4. ad 3. ut scribit Belletus *Disquisit. Clerical. part. 1. tit. De Disciplina Cleric. §. 9. num. 13. & 14.* ubi refert Exempla, non solùm de Clericis, & Regularibus habilitatis ad Matrimonium, sed etiam de Monialibus, & Sanchez *in Decalog. libr. 5. cap. 2. num. 5.* alii verò teneant sufficere, si causa respiciat solam privatam utilitatem, dummodò nitatur ratione, & aliquo modo ex benemerentia petentis compensetur Votum Castitatis, ut tradit Cardin. Cajetanus *in Opusc. tom. 1. tract. 27. de Dispensat. Matrim. in Occid. Eccles. q. Unic. Vers. Quoad Tertium.* quem sequitur Suarez *de Relig. tom. 3. libr. 9. De Voto Castitatis cap. 20. num. ult.* & Diana Coordinatus *tom. 3. tract. 1. resol. 79. §. 12.* Quæ stat in Veteri *part. 10. tract.*

tract. 12. resol. 1. concorditer tamen dicunt tam Theologi, quàm Canonistæ, quòd ubi agitur
15 de dispensando, ut simplex Subdiaconus possit contrahere Matrimonium, satis est quæcunque causa rationabilis, quæ pro objecto habeat privatam utilitatem; itaut in Diaconatu, & in Presbyteratu urgentior causa sit expetenda, concernens publicum Ecclesiæ bonum, ut fusiùs disserit Illustrissimus Prosper Bottinus Episcopus Myrensis, in Curia Romana, ob eximias suas Virtutes, Prælatus celsissimæ existimationis, in suo Voto *De causis dispensandi in Voto solemni Castitatis* impresso apud Justum *de Dispensat. Matrim. libr. 3. cap. 15.* in quo Voto *num. 13.* allegatur Eminentiss. Cardin. Albitius *de Inconstant. in fide cap. 36. num. 134.* hæc dicens: *Ego tempore mei Assessoratus vidi pluries Summos Pontifices dispensasse, ut qui erat in Ordine Subdiaconatus, posset contrahere Matrimonium. In Diaconatus constitutos ferè nunquam; in Sacerdotio nunquam dispensatos, multò minùs in Episcopatu:* repetens *num. 145. Hodiernis sæculis non vidi dispensatum super Voto solemni ad Matrimonium contrahendum, nisi ut supra dixi, in constituto in Ordine Subdiaconatus.* Igitur consuevit Ecclesia ob rationabilem causam, aliquando dispensare cum Ordinatis in Sacris ut Matrimonium contrahere valeant. Exemplum refert de Ethelupho Angliæ Rege Spondanus *Ad Ann. Chr. 847. num. 8.* ita scribens: Porrò illum olim Sacris fuisse Ordinibus initiatum, nempè Subdiaconatu; sed Patre sine alio hærede moriente, Romanum Pontificem cum eo dispensasse, ut Uxorem duceret, ut traditur in Vita S. Suvithuni Wintonienſis Episcopi apud Surium *die 2. Julii* Porrò obtenta dispensatione Ordo Sacer nec impedit, nec dirimit Matrimonium contrahendum, quia ejusdem dispensationis vigore licitè, ac validè ab ordinato in Sacris conjugium contrahitur, nisi aliud ei obstet impedimentum, ut firmat Justus *d. lib. 2. cap. 14. num. 20. & 21.* subdens; quòd deinceps ipse ordinatus non tene-
16 tur deferre Habitum, & Tonsuram Clericalem, neque recitare Horas Canonicas, quia tunc jam translatus est ad statum sæcularem, solo charactere indelebili in ejus anima manente; & per consequens non gaudet ampliùs privilegio clericali, quod latè differit etiam Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 8. num. 11.* Sqillantes *De Privileg. Cleric. cap. 7. num. 39.* & Diana *part 8. tract. 3. resol. 34.* quæ reposita invenitur in ejus Operis Coordinati *tom. 3. tract. 2. resol. 52.*

Sexta conclusio. Inter cæteras verò causas, quibus Papa solet dispensare, ut Ordinatus in Sacris possit Uxorem ducere, tres præcipuè à DD. recensentur. Una est ob excellentiam me-
17 ritorum vel ipsius Ordinati, vel ejusdem progenitorum. Justus *lib. 3. cap. 12.* ubi *num. 2.* subdit, quòd dignum est, atque justum, ut Ecclesiæ benignitatem experiantur, qui apud ipsam benemeriti sunt, ut qui pro Fide Catholica, seu Romana Ecclesia, & in ejus servitiis bene se gesserunt, remunerentur, unde ipsi, & alii etiam, ad similia, & alia majora peragenda alliciantur, & animosiores fiant, ut scribit etiam Sanchez *d. lib. 8. disp. 19. num. 32.* Diana *d part. 8. tract. 3. resol. 93.* existente *in Coordin. tom. 3. tract. 2. resol. 123.* & Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 4. num. 194.* Vel si Ecclesias construxerunt, aut pia Collegia, seu Monasteria; quia hujusmodi constructiones apprimè tendunt ad propagationem Catholicæ Fidei, & ad Divinum cultum augendum. *cap. fin. dist. 96. cap. Piæ mentis 16. quæst. 7.* latè Emanuel Gonzalez *in Comment. cap. Ad audientiam num. 2. & seqq. de Eccles. ædifican.* Secunda causa est ob alicujus piæ, ac illustris Familiæ conservationem; quia talis conservatio, per propagationem ejusdem sanguinis, tendit in bonum publicum, & in dilatationem pietatis. Menochius *consil. 426. n. 13.* Card. Mantica *de Conjectur. Ult. Volunt. libr. 7. tit. 1. n. 45.* Sanchez *d. libr. 8. disp. 10. n. 31.* & Vincentius de Justis *eod. libr. 3. cap. 15. n. 2.* Tertia est interceſſio alicujus magni Principis, ut bene considerat Diana Coordinatus *tom. 3. tract. 1. resol. 79. §. 12.* quæ in Veteri reperitur *part. 10. tract. 12. resol. 1.* cujus causæ ponderatione, ac aliarum duarum supra recensitarum, quia Summus Pontifex Alexander VIII. *Anno 1690.* consimilem dispensationem concessit, ut Canonicus Passavienſis, Subdiaconatus Sacro Ordine insignitus, posset Matrimonium contrahere, placet hic subjungere ejusdem dispensationis Apostolicum Breve, impressum apud eundem Vincenti-18
um de Justis *Dispensat. Matrim. lib. 3. cap. 15.* tenoris hujusmodi.

A Tergo: *Venerabili Fratri Archiepiscopo Pragensi.* Intùs verò ALEXANDER PAPA VIII. *Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecit Dilectus Filius Franciscus Leopoldus Guilielmus Comes Slabata, Canonicus Ecclesiæ Passavienſis, quòd cùm nuper, quondam Comes Jo. Joachimus dicti Francisci Leopoldi Guilielmi Frater, nulla relicta prole masculina, diem suum clausit extremum, ipse Franciscus Leopoldus Guilielmus, qui in Sacro Subdiaconatus Ordine constitutus existit, solus in sæculo, ex sua illustri, & antiquæ Familia superstes remansit. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, idem Franciscus Leopoldus Guilielmus, eandem Familiam suam, Domino benedicente, propagandi, ac Charissimi in Christo Filii Nostri Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, enixis hac in re desideriis obsecundandi studio, ad Laicalia Vota transire, ac Matrimonium contrahere posse, adeoque sibi de opportunæ super Sacri Subdiaconatus Ordinis hujusmodi impedimento, Dispensationis Gratia à nobis in præmissis provideri plurimùm cupiat: Nos ipsum Franciscum Leopoldum Guilielmum, etiam meritorum ipsius Majorum, insignium Catholicæ Fidei Defensorum intuitu, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes: & à quibusvis Excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendorum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ipsius Leopoldi Regis, Familiæ præfatæ, singulari*

in

in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotione fulgentis, conservationem, ob bonum publicum, summoperè exoptantis, nomine, super hoc Nobis humiliter porrectis, benignè inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, à Sede Apostolica specialiter deputatorum, qui plurium in Sacra Theologia Magistrorum, ac Decretorum Doctorum, super hujusmodi re sententias audierunt, matureque discusserunt, consilio; Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus: ut constito Tibi de narratis, cum eodem Francisco Leopoldo Guilielmo, super impedimento Sacri Subdiaconatus Ordinis supradicti, itaut illo non obstante, dummodo nullum aliud canonicum ei obstet impedimentum, Matrimonium cum quacunque muliere Catholica, nullo sibi, cæteroque in Jure prohibita, semel, vel pluries, successive tamen contrahere, illudque in faciem Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodùm remanere licitè, liberèque, & validè possit, & valeat, Auctoritate Nostra Apostolica, de specialis dono gratiæ, dispenses; Prolem exindè suscipiendam legitimam nuntiando. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. *Januarii* 1690. *Pontificatus Nostri Anno primo.*

Joannes Franciscus Albanus Secr.

Septima Conclusio: Non solùm dispensare Papa potest, ut Clericus sæcularis in Sacris Ordinatus licitè, & validè Matrimonium contrahat; sed etiam si prædictus Ordinatus sit Regu-
19 laris Professus, & duplici Voto Castitatis adstrictus, Ordinis scilicet Sacri, atque Religionis; ut ostendimus supra *Decis. XXI.* & docet idem Vincentius de Justis *d. lib. 2. cap. 14. num.* 129. ubi narrat dispensationem Nobilis Viri Monachi Ordinis S. Benedicti de Familia Veneta Justiniana, professi in Monasterio S. Nicolai de Littore Venetiarum. Concordat Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispensat. Apostolic. libr. 8. cap. 10. num.* 27. & prælibatus Illustrissimus Bottinus *in d. Voto num.* 27. ubi testatur, à Sixto Papa V. *die* 15. *Junii* 1588. fuisse concessam dispensationem Fr. Antonio de Giojosa Equiti Professo in Religione Hierosolymitana, & Priori Tholosæ, ut posset contrahere Matrimonium, ne ejus nobilissima Familia remaneret extincta.

Corollarii loco sunt hic jungenda verba Salelles, qui in *Tract. de Mater. Tribunal. S. Inquisitionis lib. 4. cap. 4. Regul.* 346. *num.* 155. ita dicit:
20 *Qui post Sacros Ordines susceptos, vel post emissam Professionem in aliqua Religione approbata; aut post emissa tria vota simplicia Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ in nostra Societate JESU, Uxorem duxerit, vel tentaverit ducere; atque è contra de eo, qui post contractum Matrimonium, Sacros Ordines susceperit, aut post consummatum, amplexus fuerit statum Religionis absque consensu Conjugis, sivè absque requisitis, à Jure Canonico assignatis: in unoquoque casu sic faciens redditur vehementer suspectus de hæresi; & postquam constiterit de corpore delicti, Torturæ ab Inquisitore super intentione subjiciendus est; & de his omnibus copiosè agit* Trasmeira *lib. 3. de Polygam. qu.* 12. & 13. & novissimè Pignatellus *tom. 8. consult.* 63. *à num.* 25. & *seqq.*

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Ad explicationem Impedimenti *Ligaminis*, Matrimonium dirimentis, recensentur omnia, quæ à Theologis, Canonistis, & Historicis traduntur de Polygamia, & Polyviria. Harum Vocum derivatione, divisione, ac definitione præmissis, refertur apud quas Nationes utraque fuerit in usu? Disputatur, An Polygamia, & Polyviria prohibitæ sint omni Jure, Divino, Naturali, Canonico, & Civili? Inquiritur, Utrùm peccaverint Patriarchæ antiqui, ac alii Hebræi Polygami? Quomodo potuerit Deus cum illis circa Polygamiam dispensare? Martini Lutheri, ac ejus discipulorum impium Votum, & Consilium datum in scriptis Landgravio Hassiæ, ut vivente prima Uxore, secundam duceret. Quibus pœnis Polygami sint plectendi? Bigamia, ac Biviria an sit licita? Mors primi conjugis quomodo sit probanda pro secundo Matrimonio contrahendo? Historiæ, Exempla, ac Jurium declarationes ad ornatum materiæ.

SUMMARIUM.

1 *Ligaminis impedimentum quid sit?*
2 *Polygamia undè dicta; & quotuplex sit?*
3 *Polygamiæ, ac Polyviriæ definitio.*
4 *Polyviria à quibus gentibus permissa?*
5 *Puella, cum qua quindecim fratres concumbebant.*
6 *Polyviria cur non fuerit in usu apud omnes.*
7 *Papyrii figmentum, ne secreta Senatus panderet Matri suæ.*
8 *Polygamia, ac Polyviria prohibita de Jure Divino.*
9 Deuteronom. 21. 15. *interpretatio.* & num. 13.
10 *Patriarchæ, & alii in lege Veteri Polygami.*
11 *Davidis Regis Uxores octo. Et quæ?*
12 *Salomonis quoque septingentæ. Roboamì decem & octo.*

14 *Deus an dispensaverit cum Hebræis in Polygamia?*
15 *Polygamia cur concessa antiquis Patriarchis?*
16 *Polygamia de Jure naturali an prohibita?*
17 *Fœminæ solutionis debiti conjugalis avidissimæ.*
18 *Papa an possit dispensare in Polygamia?*
19 *Deus an dispenset contra præcepta naturalia?* & num. 20.
21 *Polyviria à Jure naturæ extranea. Et cur?*
22 *Regina Cingæ, quæ habebat simul 40. Maritos.*
23 *Polygamia Hebræorum an esset cum Uxorum injustitia?*
24 *Polygamia Jure Ecclesiastico semper damnata.*
25 *Lotharius Rex Francorum Polygamus.*
26 Cap. Uxor. 32. quæst. 7. *declaratio.*
27 *Polygamia in Jure Civili damnata.*
28 *Repudium Uxorum Jus Civile permittebat.*
29 *Valentinianus Imperator Polygamus.*
30 *Martinus Lutherus Polygamiæ defensor.*
31 *Lutheri Votum, & Consilium de Polygamia datum Principi Landgravio.*
32 *Philippi Landgravii Hassiæ secunda Uxor, vivente prima.*
33 *Polygami quibus pœnis plectendi?*
34 *Polygami in S. Officio Inquisitionis torquentur super intentione.*
35 *Urbani VIII. Bulla contra Polygamos.*
36 *Polygami sunt irregulares, & incapaces Ordinum.*
37 *Bigamia, & Biviria quid sit? & an licita?*
38 *Mulier, quæ nupserat 22. Maritis, & Vir 20. Uxoribus.*
39 *Nuptiæ secundæ olim prohibitæ in pœnam delictorum.*
40 *Jus Civile prohibens secundas Nuptias correctum à Jure Canonico.*
41 *Mors primi Conjugis quomodo probanda pro secundo Matrimonio ineundo?*
42 *Matrimonium secundum, mortuo primo conjuge, & ejus morte non probata, an sit validum?*

LIgaminis Impedimentum impediens, ac dirimens Matrimonium, est inhabilitas ad novum conjugium contrahendum, qua afficitur, qui jam Uxorem habet, & de præsenti est Matrimonio alligatus, si quis enim conjugatus, ac Uxorem habens præsumeret unam aliam, vel plures mulieres in Uxores (prima vivente) sibi assumere, & de facto duceret, nullum esset quodcunque conjugium sic posteriùs initum ob Impedimentum Ligaminis, quod dirimit secundum Matrimonium, primo subsistente. *cap. Christiano; & cap. Audite. dist. 34. cap. Licitè. cap. Apostolus, & cap. Fieri. 32. quæst. 7. cap. 1. cap. Licet. & cap. Tuas.* De *Sponsa duor.* ac prædictus conjugatus, ita de novo aliud Matrimonium contrahens, committeret crimen Polygamiæ, & si crederet id fore licitum, esset excommunicatus juxta Concilium Tridentinum *sess. 24. de Matrim. can. 2. sic.* diffiniens: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere Uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum: Anathema sit.*

Ad intelligentiam igitur hujus Impedimenti dirimentis, quod vocatur *Ligamen*, referenda hic veniunt summatim ea omnia, quæ sparsim à Theologis, Canonistis, & Historicis traduntur de Polygamia; & singillatim est videndum:

1. Quid, & Quotuplex sit Polygamia?
2. An Polygamia, & Polyviria sit prohibita de Jure Divino?
3. An de Jure Naturali?
4. An de Jure Ecclesiastico?
5. An de Jure Civili?
6. Quibus pœnis afficiantur Polygami?
7. An Bigamia, & Biviria sit licita tum de Jure Divino, ac naturali; tum etiam de Jure Ecclesiastico, ac Civili? Et quomodo mors prioris conjugis probetur?

Quo ad Primum. Hoc nomen *Polygamia* componitur ex duabus vocibus græcis, *Poly*, quæ significat *multum*, & *Gamas*, quæ vult dicere *Nuptias*; ideò Polygamia interpretatur pluralitas Nuptiarum; quæ quidem est duplex, una illicita, ac prohibita; alia licita, & concessa: prima habet sub se duas species, ideò *Polyviriam*, ac *Polygamiam specificam*: Secunda subdividitur pariter in alias duas species subalternas, una quarum dicitur *Bigamia*, alia *Biviria*: & de singulis est agendum; nunc scilicet de duabus primis speciebus; de aliis duabus ultimis in ultima parte hujus Decisionis. Idcircò *Polygamia* illicita, ac prohibita definitur, quòd sit *Conjugium unius Viri cum pluribus Uxoribus simul retentis.* Ita Salmanticenses *tract. 9. de Matrim. cap. 5. num. 1.* ex qua definitione, vice versa, definitur *Polyviria* quòd sit *unius mulieris cum pluribus maritis simul retentis conjugium.* Et quoniam de usu Polygamiæ ante Evangelicam Legem non est dubitandum, tum apud omnes nationes barbaras, tum apud ipsos Judæos, ut ostendemus infra *num. 10. & 11.* disquirendum hic venit, an alicubi fuerit practicata etiam Polyviria? Et equidem eam in usu fuisse apud Persas, & Medos testantur Alexander ab Alex *libr. 1. cap. 24.* & Celius Rhodiginus *Antiquar. lect. lib. 18. cap. 29.* scribentes, prædictos populos licentiam concessisse Uxoribus suis, ut tot maritos sibi deligerent, quot sibi placerent; imò incivilis mulier illa videbatur, quæ ad minùs quinque maritos non haberet. De Britannis fœminis scriptum reliquit Julius Cæsar *in suis Commentar.* eas solitas fuisse nubere eodem tempore decem Viris, & ultra. Strabo quoque in descriptione Arabiæ *lib. 16.* narrat, consuetum fuisse apud Sabæos, & Nabathæos, ut una Uxor deserviret ad carnalem copulam omnibus viris ejusdem familiæ, & domus, qui propterea, cum intrabant ad illam, baculum suum pro signo ponebant ad ostium cubiculi; quo viso cæteri ab ingressu abstinebant, ut eosdem Auctores referens fusiùs differit D. Clemens Abbas Tosius, Monachus Congregationis S. Sylvestri, Ordinis S. Benedicti *in*

cti *in Descript. Geograph. & Histor. Indiæ Orientalis tom.* 2. *de Imperio Sinarum disc.* 2. *divis.* 3. *pag.* 403. ubi ex eodem Strabone hunc casum refert: *Era una giovine di bellezze rare, e figlia del Rè: haveva quindeci Fratelli, li quali erano tutti diventati suoi Mariti. Mà perche frequentavano troppo spesso, con entrare successivamente uno dopò l' altro da Lei, lasciando alla porta il solito segno del bastone, Ella infastidita pensò simile astutia. Procurò di contrafare i bastoni di ciascuno de' suoi Fratelli; è ciò fatto ne poneva uno alla porta; indi à poco levava quello, e con tale arte ve ne poneva un' altro; e così li Fratelli ingannati non ardivano entrare; finche dà un di loro fù scoperto l inganno in questa guisa. Trovavasi nel Foro con tutti i suoi Fratelli, da i quali partito per andare dalla Sorella, vidde un bastone alla porta; del che maravigliatosi, sapendo non poter' essere d' alcuno de' suoi Fratelli, che lasciati haveva nel Foro, sospettò che fosse di alcun' altro; onde infuriato se ne corse al Padre, per condurvelo, e farla cogliere in adulterio: il quale ivi giunto non vi trovò alcuno; mà ben' ammirò l' inventione altrettante sagace, quanto honesta di quella giovine.* Quòd si quis quærat, cur Polyviria non fuerit communis apud omnes nationes ad exemplum Polygamiæ, quam ante Legem Evangelicam omnes gentes erant amplexatæ? Respondet P. Stephan. Menochius Soc. Jesu *in Oeconomica libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. ob plures rationes. 1. Quia Viro tanquam Cæ-
6 piti, ac Superiori mulierum plus debuit competere, ac licere, quam istis. 2. Quia ex Polygamia multiplicatur proles, ut in filiis Jacob, ac Regis David apparet; ex Polyviria mulier fit inhabilis ad generandum, ut experientia docet in Meretricibus. 3. Quia ex eadem destruitur quies, & pax domestica, quæ sub pluribus maritis in eadem domo consistere non valet, juxta illud Lucani *libr.* 1. *Pharsal. post init.*

Nulla fides regni Sociis, omnisque potestas.
Impatiens consortis erit!

4. Quia si mulier illa conciperet, ac pareret nullus ex maritis educare vellet prolem, quam suam esse nesciret. 5. Quia inter eosdem maritos discordia ex Zelotypia nutriretur, dum unus minus amari ab Uxore, quàm alter putaret; & sicut tauri pugnant in armentis inter se ipsos, sic mariti digladiarentur, nam inconcussum est Proverbium Ovidii:

Non bene conveniunt, nec in eadem Sede morantur
Majestas, & Amor.

Et de se ipso, tanquam postposito à Lesbia, quæ magis Gellium uti pulcheriorem amabat, dolens cecinerat Catullus:

Gellius est pulcher, quid ni? quem Lesbia malit,
Quàm te cum tota gente, Catulle, tua.

Quaporpter his, & aliis rationibus à P. Menochio *ubi supra* consideratis, apparet Polyviriam tanquam pestiferam non fuisse usu receptam, etsi à Lycurgo in Republica Spartanorum concessam, ut notat idem Menochius *d. cap.* 8. *num.* 4. & à Matronis Romanis impensè desideratam, juxta Papyrii Prætextati egregium figmentum, 7
de quo Gellius *libr.* 1. *Noct. Attic. cap.* 23. & Macrobius *lib.* 1. *Saturn. cap.* 6. videlicet, quòd in Senatu disputatum fuerat, an duas Uxores uni Marito concedendas, vel duos Maritos Uxori uni? Quod Papyrii Mater credens esse verum, participavit aliis Matronis, quæ postridiè in magno numero ad Senatum confluxerunt, *deprecantes, Una potiùs ut duobus Viris nupta fieret, quàm Uni duæ;* refertur etiam à Jacobo Menochio *De Arbitr. Judic. casu* 420. *num.* 61. Et iisdem rationibus eamdem Polyviriam tanquàm primis principiis naturæ contrarium nunquam fuisse à Deo permissam, neque circa eam dispensationem datam observat S. Thomas *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. *art.* 1. & in addit. *ad* 3. *part. q.* 65. *art.* 1. *ad* 6. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 80. *num.* 15. ubi plures citat, & alios addunt Salmanticenses hoc idem notantes *d. tract.* 9. *cap.* 5. *n.* 2. & 3.

Quo ad secundum: in quo Quæritur; *An Polygamia, & Polyviria sit prohibita de Jure Divino?* Omnes DD. Catholici respondent affirmativè, & id probant ex sequentibus. Primò ex 8
Genes. 2. 22. ibi: *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*: per unam enim costam, & per unam mulierem significavit Deus unam tantùm Uxorem licitam fore; & plures esse prohibitas, ut habetur *in cap. Gaudemus. De Divortiis*; ubi habere plures Uxores Innoc. III. ait; *absonum hoc videtur, & inimicum Fidei Christianæ, cùm ab initio una costa in unam fœminam sit conversa.* Secundò: ob illa verba per os Adam à Deo prolata *Genes.* 2. 24. *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quæ repetita sunt à Christo Domino in Evangelio *Matth.* 19. 4. ibi: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos; & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Si ergo debent esse duo in carne una, Unus maritus de Jure Divino non potest ducere plures Uxores; neque una Uxor plures Maritos. Ita S. Hieronymus *in d. Matth.* 19. 4. *Hoc in exordio Geneseos scriptum est, dicendo Masculum, & Fœminam, non enim ait Masculum, & Fœminas; sed masculum, & Fœminam, ut unius conjugis consortia necterentur; & dixit, adhærebit Uxori suæ, non Uxoribus.* Concordat S. Jo. Chrysostomus. *Homil.* 63. *in Matth.* ita dicens: *Jussit, quòd unus uni conjungatur, nam si voluisset alteram etiam duci Uxorem, Uni Viro creato, multas conformasset mulieres.* Consimilem dat explicationem Theophilactus *ibid.* his verbis: *Ostendit opus, & Legislatorem ejus, qui nos à principio formavit, esse monogamiam: ab initio enim unum conjunxit Deus uni; atque ità non oportet unum virum conjungi multis.* Aliorum plurimorum *SS.* Patrum non diversas explanationes adducit Jodocus Coccius *tom.* 2. *Thesaur. lib.* 9. *art.* 2. ac eosdem *SS.* Patres hanc rationem considerantes allegat Sanchez *libr.* 7. *disp.* 80. *num.* 1. Tertiò: quia Deus, dum præcepit Noe ingressum ejus, ac filiorum, animali-

umque

umque in arcam, mentionem fecit de uno tantùm masculo, ac de una tantum fœmina omnium specierum, dicens *Genes.* 6. 19. *Ingredieris in arcam tu, & filii tui: Uxor tua, & Uxores filiorum tecum; & ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus, & fœminini.* Ergo ex Jure Divino prohibita erat Polygamia, non enim ordinavit, ut induceretur unus Masculus, & plures Fœminæ; sed Unus, & Una ex omnibus speciebus animalium. Quartò, Quia Apostolus Paulus quotiescunque commendat fidelibus statum Matrimonialem, loquitur eis in singulari numero; utpotè *ad Ephes.* 5. 33. *Unusquisque Uxorem suam sicut seipsum diligat. Uxor autem timeat Virum suum.* Item scribens *ad Rom.* 7. 2. ait: *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit Vir ejus, soluta est à lege Viri.* Idemque repetit 1. *Cor.* 7. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore Vir ejus vivit; quod si dormierit Vir ejus liberata est à lege, cui vult, nubat tantùm in Domino.* Igitur non nominando Uxores in plurali numero, neque Maritos; sed hos, & illas in singulari, denotat, à Lege Divina statutum fuisse, ut mulier Una uni tantùm Viro nuberet, & Unus Vir unam tantùm Mulierem haberet in Uxorem. Quintò, quia sic testatur Concilium Nicænum *can.* 24. ut legitur *tom.* 1. *Concilior. pag. mihi* 571. his verbis: *Nemo debet duas Uxores ducere, nec Uxori suæ alteram mulierem per concupiscentiam introducere, sicut Deus ordinavit.* Et Sextò adstipulatur Concilii Tridentini anathematizatio *d. sess.* 24. *can.* 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere Uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum; Anathema sit.*

At contra prædicta duæ gravissimæ fieri possunt objectiones. Una est, quòd nullus adest Sacræ Scripturæ locus, per quem Deus prohibeat pluralitatem Uxorum; imò statutum legi-
9 tur *in Deuteron.* 21. 15. quòd *si habuerit homo duas Uxores, unam dilectam, & alteram odiosam; genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerítque substantiam inter filios dividere; non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ.* Ergo tantum abest, quòd Scriptura Sacra Polygamiam prohibeat, quin ab eadem referatur, & approbetur pluralitas Uxorum. Altera objectio est, quæ valdè torquet Scriptorum ingenia, quòd Sancti Patriarchæ veteris Testamenti à pluralitate Uxo-
10 rum, & à Polygamia non abstinebant; siquidem Abraham duas eodem tempore habuit Uxores, Saram, & Agar. *Genes.* 16. 3. Jacob verò quatuor, Liam, Rachelem, Balam, & Zelpham. Torniellus *ad Annum* M. 2283. *num.* 3. Sic Helcanæ duæ erant Uxores Anna, & Phenenna; David verò decem, & octo, ut ex Lyrano advertit Basilius Pontius *de Matrim. d. lib.* 7. *cap.* 49. *num.* 5. & probatur ex Schemate familiæ David, quod ponit Salianus ad *Annum M.* 2981. *num.* 11. in quo nominatim ponuntur Davidis Uxo-
11 res octo, ideſt *Michol, Achinon, Abigail, Maacha, Haggith, Abital, Egla, & Bersabea;* ex quibus omnibus (prima Michole excepta) genuit plures filios, qui recensentur 1. *Paralipom.* 3. *à num.* 1. *& seqq.* deindè *num.* 8. dicitur, *Omnes hi filii David, absque filiis concubinarum.* Quas quidem concubinas ei fuisse decem, notatur 2. *Reg.* 15. 16. dum fugeret David à filiorore rebellis filii Absalomi: *ibi: & reliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* De Salomone autem ait Textus Sacer 3. *Reg.* 11. 3. *Fueruntque ei Uxores quasi Regine septingentæ, & concubinæ trecentæ.* De Roboamo autem ejus filio 2. *Paralipom.* 11. 21. *Uxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta; & genuit viginti octo filios, & sexaginta filias.* Nec est dicendum, quòd prædicti Patriarchæ, & Reges, tot mulieres sibi copulando, peccaverint, (ut aliquem posse suspicari dixerit Scotus *in* 4. *dist.* 32. *qu.* 1. relatus ab Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 24. *num.* 56.) quia, ut observat Sherlogus *tom.* 3. *in Cant. Vestig.* 34. *cap.* 6. *sect.* 1. *num.* 9. usus est Sacræ Scripturæ magnorum Virorum lapsus & referre, & fugillare; & de prædictis Patriarchis, & Regibus nullum reprehendit, nisi Davidem ex facto Bersabeæ Uxoris Uriæ, ejus jussu interfecti, 3. *Reg.* 15. 5. & Salomonem, qui ut mulieribus suis complaceret, Fana Idolorum constituxit. *Eccles.* 47. 21. Igitur, si Polygamia erat à Lege Divina prohibita, quomodò à prædictis Sanctis Viris, ac Regibus practicabatur?

Ad Primam objectionem respondet Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.* 24. *num.* 55. his verbis: *Nullus est Sacræ Scripturæ locus, qui verbis explicitis dicat, non accipies secundam Uxorem? transeat. Nullus locus, qui implicitè hoc dicat, & ab Ecclesia ita sit explicatus? Nego: nam, ut patuit, Patres, & Ecclesia locum Genes.* 2. 24. *sic explicant, & sic intelligendum statuunt.* Deindè resolvit aliam objectionis partem de duabus Uxoribus, de quibus in *Deuteron.* 21. 15. sic dicendo: *Moyses non loquitur de Viro habente simul duas Uxores, odiosam, & dilectam; sed de repudiante odiosam, & accipiente successive dilectam: in quo casu statuit, ut si ex odiosa habeatur primogenitus, hic non poterit postponi filio dilectæ, & privari Primogenitura.* 13 Recordetur Studiosus Lector ea, quæ diximus supra Decis. IX. de concesso Hebræis libello Repudii, per quod solvebant vinculum Matrimonii, adeò ut non solùm Vir repudians, sed etiam Uxor repudiata poterat alii nubere; & germanam esse supradictam responsionem cognoscet.

Ad Secundam objectionem respondet Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 80. *num.* 12. his Verbis: *Veteres Patres Legis antiquæ, pluribus Uxoribus conjuncti, culpæ immunes fuerunt, eò quòd Deus cum illis dispensarit.* 14 Et occurrentes replicationi, quam sibi fieri à legente prævidit, ubi legerit hanc dispensationem? statim subdit: *Hæc autem dispensatio non concessa est externa aliqua Scriptura, aut locutione; sed inspiratione interna, facta Patriarchis, quæ derivata est vi Exempli, & Consuetudinis ad reliquos ex populo Israelitico, ac proindè omnibus illis pluralitas Uxorum licebat.* Et pro tali responsione citat S. Thomam *in* 4. *Sent. dist.* 33. *qu.* 1. *art.* 2. *in corp.* & *ibid.* S. Bonavent. Richardum, Gabriel. Capreol. Durand. Sotum, & alios, inter quos Emin. Card. Bellarminum, *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 11. *propos.* 3. & 4. Valentiam 4. *d. disp.* 10. *q.* 1. *punct.* 3. Sanchezio adhæret etiam Basilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 49. *num.* 4. ibi: *Ex Revelatione ergo Divina tantùm ea pluralitas Uxorum illo inducta tempore.*

tempore. Si enim Uxorum unitas, ut Patres, & Concilia docent; est ex Lege Divina, sequitur, sine ejus dispensatione licuisse nulli. Quæ Revelatio primis Patriarchis expresse facta primum, ad alios eorum verbo pervenit, & exemplo. Et cum hac responsione transeunt omnes Theologi Scholastici, & Morales moderni, Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrimon. cap. 5. num. 31.* Lessius *in Opere Posthum. De Sacramento Matrim. cap. 1. dub. 6. & 7.* Et Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 24. à num. 64. & seqq.* ubi refert dicta SS. Patrum de eadem dispensatione per viam internæ Revelationis concessa, & allegat Innocentium Papam III. *in cap. Gaudemus. De Divortiis* sic loquentem: *Nec ulli unquam licuit, insimul plures Uxores habere, nisi cui fuit Divina Revelatione concessum, quæ mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quam sicut Jacob à mendacio, Israelitæ à furto, & Sampson ab homicidio, sic & Patriarchæ, & alii Viri justi, qui plures leguntur simul habuisse Uxores, & ab adulterio excusantur.* Ex Canonistis eandem responsionem tradit Emanuel Gonzalez *in cap. Accepisti. 2. De Sponsa. duorum*, ubi sub *num.* 8. adducit plurimos Sanctos Patres, ac Doctores primitivæ Ecclesiæ, qui asserunt, antiquos Patriarchas non peccasse, etsi Polygamos ob Divinam dispensationem, quæ fuit illis à Deo concessa post diluvium, *tum* (ut ipse ait) *ad multiplicationem generis humani, tum ad propagationem populi fidelis, & cultus divini, qui in sola familia Abrahæ,* 15 *ac deinde in populo Israelitico residuus fuit.* Idem affirmat ex Scriptoristis Sherlogus *in Cantic. d. tom. 3. Vestig. 34. sect. 1. num. 9.* pluribus SS.PP. adductis, *qui omnes respondent*, (ut ipse scribit) *Deum præpotentem, & supremum rerum universarum Dominum dispensasse cum Patriarchis.* Ex Annalistis autem Salianus considerans Polygamiam Regis David *ad Annum Mundi 2983. numer. 7. tom. 3.* ita de eo loquitur: *David adhuc Juvenis, amissa Michole* (Uxore sua)) *filia Saulis, non unam tantum, sed duas Uxores acceperat, DEO utique inspirante, quo inconsulto nihil admodum, quod alicujus momenti esset, agebat. Ad duas illas, tresve priores, brevi quartam, ad Regem Gessuri sibi affinitate obligandum, adjecit. Moxque addidit etiam quintam, sextam, & septimam, & de singulis, excepta Michole, singulos suscepit liberos.*

Quo ad Tertium; in quo petitur, An Polygamia sit prohibita etiam de Jure naturali? Omnes Theologi, ac Canonistæ pariter respondent Affirmativè, & id probant ex sequentibus rationibus. Primò, quia cum Jus naturale ni- 16 hil aliud sit, quàm dictamen rationis circa ea, quæ agenda, vel fugienda sunt, ut docet S. Thomas 3. *contr. Gent. cap.* 24. nec non 1. 2. *q.* 34. *num.* 1. est contra rationem, ut in contractu Matrimonii, in quo servanda est æqualitas, Mulier tradat corpus suum Viro privativè quo ad omnes alios; Vir autem corpus suum tradat Mulieri, cum facultate illud etiam aliis tradendi; contra id, quod docuit etiam Apostolus 1. *Cor.* 7. 4. dicens: *Mulier potestatem non habet sui corporis, sed Vir similiter, nec Vir potestatem habet sui corporis, sed Mulier.* Secundò, quia Jus naturale vult, ut inter Maritum, & Uxorem sit Societas, non autem ut hæc sit ancilla, aut inserviens; sed particeps Imperii in domo, ac familia, ut considerat S. Thomas 1. *p. q. 92. art. 3.* & ideò ex latere Viri fuit producta, non ex pedum ossibus, ut ostendatur prædicta Societas, & Imperii, ac gubernii domus participatio. Sed tale Imperium, ac gubernium requirit singularitatem, ut inquit D. Augustinus *libr. de bono conjug. cap.* 17. Ergo est contra Jus naturale plures simul habere uxores. Tertiò, Jus naturale requirit, ut inter conjuges servetur pax, quies, amor, & dilectio. Sed ubi sunt plures Uxores, non possunt esse prædictæ virtutes; quorum loco subintrant jurgia, rixæ, ac discordiæ; ut de Sara, & Agar legitur *Genes.* 21. 9. de Rachel, & Lia. *Genes.* 30. 1. ac de Anna, & Phenenna. 1. *Reg.* 1 6. Ergo pluralitas Uxorum est contra Jus naturale. Quartò. Natura ordinavit Matrimonium, ut proles a parentibus omni studio bene educetur, ac ad eorum hæreditatem admittatur. Sed ubi sunt plures Uxores ex eodem Viro diversos filios habentes, talis finis consequi non potest; cum Uxor prædilecta aliarum filios ab affectu, & à successione Patris repellat, ut de Adonia ex Haggith genito à David depulso à Bersabea, ac Salomone, ea instante, ad sceptrum admisso, testatur Scriptura. 3. *Reg.* 1. Ergo Polygamia est contra Jus naturæ. Quintò, Matrimonium est à natura institutum in remedium concupiscentiæ. Sed unus Vir pluribus Uxoribus satisfacere non potest ad sufficientiam in redditione debiti, cujus defraudatio eis magnopere displicet. Menochius *de Arbitr. Jud. d. casu* 420. *n.* 60. & cujus solutionis fœminæ sunt avidissimæ, ob nimiam, quam experiuntur, voluptatem, ut ex testimonio Medicorum notat Zacchias in *QQ. Medicol. lib. 3. tit. 1. q. 7. n. 15.* ubi ponit hæc Juvenalis carmina *ex Sat. 6.*

Quem præstare potest Mulier galeata pu- 17
dorem.
Quæ fugit à sexu, vires amat? hæc tamen ipsa
Vir nollet fieri; nam quantula nostra voluptas?

Igitur qui plures ducit, naturam ipsam offendit. Sextò, quia præceptum naturale est, ut quod tibi non vis, alteri non facias. Sed nullus est Maritus, qui velit, Uxorem suam nubere pluribus viris. Ergo ex præcepto naturæ, Vir non debet plures fœminas sibi nuptas copulare. Septimò tandem, quia quòd Matrimonium à principio suæ institutionis habuit, est de Jure naturæ. Sed à principio institutum fuit inter Unum; & Unam tantummodò, ut probatum est supra *num.* 8. Ergo unica Uxor est de Jure naturæ: pluralitas Uxorum est contra Jus naturale. Quare his, & aliis rationibus ita docent, & tenent Sanchez *d. libr. 7. disp.* 80. *n.* 4. Basilius Pontius pariter *lib. 7. cap.* 49. *num.* 3. Salmanticenses *d. tract. 9. cap. 5. & seqq. num.* 20. *& num.* 21. ubi ex hoc inferunt, quòd nec Ec- 18 clesia, nec Summus Pontifex potest ullo modo dispensare, ut quis plures Uxores ducat, cum Polygamia sit prohibita de Jure naturæ; & idem astruit Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 24. *num.* 39. Menochius *de Arbitrar. Judic. d. casu* 420. *à num.* 48. *& seqq.* & pluribus citatis Sherlogus *d. tom. 3. in Cantic. Vestig.* 34. *num.* 9.

Sed objiciet aliquis ; Deus non potest dispensare in his, quæ sunt contra præcepta naturæ, & dictamen rectæ rationis S. Thomas 1. 2.
19 *qu.* 100. *art.* 8. Theologi omnes cum Magistro Sent. *in* 1. *dist.* 48. & *in* 3. *dist.* 37. & ratio est, quia actiones contra naturalia præcepta, & rationis dictamen sunt peccaminosæ. Quomodò ergo dispensatum fuit cum Hebræis, & Patriarchis Legis antiquæ, ut plures eodem tempore Uxores haberent, si hæc dispensatio erat contra Jus naturale, & præcepta ab eo indita circa Matrimonium?

Tollitur objectio duplici Responso. Primum est quòd Deus tanquam Dominus supremus potest dispensare etiam contra jus naturæ, mu-
20 tando circumstantias rerum, itr ut dispensatio non sit peccatum, prout fecit, quando ordinavit Abrahæ, ut occideret filium suum Isaac; Hæbræis, ut vasa argentea auferrent Ægyptiis; & Oseæ, ut carnalem copulam cum fornicaria haberet; in illis enim casibus, ex Dei dispensatione, neque homicidium, neque furtum, neque fornicatio fuisset peccatum. Ita Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 7. *num.* 46. Secundum responsum est, quòd præcepta à Jure naturali circa Matrimonium statuta, alia sunt primaria, primum, & principale bonum ejusdem Matrimonii concernentia; quod est procreatio, & generatio prolis; & alia sunt secundaria, quæ spectant ad alia conjugii bona; ut reciprocus amor, institutio, ac educatio prolis perfecta, & similia. Primaria præcepta sunt indispensabilia, non autem secundaria; quia hæc etsi cum aliquo incommodo dispensentur, ob aliud majus bonum possunt compensari, & tolerari. Ita ex doctrina Scoti *in* 4. *dist.* 17. & *dist.* 26. *F.* & *dist.* 32. *G.* Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.* 24. *num.* 33. ubi hæc ponit: *Circa prima nulla cadit dispensatio, & ideò oppositum semper videtur esse peccatum: circa secunda cadit dispensatio, & sic (ut ait Scotus) in monogamia fuit aliquando à Deo dispensatum.*

Ex his justum est deducere, quòd Polyviria sit contra primaria præcepta pro Matrimonio à Jure Naturali edita; quia congressus carnalis
21 plurium Virorum cum una muliere implicat prolis procreationem, & destruit certitudinem genitoris, ideò in ea nunquam dispensatum fuit, neque potest dispensari; undè meritò scripsit Gobatus *de Matrim. tract.* 9. *num.* 279. *trans-*
22 *gressam esse omnes naturæ, & pudicitiæ metas illam Reginam Cingæ (est Regnum Cingæ non procul dissitum à Regno Congo) quæ priusquam à Patribus Capuccinis reduceretur ad Fidem Orthodoxam, à qua desciverat ad Atheismum, habebat copulatos sibi conjugio quadraginta Viros superstites.* Rationibus autem in contrarium adductis circa æqualitatem contractus Matrimonii, per quam, sicut Viro fuit permissa aliquando pluralitas Uxorum, ita videtur concessibilis Uxori multitudo Maritorum, ne ei fiat injustitia, minùs concedendo, quam marito, respondet E-
23 min. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 24. *à num.* 77. & *seqq.* quòd cessabat injustitia, tum quia Uxor nubebat Patriarchis cum hac conditione saltem tacita, ut ipsi possent alias Uxores sibi copulare; tum etiam quia erat differentia circa valorem corporum permutatorum; nam magis valebat corpus Viri, qui post fœcundatam Uxorem, habilis erat alias gravidare, at Uxor semel gravidata, ab aliis maritis iterum gravidari non poterat.

Quo ad Quartum. Polygamia est etiam prohibita de Jure Ecclesiastico, quia ab Ecclesia semper damnata, & nunquam permissa. Hoc probatur. Primò: *Ex can. Apost.* 48. dicente: *Si quis Laicus sua Uxore rejecta, aliam acceperit, vel ab alio solutam, segregetur.* Secundò: ex 24
Concil. Nicæno 1. *in cit. can.* 24. Ubi sic: *Nemo debet duas Uxores ducere, nec Uxori suæ alteram mulierem per concupiscentiam introducere.* Tertiò: ex Concilio Eliberitano *cap.* 8. & 9. sic decernente: *Fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ne ducat; sin autem duxerit, non prius recipiat communionem, quàm is, quem reliquerit, de sæculo exterit.* Quartò: ex *cap. An non.* 24. *quæst.* 3. ubi Nicolaus Papa sic ait Lothario Regi: *An non districta ultione feriendus es, qui in duabus Uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus esse dinosceris?* Lotharius ille fuit Rex Francorum Lotharii Imperatoris Filius, qui dimissa legitima conjuge, pellicem subintroduxit, & tentavit Polygamiam in suo Regno introducere; 25
sed fuit coercitus à Nicolao Papa I. ut differit Spondanus *ad Annum Christi* 863. *num.* 3. & nos diximus supra *Decis. X.* Quintò ex *cap. de Conjugali.* 27. *q.* 2. in quo Siricius Papa electus *Anno* 385. Hymerio Episcopo Tarraconensi sic respondit: *De conjugali violatione requisisti, si puellam alteri desponsatam alter in Matrimonium possit accipere? Tale ergo connubium anathematizamus, & modis omnibus, ne fiat, prohibemus.* Et jure quidem, quia in ea fuisset crimen Polyviriæ, in viro autem illam ducente adulterium. Sexto *in cap. Cum per bellicam.* cum quatuor *seqq.* 34. *q.* 1. in quibus decernitur, ultra primam uxorem, vel primum maritum, iisdem viventibus, alii non esse nubendum. Idem præcipitur *in cap. Videtur.* 35. *q.* 6. *in cap. Accepisti. De Sponsa duorum. & in supracit. cap. Gaudemus. De Divortiis* Septimò ex Synodo Romana sub Eugenio II. & Leone IV. *Anno* 853. in qua, inter cætera, statutum legitur: *Nulli liceat ullo tempore duas habere Uxores.* Octavò ex Joanne Papa VIII. electo *Anno* 872. qui in *Epist.* 198. sic scripsit: *Jubemus, ut nullus propriam relinquat Uxorem, & illa vivente alteram sibi sociare præsumat.* Nonò (omissis aliis *texx.* ac SS. Patrum contra Polygamiam dictis, relatis per Eman. Gonzalez *in cit. cap. Accepisti. num.* 3. *De Sponsa duor.*) ex Concilio Tridentino *d. sess.* 24. *de Matr. can.* 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere Uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum. Anathema sit.*

Verùm obstare videtur S. Ambrosius *in D. Pauli Epist.* 1. *ad Cor. cap.* 7. relatus *in cap. Uxor.* 32. *q.* 7. ita dicens: *Uxor à viro non discedat, nisi causa fornicationis; quòd si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur Viro suo, & Vir* 26
similiter non dimittat Uxorem. (Hæc Apostolus. Subdit deindè S. Ambrosius) *Ideò non subdit de Viro, quod de Uxore præmisit* (idest quòd maneat innuptus) *quia Viro licet ducere aliam.* Ergo ex hoc textu de Jure Ecclesiastico licita erat Polygamia. Glossa ad hunc textum respondet tripliciter. 1. Quòd illa ultima verba fuerunt à falsatoribus

satoribus inserta. 2. Quòd illo Ambrosius fuit alius à S. Ambrosio Episcopo, & Ecclesiæ Doctore. 3. Quòd illa verba intelligenda sunt, ut Viro liceat ducere aliam *adultera præmortua*. At Basilius Pontius *d. libr. 7. de Matrim. cap. 52. num. 3. & 4.* & respondet 4. Quòd, estò verba illa verè sint S. Ambrosii, ita fuit locutus juxta Leges Civiles Imperatorum, in quibus erat versatissimus; & à quibus concessum erat, ut dimissa Uxore ob adulterium, marito liceret, ea vivente, aliam Uxorem ducere, quod ex aliis *texx.* ostendit etiam *ibidem*.

Quo ad Quintum: Nihilominùs etiam de Jure Civili prohibitam fuisse Polygamiam apertè legitur *in Instit. §. Affinitatis. tit. de Nuptiis. in l. 2. C. de Incest. Nupt. in 18. C. De* 27 *Adulter. in l. Nemo. C. de Judæis.* & in aliis legibus; quas cumulat Eman. Gonzalez ad *d. cap. Accepisti. num. 6. De Sponsa duorum*, ubi etiam notat, quòd qui eodem tempore plures ducebant Uxores, notabantur infamia, & amittebant jus faciendi testamentum *ex l. 1. ff. De bis, qui not. infam.* & ex aliis Juribus & DD. ibi cumulatis. Nec prædictis obstat textus in *l. Communis 7. §. Idem. 8. ff. Commun. divid.* ubi traditur modus dividendi hæreditatem illius, qui moriens reliquerit duas Uxores prægnantes; ex quo deducitur, quòd de Jure Civili licita e- 28 rat Polygamia, & pluralitas Uxorum. Nam ut declarat Fornerus *libr. 6. Rerum Quotidian. cap.* 13. & Gonzalez ubi supra *num.* 9. cùm de Jure Civili Romanorum licitum esset repudium Uxoris, & post illud permissum foret aliam Uxorem ducere, quia prima habebatur tanquam mortua, & in eo casu contingere poterat, ut repudiata gravida esset, ac simul prægnans remaneret secunda nupta, dum moreretur maritus: at retenta prima Uxore Jus Civile non permittebat secundam ducere: ut latè probat Jac. Menochius *de Arbitr. Judic. casu 420. à num. 90. & seqq.* ubi narrat, rejectam fuisse à Senatu Romano Legem, quam pro pluralitate Uxorum C. Cæsar publicandam dederat Hælio Cæcinnæ, ut ex Svetonio *in Cæsar. Vita cap. 52.* subdens ex 29 Socrate *lib. 4. Histor. Eccles. cap. 30.* quòd etiam Valentinianus Imperator, præter Severam Uxorem, aliam sibi, nempè Justinam, cujus pulchritudine captus erat voluit copulare; & ob id legem tulit, ut unicuique liceret plures Uxores simul habere; sed Lex illa accepta non fuit, tanquam exosa, & Evangelicæ Veritati contraria.

His igitur omnibus attentis Juribus, à quibus Pplygamia censetur proscripta, evidenter 30 patet temerarius ausus Martini Lutheri, qui inter cæteros errores hunc quoque injunxit, quòd scilicet Polygamia sit licita; adeò ut possit quilibet Christianus plures Uxores simul habere, ut notat Salleles *de S. Inquisit. tom. 2. libr. 3. cap. 18. num. 111.* quam pestiferam doctrinam non erubuit ad praxim deducere, unà cum impudentissimis suis discipulis, prout constat ex eorum Voto, quod in scriptis dederunt Serenissimo Principi Philippo Landgravio Hassiæ Comiti, requirenti ab eis *Anno 1539.* An tuta conscientia, præter Uxorem, quam cum prole habebat, aliam etiam ducere posset, ut facilius libidini indulgeret? Cui responderunt affirmativè, ita tamen, ut secretò secundam Uxorem duceret, & coram paucis testibus, iisque sibi confidentibus, ne commotio aliqua fieret in populo ob hanc novitatem, ut legitur in *Historia Universalis Revolutionis Europæ*, Auctore *Monsieur Varillas tom. 3. lib. 12. de rebus gestis ab Anno 1539. usque ad Annum 1541.* ubi ponit per extensum prædictum Votum Lutheri, ac discipulorum ejus; in quo, præmissis, quòd Deus ab initio instituit Matrimonium inter unum, & unam tantùm; & quòd postea ob fragilitatem carnis dispensavit, ut unus Maritus plures Uxores habere posset, ut habuit Lamech, Abraham, & alii in Lege Mosayca, & quòd repetita in Evangelio prima Matrimonii institutione inter unum masculum, & unam fœminam, nihilominùs non reperitur revocata licentia Hebræis concessa de pluralitate Uxorum; Votum, ac Consilium suum conscripserunt his Verbis:

Vestra Celsitudo, si omninò concluserit, adhuc unam Conjugem ducere, judicamus id secretò faciendum, uti superiùs de dispensatione dictum; nempè ut tantùm Vestræ Celsitudini, illi personæ, ac paucis personis fidelibus constet Celsitudinis Vestræ animus, & conscientia sub sigillo Confessionis. Hinc non sequuntur alicujus momenti contradictiones, aut scandala; nihil enim est inusitati, Principes concubinas alere; & quamvis non omnibus è plebe constaret rei ratio; tamen prudentiores intelligerent, & magis placeret hæc moderata vivendi ratio, quam adulterium, & alii belluini, & impudici actus; nec curandi aliorum sermones, si rectè cum conscientia agatur. Sic, & in tantùm hoc approbamus; nam quod circa Matrimonium in Lege Moysis fuit permissum, Evangelium non revocat, aut vetat, quod externum Regimen non immutat; sed adfert æternam justitiam & æternam Vitam, & orditur veram obedientiam erga Deum, & conatur corruptam naturam reparare. Habet itaque Celsitudo Vestra non tantùm omnium nostrum testimonium in casu necessitatis, sed etiam antecedentes nostras considerationes, quas, rogamus, ut Vestra Celsitudo, tanquam laudatus Sapiens, & Christianus Princeps, velit ponderare. Oramus quoque Deum, ut velit Celsitudinem Vestram ducere, ab regere ad suam laudem, & Vestræ Celsitudinis animæ salutem. Hortantur postea eundem Principem, ne licentiam petat ab Imperatore Carolo V. pro secunda Uxore ducenda, *Nam*, (inquiunt) *magnopere verendum, illum Papistica, Cardinalitia, Italica, Hispanica, Saracenica imbutum fide, non curaturum Vestræ Celsitudinis postulatum.* Concludunt tandem: *Deus conservet Vestram Celsitudinem. Nos ad serviendum Vestræ Celsitudini sumus promptissimi.* Et omnes hoc sequenti modo, & ordine se subscribunt? *Martinus Luther. Philippus Melanchton. Martinus Bucerus. Antonius Corvinus. Adam. Joannes Leningus. Justus Vvinaferte. Dionysius Melanther.* Deindè extat attestatio, & legalizatio Publici Notarii, qui prædictum Votum, ac Consi-

Consilium ex originali copiavit, *Georgius Nuspicher Notarius.*

Supradicta Historia est typis impressa Parisiis per Claudium Barbinum *Anno* 1687. *Superiorum permissu*; & in eadem *ad pag.* 107. extat Instrumentum copulationis ejusdem Princi-
32 pis Philippi Landgravii, & Margaritæ de Saal; inter quos contractum fuit novum Matrimonium coram Dionysio Melanthro suæ Celsitudinis Concionatore, & aliquibus aliis Consiliariis, etsi adhuc viveret ejusdem Celsitudinis prima Uxor legitima, quæ erat Serenissima Christina Ducissa Saxoniæ; talisque Matrimonii secundi contractus initus fuit *Anno* 1540. *Mense Martio*, ut testatur publicus Notarius *Balthassar Rand de Fulda*, qui dictum publicum Instrumentum eo tempore rogavit, de quo verificantur verba Apostoli Pauli 2. *Timoth.* 4. 3. *Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Quæ verba ibi explicans Cornelius à Lapide, inquit: *Multi homines voluptuarii, & libertini similes sibi magistros, puta hæreticos, quærent, qui hominum curiositati, & cupiditatibus indulgentes, eos à sana fide, & severitate vitæ Christianæ ad suos errores, & vitæ, morumque licentiam abducent.* Ita factum est cum Principe illo Landgravio, qui præfatos hæresiarcham, ac discipulos, etsi impudentissimos, ac impios consultores sibi delegit, non ut veritatem circa concupitam Polygamiam audiret; sed ut eam licitam sibi esse, ut desiderabat, quamvis calamo infrunito sciberent, ac responderent.

Quo ad Sextum. Pœnæ, quibus Polygami de Jure afficiuntur sunt plurimæ, nempè infamiæ, pecuniariæ, carceris, fustigationis, exilii,
33 & aliæ, quas recensèt Jac. Menochius *de Arbitr. Jud. d. casu* 420. *à num.* 96. *& seqq.* ubi concludit eas arbitrarias esse Judici secundùm qualitatem personarum delinquentium, & pluralitatem Uxorum, adeò ut qui plures Uxores eodem tempore duxisse comprobaretur, etiam morte naturali posset puniri; ut scripsit Grammatic. *Voto* 17. & Ægidius Bossius *Causar. Crimin. tit. de Coitu damnato num.* 78. Omnes tamen DD. concordant, quòd Polygami sunt suspecti de hæresi, & ab Inquisitoribus S. Officii veniunt puniendi; nisi præventi sint à Judice Laico, quo casu, teste Sella in *Select. Canon. cap.* 45. *num.* 12. & Vincentio de Justis *de Dispensat. Matrim.*
34 *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 32. solet Officium S. Inquisitionis de manu Judicis Laici istos reos recipere, eosque ad torturam ponere, ac super intentione interrogare, quomodo sentiant de Fide? quòd si catholicè super hoc respondeant, remittuntur puniendi ab ipsis Laicis. Ut plurimùm tamen Rei hujus Criminis Polygamiæ coguntur abjurare de vehementi, quia vehementer de hæresi sunt suspecti, & puniuntur à S. Officio Inquisitionis tam in Hispania, quàm Romæ, ut testantur Genuensis *in Praxi cap.* 18. *num.* 11. Piasecius *part.* 2. *cap.* 4. *art.* 6. *num.* 9. Naldus *in Summa Verb. Uxor. num.* 2. Ricciull. *de Jure Pers. libr.* 1. *cap.* 11. *num.* 19. Farinacius *de Hæresi quæst.* 178. *num.* 68. Carena *part.* 2. *tit.* 5. *§.* 11. *num.* 58. & Salelles *tom.* 3. *libr.* 5. *cap.* 5. *Reg.* 391. *à num.* 241. *& seqq.* Imò contra Polygamos publicatam fuisse ab Urbano VIII. Bullam 35 Anno 1637. in qua præcipit, eos esse severè puniendos ab Inquisitoribus S. Officii, refert Illustrissimus Baptaglinus Episcopus Nuceræ *in suis Annalibus Sacerdotii, & Imperii tom.* 2. *ad d. Annum.* 1637. *num.* 19. nec non Nicolius *in inst. Civil. tom.* 1. *libr.* 1. *tit.* 10. *De Nuptiis num.* 52. *in fine.* ubi mandat, eosdem Polygamos damnari ad triremes in perpetuum. Tandem circa pœnas contra Polygamos inflictas non est ignorandum, quòd qui secundam ducit Uxorem, & cum ea Matrimonium consummat, vivente prima, efficitur Bigamus, & Irregularis, itaut fiat inhabilis ad Ordines tam majores, quam minores suscipiendos; & si quos ante susceptisset, sit prorsòs suspensus ab exercitio eorum, & privatus omni privilegio Clericali. Suarez *de Censuris disp.* 49. *sect.* 2. *num.* 16. Sanchez *de Matrim.* 36 *libr.* 7. *disp.* 84. *num.* 1. per text. *in cap. Nuper. de Bigamis*: Novissimè Thesaurus *De Pœnis Eccles. Verb. Matrimonium. cap.* 4. *num.* 4. addens, prædictam bigamiam esse interpretativam, super qua Episcopi minimè possunt dispensare; sed à solo Papa est (quamvis magna cum difficultate) dispensabilis; & jure quidem, nam ut inquit S. Hieronymus *in lib. adverss. Jovinian. cap.* 30. etiam apud Gentiles Romanos nullus Sacerdos fuit bigamus, nullus ex Flaminibus bimaritus.

Quo ad Septimum, & Ultimum, in quo quæritur, An Bigamia, & Biviria sit licita, tum de Jure Divino, ac Naturali; tum etiam de Jure Ecclesiastico, & Civili? Notare oportet, quòd *Bigamia* est, cùm mortua prima Uxore, Vir ali-37 am ducit; & *Biviria* quando post mortem Mariti mulier nubit alteri. Hoc supposito præsens quæsitum loquitur, quotiescunque solvitur ligamen primi Matrimonii consummati per obitum alterius Conjugis; vel Matrimonii rati, dissoluti sivè per professionem Religiosam, sivè per Pontificiam dispensationem; Utrùm scilicet in his casibus licitum sit novas Nuptias inire? Et quidem respondetur affirmativè: nam quotiescunque per mortem unius ex conjugibus solvitur Matrimonium, licitum est conjugi superstiti, si velit, denuò nubere, & aliud Matrimonium inire, juxta doctrinam Apostoli ad *Rom.* 7. 2. *Quæ sub Viro est mulier, vivente Viro allegata est Legi; si autem mortuus fuerit Vir ejus, soluta est à Lege Viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio Viro.* Prout etiam 1 *Cor.* 7. 39. *si dormierit Vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*; & de hoc sunt *texx. in cap. super illa & in cap. Secundum Apostolum. De Secundis Nupt.* nec non *in cap. Aperiant.* 31. *q.* 1. in quo S. Hieronymus ita loquitur: *Aperiant, quæso, aures obtrectatores mei, & videant me, secundas, & tertias Nuptias concessisse in Domino. Non damno bigamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos.* Idemque docet Augustinus in *cap. Quòd si dormierit ead.* 31. *q.* 1. sic dicens: *Quòd si dormierit Vir ejus: Non dicit primus, vel secundus, vel quartus: nec nobis definiendum est, quod non definit Apostolus. Unde nec ullas debeo damnare nuptias.* Concordat S. Jo. Chrysostomus *Hom.* 10. *in Epist. ad Ephes.* & docet S. Thomas *in* 4. *dist.* 42. *q.* 3. *art.* 1. nec non *in* 3. *p. q.* 63. *art.* 1. & 2. ubi objecta contra secundas nuptias facit, & solvit; ostendendo, quòd, usque

que ab initio Ecclesiæ, semper fuit licitum conjugi viduo, novum Matrimonium inire; quod adeò verum est, ut S. Hieronymus *in Epist.* 11. *ad Ageruchiam* narret, quo tempore ipse Romæ
38 degebat apud S. Damasum Papam, fuisse mulierem quandam, quæ viginti duobus Maritis, uni post alterum successivè nupserat; & eodem modo Virum, qui Uxores viginti, unam post alteras defunctas, duxerat; & hic tandem conjugatus est cum antedicta muliere; magna cum totius populi attentione, quis eorum alteri superviveret? Et Vir victor fuit, nam ante illum Uxor obiit, & fuit ab eo sepulta; & de iisdem conjugibus erudita carmina composuit P. Gilibertus Joninus Gallus Societatis Jesu, relata à P. Stephano Menochio *in Storeis Centur.* 1. *cap.* 71. ibi à Studiosis legenda.

Hic autem duo sunt advertenda; Unum est, quòd per plures antiquos Canones, quos examinat Basilius Pontius *de Matrim. d. libr.* 7. *cap.* 52. & Morinus *de Pœnitentiæ Sacramento libr.* 5. *cap.* 21. *& seqq.* secundæ Nuptiæ videntur fidelibus prohibitæ; sed non ex eo, quòd ipsæ
39 essent malæ, vel illicitæ; sed quia contrahentes ob aliquod peccatum publicum, & scandalosum, loco pœnitentiæ à secundis Nuptiis arcebantur, ut præcitati Auctores ibidem declarant. Alterum est, quòd Jus Civile Romanorum prohibebat quidem mulieribus secundas Nuptias certis sub pœnis, ut *in l.* 1. *C. de Secund. Nupt.* cum similibus; sed fuit correctum à Jure Canonico, ut *in cit. cap. Super illa. & in cap. Secundum Apostolum. De Secundis Nupt.* quod latè considerat Sanchez *de Matrim. d. lib.* 7. *disp.* 87. *num.* 73.
40 & Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 60. & 61. ubi advertunt, secundas Nuptias à Sacerdote non benedici ob hanc rationem, scilicet quia in eis deest significatio Unionis Christi cum Ecclesia, quæ unica est, & Virgo; idcircò, si binubus Virginem ducat, ei benedictio non denegatur propter aliqualem significationem ejusdem Unionis Christi cum Ecclesia in Uxore incorrupta; ut tradit S. Thomas 3. *p. d. q.* 63. *art.* 2. *ad Secun.*

Corollarii loco omnes Theologi, ac Canonistæ advertunt, quòd ad contrahendas licitè secundas Nuptias, opus est, ut constet de solutione ligaminis præcedentis Matrimonii per mortem conjugis, qui si fuerit absens, & de ejus
41 morte probanda agatur, advertunt, non sufficere cujuscunque temporis præscriptionem de absentia. *cap. In præsentia. De Sponsalib.* neque solam famam; aut verisimilitudinem, sivè moralem probabilitatem de morte ejusdem conjugis absentis; sed requiri certitudinem, provenientem à duobus testibus de visu, vel saltem ab uno teste de visu, & ab aliis de auditu, ac de publica voce, & fama; sivè à registro authentico extracto à Libro, in quo mortui, cum eorum nomine, & cognomine notantur, sive à Parocho, sub quo moriuntur, sivè à Duce belli, sub quo forsan militabant, ut latè differunt DD. quos allegat Barbosa *in cit. cap. In præsentia. De Sponsalib.* Sanchez *lib.* 2. *disp.* 46. Aversa *de Matrim. quæst.* 14. *sect.* 3. Basilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 53. Salmanticenses *d. cap.* 5. *a num.* 65. *& seqq.* Mastrius *disp.* 7. *in* 4. *sent. num.* 433. & cæteris plenius, ac doctiùs Eminentiss. Cardin. de Lauræ *d. disp.* 24. *de Matrim. art.* 6. *per totum*, in praxi videndus qui *num.* 129. validum esse, etsi illicitum, secundum Matrimonium contractum sine sufficienti probatione mortis prioris conjugis, si verè tunc erat mortuus, affirmat, ut etiam tenet Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 434. & Salmanticenses *d. cap.* 5. *num.* 73. quamvis contrarium conetur ostendere Basilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 53. *num.* 5. ab o-42
mnibus communiter reprobatus; à quibus etiam notatur, quòd si factis probationibus super morte primi conjugis, Uxor secundo nubat; ac deindè primus conjux vivus revertatur in patriam, debet ei adhærere, secundo relicto, à quo filii geniti cum bona fide lagitimi censentur. Aversa *quæst.* 22. *sect.* 1. Salmanticenses *d. cap.* 5. *num.* 74. & Nicolius *Instit. Civil. libr.* 1. *tit.* 10. *De Nuptiis num.* 52. & 53. ubi ponit Instructionem Sacræ Congregationis, cum Interrogatoriis pro examinandis testibus super libertate volentium contrahere Matrimonium, in omnibus Curiis Episcopalibus servandam.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Publicæ Honestatis justitia, quæ dirimit Matrimonium, in hac Decisione declaratur. Ostenditur, eam esse inductam ab Ecclesia; & oriri vel ex Sponsalibus validis, vel ex Matrimonio Rato. Ex illis per Concilium Tridentinum dirimere Matrimonium in primo gradu tantùm: ex isto, usque ad quartum. Referuntur octo casus, in quibus Sponsalia sunt invalida, & ex eis non oritur Publica Honestas. Exempla aliquorum, qui ante pubertatem genuerunt filios. Quæ sint exponenda Papæ pro impetranda dispensatione super hoc impedimento Publicæ Honestatis.

SUMMARIUM.

1 *Honestatis publicæ impedimentum Quid sit?*
2 *Quotuplex?*
3 *A quo Jure procedat?*
4 *Quo tempore sit in Ecclesia introductum?*
5 *Impedimentum Publicæ honestatis usque ad quem gradum dirimat Matrimonium.*
6 *Honestas publica è Concilio Tridentino restricta ad primum gradum si oriatur ex Sponsalibus validis.*
7 *Publica Honestas an dirimat Matrimonium cum affinibus Sponsorum in primo gradu?*
8 *Sponsalia etsi mutuo consensu soluta causant publicam Honestatem.*
9 *S. Congr. Concilii Decretum de Anno* 1658.
10 *Honestatis publicæ impedimentum est perpetuum.*
11 *Honestas publica ex Matrimonio rato dirimit usque ad* 4. *gradum.*
12 *Matrimonium nullum cum consanguinea Sponsæ non producit publicam Honestatem cum eadem Sponsa.*

13 *Honestas publica non oritur ex Matrimonio sine Parocho contracto.*

14 *Sponsalia inita cum impubere non pariunt publicam Honestatem.*

15 *Puberes qui dicantur pro ineundis Matrimoniis?*

16 *Exempla eorum, qui genuerunt filios ante pubertatem.*

17 *Votum Castitatis, vel Religionis ante Sponsalia destruit publicam Honestatem.*

18 *Sponsalia cum persona incerta sunt invalida.*

19 *Honestas publica an oriatur ex Sponsalibus conditionatis?*

20 *Neque ex contractis per habentes aliquod impedimentum dirimens.*

21 *Vel per Parentes nomine filiorum absentium.*

22 *Sponsalia secunda, stantibus primis, sunt invalida.*

23 *Sponsus quando nec Sponsam, nec consanguineam Sponsæ ducere possit?*

24 *Honestatis publicæ Dispensatio an detur à Papa? Et quæ narranda pro ea obtinenda?*

25 *Marci Mantuæ Patavini J. C. consilium pro Henrico VIII. Angliæ Rege.*

26 *Henrici VIII. Dispensatio Apostolica pro ejus Matrimonio an valida?*

27 *Honestatis publicæ Dispensatio denegata DD. de Carbonibus, ac de Ferris Nob. Patavinis.*

QUoniam in contrahendis Nuptiis, non solum quod licet, sed etiam quod honestum est, attendere convenit juxta textum *in l. Semper. ff. De Ritu Nuptiar.* hinc factum est, ut præter alia impedimenta dirimentia Matrimonium, sit in Ecclesia statutum illud, quod à Theologis appellatur *Honestas;* à Canonistis verò *Justitia Publicæ Honestatis*, de quo in præsenti est agendum; pro cujus explicatione, ac intelligentia videbimus:

1. Quid, & Quotuplex sit impedimentum Publicæ Honestatis?
2. A quo Jure proveniat, & quando sit in Ecclesia introductum?
3. Inter quas personas, & usque ad quem gradum dirimat Matrimonia?
4. In quibus casibus cesset hoc impedimentum?

Quo ad Primum: *Impedimentum publicæ Honestatis est propinquitas ex Sponsalibus, vel*
1 *Matrimonio rato proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter honestatem.* Ita definitur à D. Thoma *in 4. dist. 41. quæst. Unica art.* 10. & hanc definitionem amplectuntur Theologi, & Canonistæ, inter quos Filiuccius *QQ. Moral. tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. n.* 220. Aversa *de Matrim. quæst. 17. sect. 4.* Salmanticenses *tract. 9. cap. 12. n. 79.* Vinc. de Justis *de Dispens. Matrim. libr. 2. cap. 8. n. 1.* Et Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. Ad audientiam n. 5. De Sponsalib. tom. 4.* ubi eandem definitionem declarat, dicens, quod Verbum *Propinquitas* ponitur loco generis, quia comprehendit Consanguinitatem, Affinitatem, & Agnationem. Dicitur *Ex Sponsalibus, vel Matrimonio rato*, ad differentiam Impedimenti Affinitatis, quæ oritur ex copula carnali, ac sanguinis commixtione; publica verò Honestas provenit absque interventu copulæ, ac ex solo Matrimonio Rato, vel ex Sponsalibus de futuro tantùm. Dicitur *robur trahens ab Ecclesiæ institutione;* quia, ut infra dicemus, hoc impedimentum non est institutum à Jure Divino, neque à Jure naturali, sed à solo Jure Ecclesiastico; & additur in definitione *propter honestatem;* quia causa finalis, ob quam Ecclesia voluit, ne Matrimonia inirentur cum Consanguineis illarum personarum, cum quibus antea fuerunt contracta Sponsalia, vel præcessit Matrimonium Ratum, fuit, ut servaretur obsequium, respectus, ac quædam reverentia erga præcedentia Sponsalia, seu Ratum conjugium; in quibus cùm consueverint Sponsi initiare Matrimonium per aliquos actus ad illud spectantes, scilicet amplexus, & oscula; viderut esse contra pudorem, ut sublata prima persona, cum qua fuerunt exerciti (sivè per obitum, sivè per Sponsaliorum dissolutionem voluntariam) iidem amplexus, & oscula, deindè Matrimonialis conjunctio ineatur cum consanguinea primæ Sponsæ, vel Sponsi, ut fusiùs differunt supracitati Doctores.

Ex qua definitione deducitur, duplex esse Impedimentum *Publicæ Honestatis.* Unum, quod provenit ex Sponsalibus initis de futuro; & aliud resultans ex Matrimonio rato, non consummato; in utroque enim intrat motivum prædictum pudoris, ac reverentiæ servandæ erga eadem Sponsalia, ac ratum conjugium, quæ offenderetur, si cum consanguineis eorum, qui prius simul contraxerant, novum Matrimonium iniretur.

Quo ad Secundum. Hoc impedimentum, ut dictum est in definitione, provenit à solo Jure Ecclesiastico, ut testantur omnes scribentes, 2
Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 70. num. 2.* Bonacina *quæst. 3. punct. 11. n. 2.* Aversa *d. q. 17. sect. 4.* Basilius Pontius *lib. 7. cap. 35. num. 2.* Mastrius *in 4. sent. disp. 7. num. 487.* Emin. Card. de Lauræa *de Matrimon. disp. 27. art. 4.* & novissimè Salmanticenses *d. cap. 12. num. 80.* ubi propterea advertunt, quòd hoc impedimento infideles non afficiuntur; & ideò, si aliquis Judæus contraxisset Sponsalia cum aliqua muliere, deindè converteretur ad fidem, & baptizaretur, posset contrahere Matrimonium cum sorore prioris Sponsæ infidelis, si etiam soror prædicta baptismum susciperet. Circa verò tempus, quo Impedimentum hoc Publicæ Honestatis sit in Ecclesia introductum? Respondet Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 27. num. 118.* quòd à principio Ecclesiæ cognita fuit justitia Publicæ Honestatis; 4
& id probat sequentibus juribus, ac Canonibus. Primò ex *cap. 15.* Incipien. *Si quis desponsaverit. 27. quæst. 2.* in quo Julius Papa Primus, qui fuit electus Pontifex *Anno* 336. sic disposuit: *Si quis desponsaverit Uxorem, vel subharraverit, & sivè præveniente die mortis, sivè irruentibus quibusdam aliis causis minimè eam cognoverit; neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus eandem sibi tollat in Uxorem ullo unquam tempore.* Et quamvis Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 36.*

cap. 36. num. 2. conetur ostendere, hunc canonem loqui de publica Honestate proveniente ex Matrimonio rato, non autem ex Sponsalibus; contrarium tamen docet Glossa *in cap. Unico. Verb. Ex Sponsal. in 6.* ubi disposita in *d. cap. Unic.* per Bonifacium VIII. circa impedimentum publicæ Honestatis tum ob Matrimonium ratum, tum ob Sponsalia de futuro, ait, *emanasse ad declarationem eorum, quæ notantur 27. quæst. 2. cap. Si quis desponsaverit.* Ergo in hoc canone, etiam ex Sponsalibus oriebatur publica Honestas dirimens conjugium, ut bene arguit contra Pontium Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 27. n. 118.* & evidens est ratio, quia desponsare ac subarrhare mulierem est dare pignus contractus Matrimonii in Sponsalibus per verba de futuro, ut habetur *in cap. Tenor Litterarum. De Sent. & re judic.* ibi: *idem. R. eam desponsationis annulo subarrhasset.* Et S. Agnes Virgo, & Martyr, ut de ea scribit S. Ambrosius, Tyranno dixit: *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus JESUS CHRISTUS*; quod latius explicat Magrius *in Hierolexico Verb. Subarrho.* Secundò probatur antiquitas hujus impedimenti *ex cap.* 14. quod incipit: *Si quis Uxorem. ead. 27. quæst.* 2. ubi S. Gregorius Magnus Papa Primus, qui sedebat *de Anno* 590. ita respondit: *Si quis Uxorem desponsaverit, vel eam subarrhaverit, quamquam postmodum, præveniente die mortis, nequiverit eam ducere in Uxorem, tamen nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio. Quod si inventum fuerit factum, omnino separetur.* Loquitur expresse hic textus de impedimento publicæ Honestatis proveniente ex Sponsalibus, quia supponit, quòd post desponsationem, & subharrationem non potuit Sponsus desponsatam ducere in Uxorem, & confirmat id, quod dictum est suprà de intelligentia decreti Julii Papæ Primi, quia utitur hic iisdem verbis, quibus ille, desponsationis, ac subarrhationis. Tertiò probatur ex rescriptis Alexandri Papæ III. qui ad Cathedram Apostolicam elevatus est *Anno* 1159. *in cap. Litteras. in cap. Accessit. & in cap. Ad audientiam*, De Desponsat. Impub. in quibus juribus ob publicam Honestatem ortam ex Sponsalibus respondit, Matrimonium deindè iniri non posse, & irritum esse invalidum cum consanguineis unius ex primis Sponsis. Quartò probatur ex *cap. Duo pueri. De Desponsat. Impub.* ubi proposito casu de quodam, qui desponsaverat mulierem, & postea consobrinam ejus acceperat in Uxorem, & cum hac volebat permanere, asserens cum ea copulam habuisse, Clemens Papa III. sic respondit: *Quia dictam S. duxit consobrinam mulieris ejusdem, sivè eam cognoverit, sivè non; non debet tamen cum eadem 3. propter publicæ Honestatis justitiam remanere*, quia scilicet propter ejusdem publicæ Honestatis impedimentum dirimens, cum quo conjugium iniverat cum dicta consobrina primæ suæ Sponsæ, Matrimonium erat nullum, & invalidum. Quintò probatur, *ex cap. Unico. De Sponsalib. in 6.* in quo Bonifacius VIII. electus Papa *Anno* 1294. expresse statuit, impedimentum dirimens publicæ Honestatis oriri ex Sponsalibus antea initis. Sextò tandem probatur ex Jure novissimo Concilii Tridentini, in quo *sess. 24. cap. 3. de Matrim.* confirmando impedimentum prædictum, illud restrinxit ad solum primum gradum, si & quatenus proveniat ex Sponsalibus validis, ut infra dicemus. Igitur ex supradictis Juribus, Canonibus, ac Apostolicis rescriptis constat; ab initio Ecclesiæ introductum, ac semper servatum fuisse Publicæ Honestatis impedimentum dirimens Matrimonium.

Quo ad Tertium; in quo quæritur, inter quas personas, & usque ad quem gradum prædictum impedimentum dirimat Matrimonium? distinguere oportet Jus antiquum, à Jure novo. Siquidem de jure antiquo hoc impedimentum publicæ Honestatis, sivè proveniret ex Matrimonio rato, non consummato, sivè ex puris Sponsalibus, etiam invalidis (exceptâ invalidi- 5
tate ex defectu consensus) impediebat, & dirimebat Matrimonium inter unum ex Sponsis, & consanguineos omnes alterius Sponsi usque ad quartum gradum. *cap. Non debet. De Consang. & Affinit. cap. Sponsam. de Sponsal. cap. Accessit. de Desponsat. Impub.* quæ Jura etsi loquantur de Consanguinitate, & Affinitate, ex paritate tamen rationis intelliguntur, & semper intellecta fuerunt etiam de Publica Honestate, ut bene advertit Basilius Pontius *d. lib. 7. cap. 35. num. 4.* & Emanuel Gonzalez *in d. cap. Ad Audientiam. num. 7. de Sponsalib.* De Jure autem novo, nempe ex Concilio Tridentino subdistinguere oportet publicam Honestatem, provenientem ex Sponsalibus, ab illa, quæ resultat ex Matrimonio rato, idest inito per Verba de præsenti, non tamen consummato. In primo casu, si agamus de publica Honestate proveniente ex Sponsalibus, Concilium Tridentinum eam restrinxit 6
ad solum primum gradum, & dummodo Sponsalia fuerint valida; adeò ut si ex quacunque causa invalida fuerint, ex eis non nascatur hoc publicæ Honestatis impedimentum, ut ex ejus decreto *d. sess. 24. de Matrimon. cap. 3.* his Verbis concepto: *Justitiæ publicæ Honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsùs tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Idcircò in præsenti Sponsus, qui contraxit Sponsalia de futuro cum aliqua muliere, non potest contrahere Matrimonium cum matre, aut sorore, aut filia ejusdem mulieris, quia hæ tres personæ conjunctæ sunt in primo consanguinitatis gradu cum ipsa muliere ejus Sponsa. Et vice versa eadem mulier Sponsa nubere non potest Patri, fratri, aut filio prædicti sui Sponsi; quia hi tres primum consanguinitatis gradum occupant cum ipso Sponso; & ad hunc gradum restrictum est à Concilio Tridentino hoc publicæ Honestatis impedimentum, & ad prædictas personas tantùm, exclusis prorsùs aliis non solùm consanguineis, sed etiam affinibus; ut concorditer docent Sanchez *libr. 7. disp. 68. n. 10.* Aversa *d. q. 17. sect. 4.* Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 36. n. 4.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 81.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 27. num. 48.* & Mastrius *d. disp. 7. num. 487.* ubi subdit, quòd hoc impedimentum publicæ Honestatis *ad personas affines non extenditur, sed attingit tantum personas consanguineas illius, cum quo inita sunt Sponsalia, vel Matrimonium ratum.* Et 7
idem asserunt Aversa *d. q. 17. sect. 4. in princ.* & Sanchez *d. lib. 7. disp. 68. n. 3.* quamvis contrarium

rium docuerit Jo. Monachus *in cap. Unico. De Sponsal. in 6.* quem reprobari à Jo. Andræa, & à Franco *ibid.* ait Sanchez *d. num. 3.* Qua opinione attenta, si soror Sponsi nupsisset alicui Viro, qui viduus effectus per mortem ejusdem sororis Uxoris suæ, duceret deindè in Uxorem Sponsam prædicti Sponsi, vulgò *di suo Cognato*, Matrimonium esset validum; quia illum non attingit hoc publicæ Honestatis impedimentum. Et vice versa si Sponsa haberet fratrem Uxoratum, qui frater moreretur: Sponsus autem duceret in Uxorem mulierem illam, quæ fuerat Uxor fratris Sponsæ suæ, vulgo *Cognata della sua Sponsa*, validum esset Matrimonium; quia hæc mulier non est consanguinea prædicti Sponsi, sed tantùm affinis, prout in primo exemplo, & ipsa nuberet non consanguineo, sed Sponso Affinis suæ, etsi utrobique in primo gradu.

Ego tamen habeo magnam difficultatem in his exemplis, & in praxi sentirem cum Jo. Monacho; ea ratione, quia Concilium Tridentinum tantummodò restrinxit publicam Honestatem ad primum gradum, si oriatur ex validis Sponsalibus; nihil dicens, an de consanguineis, vel de affinibus, relinquens parentelam in terminis Juris antiqui. At de Jure antiquo quidquid servabatur circa impedimenta Consanguinitatis, & Affinitatis, servabatur etiam circa impedimentum publicæ Honestatis, ut notat Emanuel Gonzalez *in d. cap. Ad audientiam, n. 7.* De *Sponsal.* Et de Jure novo Affinitas, & publica Honestas ex Matrimonio rato æqualiter dirimunt Matrimonium unà cum Consanguinitate; & inter se magnam habent Symboleitatem, ut disserit Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp. 26. art. 5.* itaut, quæ sunt statuta de Consanguinitate debent censeri statuta etiam de Affinitate. Igitur de Jure antiquo hoc impedimentum extendebatur etiam ad Affines usque ad quartum gradum; & subinde facta restrictione graduum per Concilium Tridentinum, & eorum reductione ad primum tantùm, non censetur facta exclusio Affinitatis, & restrictio ad solam Consanguinitatem. Ulterius Affinis sit una, & eadem caro cum Consanguineo, cum quo copulatur. *cap. Si Vir 33. qu. 3.* Ergo si publica Honestas afficit Consanguineum in aliquo gradu, debet afficere etiam Affinem in eodem gradu. Tantò magis, quia militat eadem ratio pudoris, verecundiæ, ac honestatis, quæ non transit absque notabili offensa, & scandalo, si Sponsa nubat illi, qui fuit maritus sororis Sponsi sui, vulgò *con il Cognato del suo Sposo.* Vel è contra, si Sponsus ducat in Uxorem illam mulierem, quæ fuit Uxor fratris Sponsæ suæ, vulgò *la Cognata della sua medesima Sposa;* in utroque enim casu Matrimonia prædicta essent cum Affinibus in primo gradu; & eandem deformitatem haberent, ac si contracta forent cum Consanguineis in primo gradu. Quapropter cùm de Jure antiquo Consanguinitas, Affinitas, & Publica Honestas essent impedimenta unius, & ejusdem qualitatis; etiam in præsenti dicendum est, quòd Publica Honestas non solùm afficiat Consanguineos, sed etiam Affines.

Et quoniam altercabantur Theologi inter se, an cessaret impedimentum publicæ Honestatis ortum ex Sponsalibus validis, si Sponsalia ipsa per communem consensum fuissent dissoluta, & annihilata? in quo casu, alii asserebant, impedimentum semel ortum durare, alii verò negabant, ut legitur apud Bonacinam *de Matrim. quæst. 3. punct. 11. n. 7.* & Nicolium *Instit. Civilium d. lib. 1. tit. 10. num. 54.* hæc altercatio nunc cessat, quia cum esset delata ad Sacram Congregationem Concilii, in ea declaratum fuit, impedimentum durare, etiam post dissoluta ex communi consensu Sponsalia, ut ex sequenti Decreto, quod ponit ibidem Nicolius, videlicet:

Jubente S. D. N. propositum fuit in Sacra Congregatione Concilii, An Sponsalibus validè ab initio contractis, deindè mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis? Et pluries proposito dubio, ac maturè examinato, tandem sub die 6. Julii 1658. Eminentissimi Patres in antiqua ejusdem S. Congregationis sententia consistentes censuerunt, Non esse sublatum. Cujas sententiæ cum rationibus hinc indè deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua sub die 10. ejusdem mensis, prædictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit in dubium deinceps non revocari. Hanc eandem Declarationem refert Abb. Pascuccius Summator Pignatelli *tom. 2. Verb. Matrimonium pag. 26. col. 2.* Fagnanus, olim ejusdem Sacr. Congregationis Secretarius, *in cap. Ad Audientiam. num. 29. De Sponsalib.* & ex eodem illam transcripsit Gobatus *de Matrimon. tract. 9. num. 358.* ubi *num. 362.* ejurat opinionem contrariam, quam antea amplexus fuerat; & *num. 370.* advertit, quòd prædictum impedimentum publicæ Honestatis, ex Sponsalibus validis semel ortum, est perpetuum; adeò ut duret etiam post mortem alterius ex Sponsis; quorum qui superstes remanet, etsi defuncto alio Sponso, non possit copulari cum consanguine in primo gradu ejusdem Sponsi defuncti, quod etiam notant Sanchez *lib. 7. disp. 68. num. 20.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 8. n. 5.* Hæc de primo casu juxta reformationem Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 3.* circa justitiam Publicæ Honestatis ex Sponsalibus

Secundus casus juxta mentem ejusdem Concilii concernit publicam Honestatem insurgentem ex Matrimonio rato, non consummato; de quo cùm nihil loquutum sit Concilium, restabat dubium, an dirimeret Matrimonium usque ad primum gradum tantùm, prout de Sponsalibus statuerat idem Tridentinum Concilium, vel usque ad quartum gradum juxta dispositionem Juris antiqui, de quo *in cap. Sponsam. De Sponsalib.* Quapropter S. Pius V. motu proprio sustulit omnem dubitationem *Anno 1568.* declarando per suam Bullam Incipien, *Ad Romanum.* impressam in fine Concilii Tridentini, quod dirimat, usque ad quartum gradum juxta dispositionem Juris antiqui, per hæc verba, quæ etiam referuntur à Barbosa *ad Concil. Trid. d. sess. 24. c. 3. n. 2.* videlicet: *Auctoritate Apostolica; tenore præsentium declaramus, & definimus, Decretum Concilii hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat: non autem in Matrimonio, sic, ut præfertur, contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de Jure veteri ante prædictum Decretum Concilii introductum erat.* Ex qua plana declaratione deducunt Theologi, impedimentum publicæ

honesta-

honestatis ex Matrimonio rato insurgere, etiamsi tale Matrimonium fuisset nullum ex aliqua causa, (præterquàm ex defectu consensus) ut notant Perez *de Matrim. disp. 22. sect. 3.* Fagnanus *in d. cap. Ad Audientiam, n. 20. de Sponsal.* Sanchez. *d. libr. 7. disp. 70. num. 5.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 83.* ubi alios cumulant; & Gobatus *d. tract. 9 num. 386.* ubi 22 subtiliter addit, quòd si Sponsus de facto iniret conjugium cum consanguinea Sponsæ in primo gradu, & per consequens nulliter, & invalidè, non esset prohibitus contrahere Matrimonium cum prædicta Sponsa sua (dummodò carnaliter non cognovisset illam consanguineam) etenim, ut ait ipse Gobatus, *hæc duo impedimenta non habent vim reciprocam dirimendi*, quod etiam tradit Layman *libr. 5. tract. 10 p. 4. cap. 9. num. 5.* & ratio est, quia illud attentatum Matrimonium non habet vim Matrimonii, neque Sponsalium; ob præcedens Impedimentum publicæ Honestatis, quod hæc, & illud dirimit; & cùm utraque nulla sint ipso Jure, nullum possunt parere Juris effectum, aut producere impedimentum; siquidem eatenùs Ma rimonium ratum, sed nullum ex aliqua causa (consensus deficientia excepta) gignit impedimentum publicæ Honestatis, quatenùs possit resolvi in Sponsalia valida, ut ex casibus sequentibus Studiosus Lector poterit comprehendere. Hoc eti- 13 am addito, quòd Matrimonium contractum sine præsentia Parochi, & Testium non parit impedimentum publicæ Honestatis, quia non valet in ratione Matrimonii, neque in ratione Sponsalium, ut declarasse S. Congregationem testatur Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg. 51. num. 181.* & aliis citatis Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 8. num. 13.*

Quo ad Quartum; ut explicemus, in quibus casibus cesset publicæ Honestatis impedimentum ob invaliditatem Sponsalium notandi veniunt omnes octo sequentes casus. 14

Primus est, si Sponsalia contracta sint cum impubere ante septem annos. Sanchez *libr. 7. disp. 8. num. 4.* Pyrrhus Corradus *in Praxi dispens. Apost. libr. 8. cap. 7. num. 10.* Vinc. de Justis. *d. libr. 2. cap. 8. num. 20.* addens *num. 21.* quòd si Matrimonium ratum per verba de præsenti pariter contraheretur cum impubere honestatis impedimentum ex eo insurgens restrictum esset ad solum primum gradum, quia tale conjugium haberet vim Sponsalium, non Matrimonii. Sanchez *d. libr. 7. disp. 70. num. 8.* Pontius *libr. 7. cap. 36. num. 8.* & Navarrus *in Manuali cap. 22. num. 57.* nisi tamen 15 malitia suppleret ætatem. Quamvis enim Viri dicantur puberes, attingentes Annum XIV. fœminæ verò XII. nihilominùs si ex corporum, ac humorum maturitate ante dictos annos habiles evadant ad carnalem copulam; validè contrahunt Matrimonium, malitia tunc supplente ætatem, *cap. 3. §. fin. de Desponsat. Impub. & cap. De illis qui in minori eod. tit.* Hinc 16 refert Gregorius Tholosanus *Syntagm. Jur. libr. 9. cap. 7. n. 9.* puerum novennem impræ-gnasse nutricem suam. Pharem filium Judæ genuisse Ezron, cùm tantum novem annos haberet. Roboam fuisse genitum â Salomone existente in sola ætate annorum undecim. Achaz annos tantùm decem habentem procreasse Ezechiam; & ex Divo Hieronymo *in Epist. ad Vitalem* mulierculam alioqui provectam à puero decenni gravidam factam fuisse? cujus Sancti Doctoris verba transcribit Emanuel Gonzalez *in cap. 3. de Sponsalib. n. 4. tom. 4.* ubi alia adducit exempla.

Secundus Casus, in quo Sponsalia sunt invalida, nec apta ad producendum publicæ Honestatis impedimentum, est, si ante illa 17 præcessisset Votum Castitatis, vel Religionis, dummodò tamen exteriùs constet de eodem Voto? aliàs prævaleret præsumptio validitatis Sponsalium, & ex eis orta justitia publicæ Honestatis. Sanchez *d. libr. 7. disp. 68. num. 14.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 8. num. 25. & 26.* addens idem esse dicendum, si Sponsalia essent nulla ex defectu consensus interni, cujus probatio dari non posset, quia Ecclesia non judicat de occultis. Sanchez *d. disp. 68. num 14.* Pontius *libr. 7. d. cap. 36. num. 10.* Aversa *d. quæst. 17. sect. 5.* & Salmanticenses *d. cap. 12. num. 84. & 85.*

Tertius Casus est, si Sponsalia contracta sint 18 cum persona incerta, veluti cum una ex filiabus Petri; tunc enim nulla sunt. Sanchez *d. libr. 7. disp. 69. n. 3.* Aversa. *d. quæst. 17. sect. 5. Vers. Si verò.* & Bonacina *de Matrim. d. quæst. 3. punct. 11. num. 15.*

Quartus Casus est, si fuissent inita Sponsalia sub conditione de futuro; quia ante ejus impedimentum nihil dicitur actum. Vinc. de 19 Justis *d. libr. 2. cap. 8. num. 33.* ubi alios cumulat, advertens *num. 34.* quòd si conditio turpis fuisset, vel impossibilis, quia tunc favore Matrimonii habetur pro non appositâ, impedimentum Honestatis publicæ oriretur. Angelus *in Summa Verb. Matrimonium 3. Impedim. 14.* Leo *in Praxi S. Pœnitent. part. 2. Vers. Si autem Matrimonium contrahatur. pag. 219.*

Quintus Casus est, si contrahentes Sponsalia sint impediti aliquo alio impedimento dirimente, puta Cognationis, Affinitatis, Cri- 20 minis, & similium; tunc enim quia Sponsalia sunt nulla, ex eis nulla publicæ Honestatis oritur Justitia. Navarrus *d. cap. 22. num. 58.* & Pontius *d. libr. 7. cap. 36. num. 5.*

Sextus Casus est, si Sponsalia contracta sint à parentibus nomine Filiorum absentium; nam antequam isti illa ratificent, Honestas non gignitur. Quòd si præsentes, & doli capa- 21 ces sint, ac taceant, sponsalia valent, & impedimentum Honestatis intrat. DD. *ubi supra* Barbosa *d. alleg. 51. num 186.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 8. num. 36. & 37.*

Septimus Casus est; si quis contraxisset Sponsalia sub conditione de futuro cum Berta; & non expectato conditionis eventu alia Sponsalia contraheret cum sorore Bertæ, hæc 22 non producerent Honestatis impedimentum, utpotè nulla, & invalida; nam tenetur expectare, ut conditio impleatur. Navarrus *d. cap. 22. num. 57.* Sanchez *d. disp. 69. num. 3. & 4.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 8. num 40.*

Octavus Casus est, si quis post Sponsalia legitimè contracta cum Berta, haberet copulam cum Consanguinea Bertæ in primo gradu, neutram absque dispensatione ducere posset, 24 23

ut dictum est supra *num* 12. non Bertam ob impedimentum Affinitatis ob dictam copulam; non ejus Consanguineam ob impedimentum publicæ Honestatis ex Sponsalibus cum Berta. Bonacina *d. quæst.* 3. *punct.* 11. *propos. prima in fine.* Layman *d. cap.* 9. *num.* 6. Vinc. de Justis *d. cap.* 8. *num.* 46. & Salmanticenses, alios DD. allegantes *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 12. *num.* 90.

Tandem corollarii loco est annotandum, quòd super hoc impedimento publicæ Honestatis frequenter Papa dispensat, & eò faciliùs, si illud proveniat ex Sponsalibus, quàm ex
24 Matrimonio rato, ut docet Sanchez *libr.* 8. *disp.* 24. *num.* 16. & Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 8. *à num.* 56. *& seqq.* ubi advertit, pro obtinenda dispensatione opus esse exponere. 1. An Honestatis impedimentum proveniat à Sponsalibus, vel à Matrimonio rato. 2. Si ab hoc procedat, an interceserit copula; nam tunc duplex foret impedimentum dispensandum: unum ex publica Honestate, & alterum ex Affinitate; quæ copula si reticeretur, invalida esset dispensatio; de qua invaliditate scribentes pro Henrico VIII. Anglorum Rege (inter quos unus fuit Marcus Mantua Patavinus, ut ex ejus Voto impresso inter ejus Consilia *tom.* 1. *consil.* 121.) arguebant Dispensationem
25 Pontificiam super ejus Matrimonio cum Regina Catharina, quæ priùs nupserat Arthuro ejusdem Henrici VIII. fratri germano; etsi Dispensationem prædictam nullo defectu laborasse demonstret Sanderus *de Schismate Anglic. libr.* 1. *pag.* 58. & nos latiùs ostendemus
26 infra *Decis. XXXI. à num* 34. *& seqq.* Ultimò, quòd concurrat aliqua justa causa, vel ob angustiam loci, vel ad sedandas inimicitias, sive ad reparandam famam Sponsæ, si fortè cum habente impedimentum publicæ Honestatis minùs honestè fuisset conversata; siquidem, etsi affirmet Barbosa in *Collect. DD. ad Concil. Trid. d. sess.* 24. *cap.* 3. *num.* 15. non esse difficilem Papam in dispensando, concurrente causa justa; hac tamen cessante, contrarium est verius, ut ego expertus sum hic Patavii cum DD. de Carbonibus; unus enim filius hujus nobilis Familiæ cùm desponsasset puellam DD. de Ferris per verba de præsenti,
27 servatis de Jure servandis, & hora prandii subitanea morte extinctus esset, Uxore intacta remanente, possibile non fuit obtinere dispensationem à SS. Innocentio Papa XI. ut eadem Puella nuberet alteri fratri primi mariti defuncti; prout instanter, ac instantissimè, adhibitis etiam validis interessoribus, petebant tam DD. de Ferris, quàm DD. de Carbonibus, ut parentela inter eos inita confirmaretur, & cessaret in commodum restituendi Dotem jam solutam; ac jocalia eidem Sponsæ tradita; hæc enim omnia visa sunt Papæ non continere causam sufficientem ad dispensandum super justitia publicæ Honestatis orta ex antedicto Matrimonio rato, non consummato.

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Explicatur exactissimè, Quid, & Quotuplex sit *Affinitas*? Et inter quas personas ejus impedimentum dirimens contrahatur? Ostenditur, tria *Affinitatis* genera olim fuisse: nunc Unum tantùm, duas tamen lineas Rectam, & Transversalem complectens. Docetur, Affinitatem ex copula licita impedire, & dirimere Matrimonium inter Affines, in utraque linea, usque ad quartum gradum inclusivè: Ex copula autem illicita usque ad secundum. Disputatur Quo jure *Affinitatis* Impedimentum sit introductum? Et an de Jure Naturali sit prohibitum Matrimonium in primo gradu utriusque lineæ inter eosdem Affines? Tres sententiæ referuntur innixæ rationibus, Canonibus, Historiis, & exemplis. Eligitur sententia negativa in utraque linea; eaque, ultra fortes rationes, fulcitur variis Dispensationibus Apostolicis, in primo gradu lineæ transversæ concessis. Tandem decidittur, An Episcopus, & Confessarii Regulares possint dispensare cum Affinibus incestuosis ad petendum debitum?

SUMMARIUM.

1 *Affinitatis Etymologia quæ sit?*
2 *Ejusdem definitio.*
3 *Affinitas oritur ex copula etiam cum dormiente, ebria, & sine sensibus.*
4 *Copula qualis esse debeat, ut gignat Affinitatem?*
5 *Semen humanum non prolificat extra vulvam fœminæ effusum.*
6 *Eunuchi, ac Spadones an contrahant Affinitatem?*
7 *Seminis feminei an necessaria effusio pro Affinitate?*
8 *Affinitas quas personas afficiat, & comprehendat?*
9 *Consanguinei Affinium inter seipsos non sunt Affines.*
10 *Affinitas oritur tam ex copula licita, quàm ex illicita.*
11 *Affinitatis effectus quinam sint?*
12 *Incestuosa copula quibus pœnis puniatur? & usque ad quem gradum;*
13 *Episcopus an dispenset in copula incestuosa ad petendum debitum?* & num. 53.
14 *Affinitatis impedimentum est perpetuum, & durat etiam post mortem.*
15 *Affinitatis genera tria de Jure antiquo.*
16 *Ejus genus Secundum, & Tertium abrogatum ab Innoc. III.*

17 Affini-

17 *Affinitas ex Conc. Trid. alia ex copula licita, alia ex illicita.*
18 *Alia in linea rectâ; alia in linea transversali.*
19 *Affinium gradus quomodo computentur?*
20 *Stipes in Affinitate quis sit?*
21 *Affinitas usque ad quem gradum olim, & nunc dirimat Matrimonium?*
22 *Lateranensis Concilii IV. descriptio.*
23 *Innocentii III. Laudes, & Virtutes.*
24 *Affinitas ex copula illicita nunc non extenditur extra secundum gradum.*
25 *S. Pii V. declaratio, quòd ultra secundum gradum nec dirimit, nec impedit.*
26 *Affinitas ex copula licita dirimit usque ad 4. gradum inclusivè.*
27 *Fornicationis nomen comprehendit omnem speciem luxuriæ.*
28 *Incestus non est coire cum consanguinea Uxoris in 3. vel 4. gradu.*
29 *Nec aufertur jus petendi debitum ab Uxore.*
30 *Affinitatis impedimentum est de Jure Ecclesiastico.*
31 *An etiam de Jure naturæ? Ex copula illicita, Non. Et cur?*
32 *Affinitas ex copula licita dirimit Matrimonium de Jure naturæ in primo gradu lineæ transversæ: DD. & rationes.*
33 *Herodes cur reprehensus à S. Jo: Baptista ob Herodiadem Uxorem*; & num. 37.
34 *Henrici VIII. Regis Angliæ Matrimonium cum Uxore defuncti Fratris sui an validum?* & num. 38.
35 *Marci Mantuæ J. C. Patavini Votum pro nullitate dicti Matrimonii.*
36 *Affinitas in primo gradu lineæ transversæ non dirimit Jure naturali.*
39 *Angelotti Anglicani quid sint.*
40 *Doctoribus consulentibus parùm est credendum. & Cur.*
41 *Affinitas in primo gradu lineæ rectæ an dirimat Jure Naturæ? Quòd sic: Rationes novem. Quòd non: Rationes sex* num. 43. & 45.
42 *Urbanus VIII. anno* 1632. *noluit dispensare cum Mantuæ Duce in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ. Et cur?* num. 45.
44 *Stratonica Noverca nupta Antiocho privigno suo.*
45 *Papa, cessante justa causa, non dispensat in Matrimoniis.*
46 *Mosaycæ Leges prohibentes Matrimonium erant judiciales, & nunc cessant.*
47 *Christus Dominus impedimenta Matrimonii non posuit, sed ea remisit potestati Ecclesiæ, ac Vicarii sui.*
48 *Papa potest dispensare in quocunque gradu Affinitatis tam lineæ rectæ, quàm transversalis, cum justa causa.* Et num. 52.
49 *Exempla dispensationum Apostolicarum Affinitatis in primo gradu.*
50 *Livonia Provincia inter Sueciam, ac Poloniam quo tempore, & à quibus ad fidem Catholicam conversa?*
51 *Burdigala Urbs ubi sit?*
53 *Regulares Confessarii an dispensent cum incestuosis conjugibus, ut possint petere debitum?*
54 *Oracula Vivæ vocis omnia revocata ab Urbano VIII. Anno* 1631.

POst publicæ Honestatis impedimentum sequitur illud, quod nascitur ex *Affinitate*, de quo in præsenti est agendum: pro cujus plena declaratione, quinque sunt examinanda.

1. *Quid sit Affinitas?*
2. *Quotuplex?*
3. *Usque ad quem gradum dirimat Matrimonium Affinitas?*
4. *Quo jure hoc Impedimentum dirimens Affinitatis sit introductum?*
5. *An in eo Papa possit dispensare;*

Quo ad Primum. Antequàm definiatur *Affinitas*, scire oportet, quòd quo ad hujus nominis Etymologiam, ea ita appellatur, *quasi finium propinquitas*: nam sicut agri dicuntur *affines*, quando finis unius est proximus fini alterius; ita consanguinei alterutrius conjugis dicuntur *Affines* alteri conjugi, eo quod duæ cognationes inter sæ diversæ per nuptias copulantur, & altera ad alterius fines accedit. *l. Non facile. ff. de Gradib. Affinit. cap. Fraternitatis, 35. q.* 10. Definitur autem sic: *Affinitas est proximitas seu conjunctio, orta ex copula carnali perfecta cum commixtione seminum, inter fœminam, & consanguineos Viri, cui copulata est; nec non inter Virum, & consanguineas fœminæ, cui copulatus fuit, sivè licitè, sivè illicitè; dirimens Matrimonium subsequens cum iisdem Affinibus; vel si antea initum erat, impediens petitionem debiti, donec super incestuosa copula dispensatio obtineatur.* Ex declaratione hujus definitionis, totius materiæ, ac Impedimenti Affinitatis intelligentia percipitur. Dicitur, quòd est *Proximitas, seu conjunctio*, loco generis, nam etiam Consanguinitas; tum Carnalis, tum Spiritualis, tum etiam Legalis, comprehenduntur sub hoc nomine, & sicut in illis plures personæ in parentela conjunguntur, & approximantur, vel per descendentiam ab eodem sanguine, vel per Sacramenti, aut civilis actus constipationem; ita consanguinei illius, qui carnaliter aliam personam cognoscit, colligantur cum ipsa persona carnaliter cognita, & evadunt ejus affines. Dicitur *Orta ex copula carnali*, tum ad differentiam publicæ Honestatis Impedimenti, quod nascitur vel ex solis Sponsalibus, vel ex solo Matrimonio rato, non consummato; tum ad indicandam causam efficientem Affinitatis, quæ est ipsa copula carnalis; sivè voluntaria, sivè coacta *cap. Discretionem. De eo, qui cognovit consang.* vel cum muliere dormiente, ebria, insana, vel sensibus destituta.

Sanchez *de Matrimm. libr. 7. disp. 64. num. 17. & 18.* ubi Theologos, ac Canonistas sic docentes allegat; & concordat Vinc. de Justis *de Dispensat. Matrim. lib. 7. cap. 7. num. 3. & 4.* addens, nihil referre ad hoc impedimentum contrahendum, an copula fuerit publica, vel occulta, quia jura in hoc non distinguunt, ut docet etiam Layman *lib. 5. tract. 10. cap. 5. num. 3.* Additur in definitione *Ex carnali copula perfecta*; illa scilicet, quæ est necessaria, & sufficiens ad prolis generationem. *cap. Lex Divinæ Constitutionis. 27. qu. 2. cap. Extraordinaria. 35. q. 2. & 3.* Et ideò quicunque actus impudici, & tactus venerei,
4 ac lascivi, etiamsi per illos semen extra vas effunderetur, Affinitatem non gignunt. Eminent. Card. Toletus *libr. 7. cap. 15. num. 3.* Bonacina *de Matrimon. qu. 3. punct. 12. num. 11. & seqq.* Reginaldus *libr 31. num. 147.* Vinc. de Justis *d. lib. 2. cap. 7. num. 12.* alios DD. cumulans, subdens *num. 16.* neque contrahi affinitatem, si semen hominis à Dæmone in vas mulieris deportaretur, quia hujusmodi delatio non esset carnalis copula illius hominis cum tali muliere; ut contra Sanchezium *d. libr. 7. disp. 64. num. 15.* tenet etiam Basilius Pontius *de Matrim. libr. 7. cap. 33. num. 2.* & ante eum scriptum legitur apud Zilettum *inter Consilia Matrimon. vol. 1. cons. 19. n. 1* Et faciunt ea, quæ ego scripsi in meis Decisionibus *De Baptismo Decis. 49. sub. num. 5.* de ineptitudine seminis virilis à Dæmone delati ad fœmineam vulvam pro generatione humana; siquidem ad procreandam prolem requiritur copula carnalis perfecta inter Virum, & Mulierem, se adinvicem carnaliter copulantes; ut in puncto tradit etiam Eminent. Cardin. de Lauræa *de Matrim. disp. 26. num. 54.* his verbis: *Collige 2. quòd si ex viri alicujus membro semen à dæmone accipiatur, & in vas fœminæ introducatur, non oritur ex hac mixtione Affinitas; tum quia re vera Vir non adhæret mulieri, quod requiritur ex mox cit. cap. Lex Divina, tum etiam quia esset naturaliter incertum, à quonam semen illud fuisset acceptum.* Confirmantur hæc omnia ex eruditissimi Medici Romani Pauli Zacchiæ, qui in QQ. Medico-
5 *legal. tom. 2. libr. 10. cons. 42. n. 6.* ait, quòd *impossibile est, semen masculeum in aere externo integrum conservari posse, cùm necesse sit, tenuissimos illos spiritus, à quibus omne principium generationis procedit, statim evanescere. Et ideò voluit natura, Marem, & Fœminam tam arctè conjungi; & ne semen masculeum quicquam ab aere externo pateretur, voluit illud à Mare per tubum usque ad internum uteri os immitti.* Concluditque post pauca: *Necessaria ergò omninò est ad conceptionem conjunctio Maris, & Fœminæ per intromissionem penis in matricem, aliter nulla sequi potest generatio.* Si itaque omnes Theologi docent, ad contrahendum impedimentum Affinitatis, requiri illam carnalem, ac perfectam copulam, quæ necessaria est ad generationem. Sanchez *d. libr. 7. disp. 64. num. 4.* Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 33. n. 2.* & Aversa *de Matrim. quæst. 17. sect. 1. Vers. Debet tamen.* Sequitur, quòd hæc copula, ut perfecta sit, fieri debeat per penis in matricem intromissionem, & in ea seminationem.

Sequitur in definitione *cum commixtione seminum*; non enim est perfecta copula, nisi semina Viri, ac Mulieris effundantur, & misceantur: & equidem de necessaria masculini seminis effusione testantur DD. quos citat, & sequitur Sanchez *d. disp. 64. n. 8. & 10.* quibus adhæret Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. n. 13. & 14.* subindè inferentes, quòd Spadones, & Eunuchi, quamvis mulierem
6 carnaliter cognoscere valeant, quia tamen, utroque teste carentes, semen ad generandum aptum non habent, Affinitatem contrahere non possunt. At de muliebri semine non admittunt hanc necessitatem, opinantes, absque illius effusione, contrahi Affinitatem; quod etiam docet Bonacina *d. q. 3. de Matrim. punct. 12. num. 12.* Aversa *d. quæst. 17. sect. 1. Vers. dubitatur.* & alii plures, quos citat, & sequitur Sanchez *d. libr. 7. disp. 64. num. 20.* Cæterum hæc opinio à me non recipitur, quia repugnat principiis tum Juris Canonici, tum Medicinæ. Jus Canonicum docet, Affinitatem oriri ex commixtione se-
7 minum Maris, & Fœminæ. *cap. Lex Divina, 27. q. 2. ibi: Sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem:* ideò Angelicus Doctor *2. p. qu. 55. art. 4. ad 2. ait: Vir, & Mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum: unde quantumcunque quis claustrum pudoris invadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc Affinitas.* Ergo opus est, ut etiam mulier seminet simul cum Viro. Id etiam apud Medicos est indubitatum, ut demonstrat Paulus Zacchias. QQ. *Medico-legal. lib. 7. tit. 3. quæst. 1. num. 16.* ubi carpit Pontium, Dianam, & alios contrarium asserentes, dicens eorum opinionem esse hæresim apud Medicos, ac Philosophos his verbis: *Mulieris semen requiri ad generationem apud Medicos communissima, ac receptissima sententia est; itaut mirari jubeat Pontium lib. 10. cap. 11. n. 3. & Dianam p. 3. Miscellan. tract. 5. resol. 38. & alios firmantes, semen muliebre non concurrere activè ad generationem ex receptiori Philosophorum, & Medicorum opinione: videntur enim hi DD. quicunque tandem sint, classicos Medicos, ac plerosque Philosophos non legisse.* Quia tamen video quam plurimos aliarum scientiarum Professores ea hæresi detineri, *quòd semen muliebre neque activè concurrat, neque sit necessarium ad generationem, lubet tantisper in hac re immorari, ut Juris peritis rem gratam faciam.* Et prosequitur per integram, ac doctissimam digressionem probando, mulieris semen esse omninò necessarium cum semine viri ad generandam prolem. Ergo utrumque requiritur simul commixtum, ut insurgat ex copula carnali Affinitatis impedimentum; ut plurimi ex Theologis, atque Canonistis tenent, quos allegat ipse Sanchez *d. disp. 64. num. 20.* quorum opinionem, etsi ipse non amplectatur, tamen vocat probabilem, & novissimè cum aliis ita sentit Gobatus *de Matrim. tract. 9. num. 391.* ubi ad cognoscendum, an mulier seminaverit? ait, esse modestè

intero-

interrogandam, *Utrùm tempore coitus, paulò ante, vel post, senserit magnam voluptatem? Si nullam, aut exiguam, signum est, non defluxisse ex ea semen.* Non inficiamur, ita sentiendum in foro interno tantummodo; nam in foro exteriori, ubi constaret de congressu Viri cum muliere, & de copula cum ea exercita, ulteriùs non esset indagandum; sed pronunciandum foret pro impedimento Affinitatis ex præsumpta seminum effusione, ac commixtione; quia, ut bene subdit Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 26. num. 56. Esto ex natura rei ad faciendam mixtionem sanguinum, ut dicunt Canones, sit necessarium utrumque semen; tamen ad judicandum hoc impedimentum id non requiritur, quia nequit in foro externo probari; Ecclesia autem de externis judicat.* Hinc requiri etiam seminis fœminei effusionem ad contrahendam Affinitatem docet quoque Mastrius *d. disp. 7. num. 477.* & Summa Diana *Verb. Affinitatis, num. 2.*

Adduntur in definitione hæc verba: *Inter fœminam, & consanguineos Viri, cui copulata est; nec non inter Virum, & consanguineas fœminæ, cui* 8 *copulatus fuit.* Ad denotandas personas inter quas contrahitur Affinitas; & quæ afficiuntur ob carnalem copulam hoc Affinitatis impedimento. Siquidem, etsi in Affinitate detur duplex Linea ad similitudinem consanguinitatis, (Recta scilicet, & Transversalis; seu Ascendentium, & Descendentium, atque Collateralium) gradus quoque computentur, ac numerentur eadem regula, quæ de cognatione carnali tradita est supra *Decis. XXII.* nihilominùs non omnes ex utraque Linea fiunt inter se Affines, prout consanguinei, neque ad omnes utriusque lineæ protenditur hoc Affinitatis impedimentum; sed in una linea, in qua est mulier copulam carnalem passa, ipsa sola Mulier fit Affinis, & contrahit Affinitatem cum consanguineis illius Viri, à quo carnaliter fuit cognita: & vice versa in linea ejusdem Viri, ipse solus evadit Affinis cum consanguineis ejusdem fœminæ per eum carnaliter cognitæ; adeò ut consanguinei mulieris prædictæ nullatenùs 9 censeantur Affines inter se; & per consequens inter seipsos nullo Affinitatis vinculo, vel impedimento sint affecti; ut communiter tradit omnis Schola Theologorum, ac Canonistarum, quos longa serie allegat Sanchez *d. libr. 7. disp. 67. à num. 2. & seqq.* Basilius Pontius *libr. 7. cap. 33. num. 3.* Aversa *d. quæst. 17. sect. 1. in princ.* Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 93.* Lessius *in 3. p. D. Thomæ cap. 10. de Matrimon. num. 166.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 24.* Gobatus *tract. 9. num. 401.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 26. num. 10.* qui omnes inferunt, inter consanguineos utriusque lineæ, scilicet Viri carnaliter aliquam mulierem cognoscentis, & ipsius mulieris ab eodem carnaliter cognitæ posse iniri Matrimonium; imò licitum esse Matri, & Filiæ nubere Patri, & Filio; & è contra, Patrem posse ducere in Uxorem Matrem, Filium ejusdem Matris Filiam, ac duobus sororibus permissum esse nubere duobus germanis Fratribus; ea fundamentali ratione, quòd Affinitas contracta ab una persona per copulam non transit in consanguineos suæ lineæ respectu consanguineorum alterius lineæ attinentium ad illam personam, quæ compar fuit ejusdem copulæ.

Subjungitur in definitione ex carnali copula habita *sivè licitè, sivè illicitè;* quia, ut infra demonstrabimus, eadem Affinitas nascitur tam ex copula conjugali licita, quàm 10 ex copula fornicaria illicita, cum hoc solo discrimine in impediendo, ac dirimendo Matrimonio subsequenti; quòd Affinitas ex copula licita dirimit usque ad quartum gradum inclusivè; ex illicita verò usque ad secundum tantùm. DD. apud Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 6. & 7.* apud Salmanticenses *d. cap. 12. num. 93.* subdit definitio, *dirimens Matrimonium subsequens cum iisdem Af-* 11 *finibus;* talis enim est effectus Affinitatis, ut non solùm impediat, sed etiam dirimat Matrimonium, sed post copulam carnalem habitam à muliere, hæc nuberet alicui consanguineo illius Viri, à quo carnaliter cognita fuit; cum prædicta mulier jam facta sit Affinis eorundem consanguineorum, & ipsi consanguinei jam ligati sint vinculo Affinitatis cum ipsamet muliere. Prout vice versa nullum, & irritum sit Matrimonium, quod de facto esset initum à Viro, qui priùs carnaliter cognovisset aliquam mulierem; si, inquam, ab eo esset initum de facto cum aliqua fœmina consanguinea prædictæ mulieris à se carnaliter cognitæ; ob eam rationem, quòd omnes fœminæ consanguineæ illius mulieris usque ad quartum gradum sunt devinctæ Affinitate cum ipso Viro. Reginaldus *libr. 41. num. 145.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 37.* & passim omnes.

Subsequitur in definitione; *vel si antea initium erat, impediens petitionem debiti;* quia hic est alius effectus proveniens ex Affinitate ex copula illicita; videlicet, quòd si quis Uxoratus committat rem carnalem cum consanguinea Uxoris suæ, non possit petere debitum à sua Uxore; quamvis reddere te- 12 neatur: & è converso si Uxorata coiret cum consanguineo mariti sui intra secundum gradum, privata sit jure petendi debitum à Marito suo; & in utroque casu copula dicitur incestuosa; per quam, qui illam committit incurrit etiam excommunicationem. An autem latæ sententiæ, vel ferendæ? disserepant DD. quos cumulat Thesaurus *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Incestus pœna. cap. 1. num. 3.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. à num. 71. & seqq.* addens, prædictos Uxoratos incestuosos excusari à pœnis antedictis, si ignoraverint, personam, cum qua coire præsumpserunt, fuisse consanguineam proprii conjugis; vel per Vim, & Metum copulam passi sint; sivè extra secundum Affinitatis gradum incestuosam copulam commiserint, quia ultra illum

hæ pœnæ non extenduntur, circa Matrimonium jam initum, etsi circa ineundum Affinitas ex copula licita dirimat usque ad quartum gradum. Ita DD. quos citat, & sequitur Vinc. de Justis *d. cap. 7. num. 72.* & Thesaurus *d. Verb. Incestus pœnæ cap. 1. num. 4.* attestantes ex mente Concilii Tridentini *sess. 24. de Matrim. cap. 4.* ita declaratum esse à Sacra Congregatione; quod etiam scribit Pontius *d. libr. 7. cap. 33. num. 6.*

Tandem dicitur in definitione; *donec super incestuosa copula dispensatio obtineatur:* quæ quidem dispensatio ad petendum debitum elargiri potest ab Episcopo cum subditis suis. Sanchez *libr. 8. disp. 12. num. 13.* Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg. 37. num 12.* Thesaurus *d. cap. 1. num. 4. in fine*; & alii plurimi, quos citat, & sequitur Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 88.* ubi tamen advertit, contrarium constantissimè asserere Garziam *de Benefic. part. 11. cap. 5. §. 4. num. 355.* & Pyrrhum Corradum *in Praxi Dispens. Apostol. libr. 8. cap. 1. num. 55.* A peccato autem, & ab excommunicatione quilibet Confessarius potest absolvere, quia in Jure nulli est reservata; nisi fortè & culpa, & censura prædicta per Decretum Episcopale esset eidem Episcopo reservata, prout est in pagella casuum reservatorum in hoc Episcopatu Patavino, ubi prohibentur Confessarii *num. 5.* absolvere *à copula incestuosa commissa cum Consanguineis, vel Affinibus in primo, vel in secundo gradu.*

Ex his inferunt omnes scribentes, quòd licet obtineatur absolutio à copula incestuosa, & ab excommunicatione per eam incursa; non censetur dispensatum super impedimento Affinitatis dirimente Matrimonium subsequens; quia tale impedimentum est perpetuum, & durat etiam post mortem conjugis, vel personæ, ex cujus copula ortum habuit, nisi expresè ad effectum contrahendi Matrimonium cum Affine obtineatur à Sede Apostolica dispensatio. *cap. Fraternitatis vestræ. 35. qu. 10.* Sanchez *d. libr. 7. disp. 64. num. 2.* Reginaldus *d. libr. 31. num. 144.* Massobrius *de Concursu requis. 7. dub. 28. num. 2.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 21.* subdens quòd nec deletur, etsi Matrimonium dissolvatur, ex Cardin. Parisio *cons. 68. num. 14. vol. 4.* scilicet, quia prætenderetur fuisse nulliter initum ob aliquod aliud impedimentum dirimens; dummodò fuerit consummatum; nam, ut dictum est, ex copula carnali oritur Affinitas, quæ semper, & in perpetuum dirimit; nisi Summus Pontifex per dispensationem eam tollat.

Quo ab secundum, in quo quæritur *Quotuplex sit Affinitas?* Distinguere oportet Jus antiquum Sacrorum Canonum a Jure novo Concilii Tridentini. Canones antiqui recognoscebant tria genera Affinitatis, & sic triplex erat Affinitas ex copula conjugali consurgens, Una primi gradus, Altera secundi, Tertia tertii gradus, ut magistraliter explicat Glossa in *cap. Non debet. 8. Verb. In secundo, & tertio. De Consangu. & Affinit.* Affinitas primi gradus erat illa, quæ nunc etiam viget, scilicet, quando Vir, & Mulier contrahebant Matrimonium simul, ac illud per copulam carnalem consummabant; omnes consanguinei Viri fiebant affines ejusdem mulieris; ita ut si vidua remaneret, nulli eorum posset nubere. Et è contra omnes fœminæ consanguineæ ipsiusmet mulieris evadebant Affines illius Viri; itaut factus viduus per mortem dictæ Uxoris, nullam ex consanguineis ejusdem Uxoris posset sibi in Uxorem adjungere ob impedimentum Affinitatis in primo genere. *d. cap. Non debet. 8. De Consanguin. & Affinit.* Affinitas secundi generis erat, si mortuo Primo marito illius mulieris, ipsa nupsisset alteri: iste secundus maritus efficiebatur Affinis cum omnibus consanguineis masculis, & fœminis primi mariti; & idcircò si iste secundus maritus remansisset in viduitate per mortem illius mulieris, non poterat inire Matrimonium cum aliqua consanguinea antedicti primi mariti, ob impedimentum Affinitatis secundi generis, quod dirimebat conjugium usque ad quartum gradum, juxta textum *in cap. De propinquis. 35. q. 3.* Affinitas tertii generis erat, si antenominatus secundus maritus viduus effectus per mortem primæ mulieris contraxisset secundas nuptias cum alia extranea muliere; hæc mulier extranea efficiebatur Affinis cum consanguineis non solùm hujus sui mariti, sed etiam cum consanguineis illius prioris Uxoris defunctæ, propterea, si hæc extranea mulier remanebat vidua; non poterat nubere alicui consanguineo ejusdem prioris Uxoris mariti sui, usque ad secundum gradum, ob impedimentum Affinitatis tertii generis, quod dirimebat Matrimonium usque ad secundum gradum, de quo in *cap. Porrò, eadem. 35. q. 3.* Ex his patet, quòd antiquitùs Affinitas pariebat Affinitatem, quia Uxor e. g. fratris mei, Affinis effecta mecum; & aliis consanguineis meis, si viduata nubebat alii Viro transfundebat in ipsum Affinitatem meam, & consanguineorum, ac consanguinearum mearum; & iste secundus Vir, si mortua Uxore aliam ducebat, hæc quoque efficiebatur Affinis mihi, ac omnibus consanguineis meis, ut fusiùs docent d. Glossa *in cit. cap. Non debet. De Consanguinit. & Affinit.* Basilius Pontius *libr. 7. cap. 34. num. 1.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 37.* Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 26. art. 1. & 2.* qui omnes advertunt, quòd hæc tria genera Affinitatum de Jure antiquorum Canonum impediebant, & dirimebant Matrimonia. Cæterùm Innocentius Papa III. in Concilio Generali Lateranensi IV. celebrato *Anno 1215.* abrogavit secundum, & tertium genus supradictæ Affinitatis; cujus Concilii Decretum refertur in *d. cap. Non debet 8. De Consanguin. & Affinit.* his verbis: *Cùm ergo prohibitiones de conjugio in secundo, & tertio Affinitatis genere minimè contrahendo, & de Sobole susceptâ ex secundis nuptiis cognationi Viri* (scilicet primi mariti, cujus Uxor cum alio secundo marito dictam Sobolem genuerat) *non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquandu periculum pariant animarum:*

animarum: Cùm cessante prohibitione, cesset effectus; Constitutiones super hoc editas, Sacri approbatione Concilii revocantes, præsenti Constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero liberè copulentur. Quare, ab eo tempore citra Affinitas remansit, & remanet in primo genere; videlicet, ut Uxor non possit, in casu viduitatis, nubere alicui consanguineo mariti sui defuncti usque ad quartum gradum inclusivè; nec vice versa, maritus post mortem Uxoris suæ valeat sibi copulare aliquam consanguineam ejusdem Uxoris usque ad quartum gradum; aliis duobus Affinitatis generibus prorsùs extinctis, undè desumpta est nova regula, quòd Affinitas Affinitatem non parit.

Circa verò Jus novum, præcipuè Concilii Tridentini, Duplex alia habetur divisio Affinitatis: Una est, quæ oritur ex copula licita, nempè ex Matrimonio servatis servandis inito, & consummato; alia, quæ insurgit ex
17 copula illicita; nempè fornicaria, habita extra Matrimonium cum quacunque muliere; & in utraque specie hujus Affinitatis, sicut Vir non potest contrahere conjugium cum consanguineis fœminæ illius mulieris, quam carnaliter cognovit, ita mulier nubere non po-
18 test alicui consanguineo illius Viri, à quo carnaliter cognita fuit; etsi inter utramque speciem discrimen sit quo ad gradum, ut infra dicemus. Altera Affinitatis divisio est, quòd alia dicitur Affinitas Lineæ rectæ, alia vocatur Affinitas Lineæ transversalis. Prima est illa, quæ comprehendit Avum, & Patrem Viri, qui duxit Uxorem, ac Uxorem ipsam; necnon uxores filiorum, Nepotum, Pronepotum, & aliorum descendentium ab eodem Avo, & Patre, cum quibus Uxoribus (si fortè viduæ essent) Avus, & Pater prædicti non possunt Matrimonium contrahere: & vice versa inter Aviam, & Matrem mulieris, quæ nupsit alicui viro, cui viduato nulla earum nubere valet; adeò ut Socer non possit habere in Uxorem nurum suam, neque Socrus nubere genero suo; ea ratione, quia sunt adinvicem Affines in Linea recta; & hoc notum est apud Italos uno ore dicentes: *Il Missiere non puo prendere la nuora per sua moglie, quando è morto suo figliuolo, che di essa era marito.* Et vice versa: *La Madonna non può maritarsi con suo genero, quando è morta la sua figliuola, che era moglie di esso.* Scilicet propter Affinitatem in linea recta inter socerum, & nurum; & inter generum, ac socrum existentem Affinitas lineæ transversalis est illa, quæ ab uno latere complectitur maritum, ab alio omnes mulieres consanguineas Uxoris ejus: & è contra, quæ ab uno latere ligat Uxorem mariti, ac omnes ejusdem mariti consanguineos ab alio latere; ac propterea ob Affinitatem initam vel ex copula conjugali, vel ex fornicaria inter Virum coeuntem, & fœminas consanguineas mulieris ab eo carnaliter cognitæ non potest iniri Matrimonium; prout nec è contra intra eandem Mulierem carnaliter cognitam, & consanguineos Viri, à quo cognita fuit. S. Thomas *in 4. dist. 41. quæst. Unic. art. 2.* & in Addit. *3. p. quæst. 55. art. 6.* Sanchez *d. libr. 7. disp. 67. num. 1.* Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 33. num. 3.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 26. num. 10.* Gonetus *tom. 5. disp. 9. de Matrim. num. 79.* Reginaldus *libr. 31. num. 145.* novissimè doctissimus Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. num. 475.*

Porrò hic observandum venit id, quod notant omnes DD. videlicet Affinitatem propriè gradus non habere, sed in Affinitate gradus mensurari juxta gradus consanguinitatis; atque ideò distantia, vel propinquitas Affinita-19 tis est mensuranda juxta distantiam, vel propinquitatem graduum consanguinitatis cum ea persona, per quam nascitur Affinitas. Idcircò stipes in Affinitate sunt illæ duæ personæ, quæ sè carnaliter cognoscunt; quæ proindè non dicuntur inter se affines, sed principium Affinitatis. Exempli gratia, Petrus carnali-20 ter cognoscit Annam: Petrus, & Anna sunt stipes Affinitatis ex eorum copula consurgentis; & subindè in quoto gradu consanguinitatis parentes Petri sunt cum ipso Petro; in eodem gradu Affinitatis censentur esse cum ipsa Anna; & è contra in quoto consanguinitatis gradu consanguineæ Annæ sunt cum ipsa Anna, in eodem gradu Affinitatis dicuntur esse cum Petro. Frater, seu Filius Petri est ei conjunctus in primo gradu consanguinitatis; ergò in primo gradu Affinitatis uterque est conjunctus cum dicta Anna. Mater Annæ distat uno gradu consanguinitatis ab ipsa Anna; uno etiam Affinitatis gradu distat à prædicto Petro; & sic est discurrendum in cæteris remotioribus gradibus tam in linea recta, quàm in linea transversa. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 26. art. 1.* idem Mastrius *d. disp. 7. num. 476.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 37.* ubi ponit hoc carmen sumptum ex cit. Glossa *in cap. Non debet. De Consanguin. & Affinit.* nempè: *Mutat nupta genus: Non generata gradus:* idest, per conjugalem copulam mutatur genus parentelæ inter copulatorum consanguineos, qui propterea dicuntur affines respectu alterius ex conjugibus, modo supra explicato; sed non mutatur gradus, quia in eodem gradu Affinitatis sunt cum conjuge sui consanguinei, in quo ei conjunguntur per consanguinitatem.

Quo ad Tertium: in quo Quæritur, *usque ad quem gradum Affinitas dirimat Matrimonium?* Distinguere oportet Jus antiquum, à Jure medio, & Jus medium à Jure Novissimo. De 21 Jure antiquo Affinitas impediebat, ac dirimebat Matrimonium inter Affines usque ad septimum gradum inclusivè; prout statuerat Julius Papa Primus, (qui ad Pontificatum elevatus fuit *Anno* 337.) & legitur *in cap. Nullum. 35. quæst. 2.* ubi sic: *Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sanguinis, vel Uxoris usque ad septimum generis gradum Uxorem ducere. Quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua Consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate Uxoris suæ conjugem ducere propter carnis unitatem.* Hunc textum referunt Gonet, *d. disp. 9. de Matrim. num. 97.* Salmanticenses *d. tract. 9. cap. 12. num. 95.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 26. num. 23.* qui alios antiquos canones colligit, idem disponentes. De Jure medio, videlicet, in Concilio Generali Lateranensi celebra-

celebrato per Innocentium III. Summum Pontificem d. Anno 1215. decretum fuit, ut Affinitatis impedimentum (sivè ex copula licita, sivè ex illicita) restringeretur ad quartum gradum inclusivè, itaut ultra gradum illum licitum foret Affinibus contrahere inter se Matrimonium; prout legitur *in can.* 50. ejusdem Concilii, repetito *in cap. Non debet. De Consanguin. & Affinit.* cujus hæc sunt verba: *Prohibitio copulæ conjugalis quartum Consanguinitatis, & Affinitatis gradum de cætero non excedat. Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibito generaliter observari.* De eodem Generali Concilio in ejus *Præfat. tom.* 4. *pag. mihi* 209. & de eodem Summo Pontifice Innocentio III. hæc habentur

22 *At Pontifex ubi videret Saracenorum potentiam in Asia concrescere, apud Lateranum maximum Concilium celebrat* (Anno 1215.) *cui interfuere Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus Patriarcha; Metropolitani LXX. Episcopi CDXII. Abbates, & Priores Conventuales DCCC. Græci, & Romani Imperii Legati; Regum verò Hierusalem, Franciæ, Hi-*

23 *spaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores.* Et paulò infra: *Ipse Pontifex Perusii moritur, Pontificatus sui Anno* 18. *Mense* 7. *die* 19. *cujus vita adeo probata fuit, ut post ejus mortem, nil earum rerum, quæ in vita egerit, laudaverit, improbaveritque, immutatum sit. Nam & Decreta pleraque retulit, quibus tam Laicorum, quàm Clericorum mores componerentur. Scripsit, & Libros de Sacramento Eucharistiæ, de Sacramento Baptismi, de Infelicitate conditionis humanæ. Habuit item sermones Temporibus, & Solemnibus diebus accomodatos.* Hæc ibi; & alia plura de liberalitate, ac pietate Innocentii III. in restaurandis, ac ditandis Ecclesiis, & Hospitalibus, ibi legenda.

De Jure autem novissimo, idest Sacri Tridentini Concilii, *de Anno* 1583. cùm in eo prudenter consideratum fuisset, quòd Affinitas exurgens ex copula illicita, frequenter esset occulta, & plures cum illa Affinitate invalidè contrahebant conjugia, ac in eis, etsi nullis, cum animarum detrimento, perseverabant, deliberatum fuit, ut Affinitas quidem ex copula Matrimoniali proveniens dirimeret Matrimonium usque ad quartum gradum juxta Lateranense Concilium: at illa, quæ oriretur

24 ex copula fornicaria, & illicita non protenderetur ultra secundum gradum, eò magis, quia non tantus amor, familiaritas, aut reverentia oritur ex copula illicita; quantus ex conjugali, ac ex legitimo Matrimonio orta. Decretum Tridentini Concilii *sess.* 24. *de Matrim. cap.* 4. fuit hujusmodi: *Præterea Sancta Synodus eisdem, & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter Affinitatem ex fornicatione contractam, inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit; ad eos tantùm, qui primo, & secundo gradu conjunguntur, restringit. In ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi Affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.* Quare post Tridentinum Concilium Affinitas orta ex illicita copula non dirimit Matrimonium, nisi usque ad secundum gradum inclusivè. Et quoniam post hanc Conciliarem restrictionem nonnulli dubitare cæperunt, an esset intelligenda non solùm circa Impedimentum Affinitatis dirimens, sed etiam circa ipsum, quatenus est impedimentum impediens, asserentes, quòd ex Concilio Tridentino Affines ob illicitam copulam validè quidem possunt inter se contrahere Matrimonium in tertio, & quarto gradu, non autem licitè adinstar Impedimenti Voti simplicis castitatis, quod conjugia non dirimit, sed ea illicita reddit, ex rationibus, quas refert Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 67. *n.* 4. S. Pius V. Pontifex Maximus ad tollendam omnem dubitationem, Motu proprio, in Bulla Incipien. *Ad Romanum Pontificem, Anno* 1566. declaravit, prædicta Matrimonia inter Affines ex copula illicita, esse valida, & licita in tertio, & quarto gradu; in utroque enim penitùs sublatum fuit omne impedimentum Affinitatis tam impediens, quàm dirimens à Concilio Tridentino. Declaratio autem Piana his verbis concepta fuit: *Declaramus, & Auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominùs in ulterioribus gradibus hujusmodi, liberè, & licitè Matrimonium contrahi possit.* Quæ quidem verba transcribit etiam Sanchez *d. disp.* 67. *num.* 4. nec non Barbosa *in Collect. DD. ad Concil. Trid. sess.* 24. *de Matrim. cap.* 4. *num.* 10.

Ex restrictione prædicta Affinitatis ex copula illicita per Concilium Tridentinum facta ad primum, & secundum gradum tantùm, deducunt DD. infrascriptas quinque illatio-26 nes. *Prima* est, quòd Affinitas ex Matrimonio orta etiam in præsenti impedit, & dirimit Matrimonium inter Affines usque ad quartum gradum inclusivè juxta Decretum Concilii Lateranensis de Anno 1215. sub Innocentio Papa III. *Secunda* est, quòd Affinitas orta ex fornicatione sicut Matrimonium non dirimit ultra secundum gradum, ita nec impedit, nec dissolvit Sponsalia cum Affinibus in tertio, vel quarto gradu inita, vel ineunda. *Tertia* est, quòd nomine fornica-27 tionis intelligitur quæcunque copula illicita, prout est Adulterium, Stuprum, aliavè species damnatæ Luxuriæ; quia Fornicatio est nomen genericum, comprehendens sub se omnes alias species, juxta illud *Tob.* 4. 13.28 *Attende tibi, Fili mi, ab omni fornicatione. Quarta* est, quòd si quis copulam carnalem illicitam habuerit cum una fœmina; deindè coierit cum consanguinea ejusdem fœminæ in tertio, vel in quarto gradu, non committit incestum; sed vel simplicem fornicationem, vel aliam speciem luxuriæ juxta qualitatem ejusdem consanguineæ; ea ratione, quia cum ea, ex prima conjugali copula, nullam contraxit Affinitatem; & ideò in confessione non tenetur exprimere, se coivisse cum consanguinea mulieris, aliàs à se per copulam carnalem fornicariam cognitæ. *Quinta* illatio est, quòd si quis Uxoratus copulam carnalem illicitam habeat cum consanguinea Uxoris suæ in tertio, vel quarto gradu existente, non amittit jus petendi debitum, ut declaratum esse à29 Sacra Congregatione refert Garzias *de Benef. part.* 8. *cap.* 3. *num.* 76. & ratio est, quia si lapsus fuisset in illam illicitam carnalem co-

pulam

pulam, antequam Uxorem suam duceret, non fuisset impeditus eam ducere: igitur cùm antea eam duxerit, non est impeditus petere ab ea debitum; nam, ut inquiunt Verba Declarationis, confirmatæ à Gregorio XIII. *si à Concilio Tridentino sublatum est impedimentum dirimens (ultra secundum gradum) quod majus est; ergo & istud, quod solùm impedit, ne is, per quem contracta est Affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quòd minus est.* Et de supradictis illationibus latè differunt DD. quos longa serie allegat Barbosa *ad d. sess. 24. de Matrimon. cap. 4.* inter quos, præter Sanchezium *d. libr. 7. disp. 67.* Farinacius *de Delictis carnis quæst. 149. num. 116.* Reginaldus *d. libr. 31. à num. 147.* Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 38. §. 1.* Caballus *Resol. trimin. casu 200. à num. 45. & seqq.* novissimè Lezana *in Summa tom. 3. Verb. Affinitas. num. 2.*

Quo ad Quartum; in quo requiritur, *Quo Jure hoc Impedimentum Affinitatis sit introductum? & ei datum, ut dirimat Matrimonium?* Quoniam tria sunt Jura, Ecclesiasticum, Naturale, ac Divinum; de singulis est separatim differendum. De Jure Ecclesiastico nemo est, qui neget introductum esse hoc impedimentum dirimens Affinitatis; quia, ut dictum est supra in secundo Quæsito *à num. 15. & seqq.* usque ab initio Ecclesiæ per diversos Summos Pontifices vetita fuere conjugia inter Affines in primo, secundo, ac tertio Affinitatis genere, ut ex juribus ibi citatis; ultra quæ alios canones adducit Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 26. num. 94.* ita dicens: *Primum decretum, quod appareat in toto textu Canonico est Hygini Papæ post Epistolam ejus secundam, & habetur 35. quæst. 10. cap. penult. Hic autem Papa sedebat do Anno Christi 150. Secundum est Fabiani, & habetur in cap. De propinquis. 35. quæst. 2. & 3. Hic autem Martyr occubuit Anno 253. Tertium Innocentii I. ut habetur in cap. fin. 35. quæst. 10. Hic autem obiit anno 417. Quartum Julii I. & habetur in Epistol. 4. Hi, & alii Pontifices statuerunt impedimentum Affinitatis, alii usque ad septimum gradum, alii usque ad quartum, alii indefinitè, ut patuit in art. 3. Et tandem in Concilio Lateranensi IV. can. 50. stabilitum est, ut Affinitas usque ad quartum tantùm impediat, ac dirimat. Ergo ab Ecclesia statutum est hoc impedimentum.* Hoc autem adeò clarum, & manifestum est, ut nullus, nisi malignæ voluntatis, audeat negare.

De Jure naturæ oportet distinguere Affinitatem ex copula fornicaria, seu illicita; ab Affinitate insurgente ob copulam conjugalem, ac licitam. Circa primam, scilicet ex copula illicita omnes scribentes Theologi, ac Canonistæ concorditer docent, ejus impedimentum non oriri ex Jure naturali, sivè sit in linea recta, sivè in linea transversa. Rationem hanc assignant, quia ex copula fornicaria nulla nascitur propinquitas, quæ generet reverentiam, vel amicitiam inter Affines; non enim filius alicujus mulieris naturaliter movetur ad exibendum amorem, vel reverentiam illi viro, qui cum eadem mulieris Matre sua illicitam copulam habet: nec ejusdem Viri filius ad reverendam, vel obsequendam mulierem, quam ejus pater turpiter cognovit; ideò natura non præcipit, ut in obsequium hujus Affinitatis adeò imperfectæ, & ex turpi causa provenientis, debeat esse impedimentum inter Affines, dirimens inter eos Matrimonium. Ita Castropalus *de Matrim. disp. 4. punct. 18. num. 10.* Sanchez *d. libr. 7. disp. 66. n. 3.* Bonacina *quæst. 3. punct 12. num. 7.* & alii apud Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 96.* quibus concordat Vinc. de Justis de *Dispensat. Matrimonial. libr. 2. cap. 7. num. 49.* & ibi M. Ant. Genuensis *in Praxi Curiæ Archiepisc. Neapol. cap. 20. num. 9.* supradictam rationem repetens his verbis: *Quia ex hujusmodi Affinitate non inducitur vinculum naturale, nec inter fœminam cognitam, & Consanguineos Viri, qui illam cognovit, ulla oritur amicitia naturalis, sed potius oriuntur, ut plurimum, odia, & inimicitiæ.*

At, circa Affinitatem orientem ex copula conjugali, & licita, tres sunt DD. diversæ Sententiæ. Prima tenet, quòd Impedimen-32
tum Affinitatis ex copula maritali insurgens dirimat Matrimonium de Jure naturæ tam in linea recta, quam in linea transversali in primo gradu, itaut naturaliter esse non possit conjugium inter Novercam, & Privignum, idest *trà la Matregna, & il Figliastro*; seu inter Socerum, & Nurum; *trà il Missiere, & la Nuora*, qui in linea recta, primo Affinitatis gradu conjunguntur; ac ulteriùs Matrimonium consistere non possit de Jure naturæ neque in primo gradu lineæ transversæ, videlicet inter Uxorem fratris defuncti cum alio fratre vivente; seu inter Maritum Uxoris defunctæ cum sorore vivente ejusdem Uxoris defunctæ; undè communiter dicitur *il Cognato non può sposare la Cognata: nè questa può maritarsi con suo Cognato.* Rationes, quibus Jus naturale prohibet, ac dirimit Matrimonium in primo gradu lineæ recta, adducentur infra in secunda sententia. Rationes verò ejusdem prohibitionis in primo gradu lineæ transversalis, sunt sequentes. *Primò*, quia Uxor fratris reputatur soror; siquidem per actum conjugalem effecta est una caro, & unus sanguis cum ipso fratre. Sed Jus naturale impedit, & dirimit Matrimonium inter fratrem, & sororem. Ergo etiam inter fratrem, & Uxorem Fratris. *Secundò*, quia quidquid turpe est ab intrinseco, & ex natura rei, dicitur prohibitum de Jure naturali Sed in *Levit* 18. 16 prohibitum fuit Matrimonium inter fratrem, & Uxorem fratris tanquam quid turpe: ibi: *Turpitudinem Uxoris fratris tui non revelabis.* Ergo tanquam de Jure naturæ vetitum. *Tertiò*: quia S. Johanes 33
Baptista arguebat Herodem ob hoc impedimentum de Jure naturali, quo non obstante duxerat in Uxorem Herodiadem Uxorem Philippi fratris sui, ut legitur *Matth.* 13. 14. &. *Marc.* 6. 17. *Herodes misit, ac tenuit Johannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem Uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Johannes Herodi: non licet tibi habere Uxorem fratris tui.*

Herodes autem cùm esset gentilis, non prohibebatur ab illo conjugio, nisi Jure naturali. *Quartò*, quia *in cap. Gaudemus, De Divort.* decernitur, infideles conjunctos in gradibus prohibitis, conversos ad fidem non esse separandos, sed tolerandos in secundo tantùm gradu. Ergo non etiam in primo gradu, tanquam conjuncti contra Jus naturæ. Siquidem exceptio in uno casu firmat Regulam in contrarium. Barbosa *Axiom. 85. num. 4.* ubi Jura, & DD. Ideò ob has rationes hanc sententiam tenuerunt Richardus, Paludanus, S. Antoninus, Durandus, & alii relati à Mastrio *in cit. disp. 7. num.* 481. & plurimi DD. scripserunt pro prætensa nullitate Matrimonii Henrici VIII. Regis Angliæ, qui duxerat in Uxorem Catharinam Aragoniam, quæ priùs nupserat Arturo fratri germano prædefuncto ejusdem Henrici, quamvis super secundo illo Matrimonio obtenta fuisset Apostolica Dispensatio à Summo Pontifice Julio II. quem illam non
34potuisse concedere Jure naturali resistente, asserebant Theologi, ac Jurisperiti pro eodem Rege Henrico VIII. scribentes; Inter quos fuit (ut aliàs dixi) noster Marcus Mantua Benavidius Jurisconsultus, ac Publicus Juris Civilis Professor in hoc celeberrimo Archigymnasio Patavino, cujus Votum circa prætensam Dispensationis Apostolicæ nul-
35litatem, ac Matrimonii invaliditatem, legitur impressum *tom. 1. Consilior. ejus, Consil.* 121. in quo, etsi plurima, eaque fortissima argumenta alleget pro validitate Dispensationis Pontificiæ, conatur ea dissolvere, respondendo; ut dissolutionem Matrimonii, per Henricum VIII. de facto attentatam, justam, ac licitam ostendat, etsi minùs justè, & omninò illicitè; ut infra *num.* 38.

Secunda sententia tenet, Affinitatem in primo gradu lineæ transversæ non esse Juris naturalis impedimentum dirimens Matrimonium; sed illam tantummodò in primo gradu lineæ rectæ. Ita Emin. Card. Bellarminus, Valentia, Tannerus, Vasquez, Estius, & alii, quos citant Sanchez *d. lib. 7. disp. 66. num. 6.* & Mastrius *d. disp. 7. num. 481. in fin.* probant, quòd Jure naturali non sit prohibi-
36tum Matrimonium in primo gradu lineæ transversæ: 1. Quia Jacob nupsit duabus sororibus Liæ, & Racheli. *Gen. 19.* 2. Quia Judas dedit in Uxorem Thamar filio suo primogenito *Her*; quo mortuo, eandem Thamar in Uxorem dedit secundogenito filio suo *Onam. Gen. 38.* 3. Quia Deus præceperat Hebræis *in Deuterom. 25.* 5. quòd *si unus ex fratribus absque liberis mortuus fuerit, Uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus.* At Deus non potuit præcepisse id, quod esset contra naturam, vel prohibitum Jure naturali, cujus ipse Deus est auctor, de quo scriptum est *Malach. 3. 6. Ego Dominus, & non mutor.* Item, quia post mortem Uxoris, ejus Soror poterat nubere Marito illius, & Affini suo, ut *in Levit. 18. Vers. 18.* 4. Quia probabilis est opinio, quòd neque inter consanguineos prohibitum sit Matrimonium de Jure naturæ in primo gradu lineæ transversæ, ut docet Mastrius *d. disp. 7. num. 460.* & nos ostendimus supra *Decis. XXII.* 5. Quia, ut infra ostendemus *num. 49.* sæpè dispensatum est in Ecclesia, ut frater ducere possit in Uxorem mulierem illam, quæ fratri jam defuncto priùs nupserat; & talis fuit dispensatio Julii II. ut prænominatus Henricus VIII. Rex Angliæ posset Matrimonium inire cum Catharina Aragonia, quæ priùs nupserat Arturo ejus fratri; ut narrant omnes Historici, & novissimè P. Ant. Foresti *in Mappamundo Histor. tom. 5.* in Vita d. Henrici VIII. *Anno 1513. pag. 119.*

Neque subsistunt argumenta, seu fundamenta contraria. Non primum, quia Uxor fratris impropriè, ac lato modo vocatur Soror; & etiamsi talis verè esset, non prohiberetur Jure naturæ nubere cognato. Non secundum, quia verbum illud *turpitudo*, quo Scriptura utitur *Levitic. 18.* significat talem qualem indecentiam; non autem aliquid a natura prohibitum. Non Tertium, quia S. Joannes Baptista non arguebat Herodem ex-
37eo, quòd duxisset cognatam Herodiadem in Uxorem, sed quia, vi, & vivente ejus fratre Philippo eam duxerat; ideò erat reus Adulterii, Raptus, & Incestus. Ita Cornelius à Lapide *Comment. in Marc. 6. 19.* ubi sic: *Verùm dico, Herodem vivo Philippo, & invito duxisse Herodiadem, ideoque peccasse tripliciter, Adulterio, Incestu, & Raptu. Probatur primò, quia id diserte asserit Josephus libr. 18. Antiquit. cap. 7. Secundò, quia eam duxit sub annum 15. Tiberii Cæsaris; tunc enim prædicare cœpit Joannes, ut patet Luc. 3. 1. Philippus autem mortuus est Anno 20. Tiberii, ut affirmat idem Josephus libr. 18. cap. 6. ubi eundem à modestia, & justitia commendat. Tertiò, quia passim Patres Herodem accusant Adulterii, quòd fratri vivo, sed mansueto Uxorem abstulerit; nimirùm ejus lenitatem abusus est Herodes.* Non subsistit quartum fundamentum contrarium ex *cap. Gaudemus. De Divortiis*; quia ibi agitur de impedimento Consanguinitatis, non autem Affinitatis, quæ minùs urget, quam illa. Sanchez *d. libr. 7. disp. 66. num. 12.* Item Papa ibi fuerat interrogatus de secundo gradu, non de primo, qui idcircò non est dicendus exceptus. Tantò minus, quia (ut dicemus *infra num. 50.*) ipsemet Innocentius III. *in cap. fin. eod. tit. de Divort.* expressè concessit, ut infideles conversi ad fidem habentes in Uxores relictas ab eorum fratribus, eas possent retinere. Non quintum, quòd multi Jurisconsulti scripserint, dispensationem Apostolicam pro Henrico VIII. Rege Angliæ fuisse nullam, quia alii plurimi doctissimi scripserunt pro ejusdem Dispensationis validitate, quos citat Sanchez *d. libr. 7. disp. 66. num. 11.* & eandem Dispensatio-
38nem postea confirmavit Clemens VII. *consultis prius totius Europæ primariis Universitatibus*, ut ait Mastrius *d. disp. 7. num. 482.* nec ponderosæ Auctoritatis sunt consilia Marci Mantuæ, & aliorum ad favorem ejusdem Regis Angliæ exarata, in quibus dixerunt, ejus Matrimonium cum cognata esse vetitum de Jure naturæ, contra quod Papa non videtur potuisse dispensare; quia, ut notat Cornelius à

Lapide

Lapide *Comment. in Levitic.* 18. *Id affirmarunt eodem tempore nonnulli Doctores in variis Universitatibus, sed Angelottis Henrici corrupti.* Angelotti sunt monetæ argenteæ Anglicanæ, ut observat Magrius *in Hierolex. Verb. Anglia.* Hinc regula est in Jure, quòd Doctoribus Causidicis consulentibus parùm sit credendum, quia pro objecto, non meram veritatem habent, sed interesse, ex traditis per Rotam *part. 9. rec. decis. 438. num. 12.* & per Eminent. Card. de Luca *de Testamentis disc. 74. num. 7.* ubi Jura, & DD.

In Linea autem recta Affinitatis Jus naturale produxisse impedimentum dirimens Matrimonium in primo gradu asservat hæc secunda sententia ex rationibus, ac fundamentis sequentibus; itaut nullo modo possit subsistere connubium inter privignum, & novercam, *il Figliastro, e la Madregna:* inter privignam, & vitricum, *trà la Figliastra, & il Padregno*; inter socerum, & Nurum; trà *il Missiere, e la Nuora*; nec inter Socrum, & Generum; *idest nè trà la Madonna, & il suo Genero.* I. Quia eodem modo abstinendum à copula carnali circa Affines, ac circa Consanguineos. *cap. 1. De Consanguin. cap. Æqualiter cap. De propinquis. 35. q. 3.* At in primo gradu Consanguinitatis lineæ rectæ Jure naturæ irritatur Matrimonium, ut fatentur omnes, & nos probavimus supra *d. Decis. XXII.* Ergo etiam in primo gradu rectæ lineæ Affinitatis. II. Quia ex Aristotele 8. *Ethic. cap. 12.* Sicut per propagationem carnis contrahitur quoddam naturale vinculum amicitiæ; ita per conjunctionem conjugalem, quæ ordinatur ad eandem carnis propagationem. III. Quia, filius debet eandem reverentiam Novercæ, aut Vitrico, quam parentibus; siquidem prædicti locum parentum obtinent, & tales esse censentur, quia sunt una caro. Idem dicendum de Genero, & Nuru erga Socerum & Socrum eorum. IV. quia in *Levit.* 18. priùs prohibentur Matrimonia in primo gradu lineæ rectæ Affinitatis, deindè Consanguinitatis. Ergo in utraque parentela de Jure naturali in eodem primo gradu lineæ rectæ extat impedimentum dirimens. V. Quia etiam Gentiles, qui solo jure naturæ afficiebantur, abstinebant à conjugio in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ, ut innuit Divus Paulus 1. *ad Cor. 5.* scribens: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: itaut Uxorem patris sui aliquis habeat.* VI. Quia Jacob morti proximus maledixit Ruben primogenito suo, quia prævaricatus erat contra hoc Jus naturale; ait enim *Genes. 49. 4. Non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.* VII. Quia inter alia scelera, de quibus fit exaggeratio contra Judæos per Prophetam *Amos 2. 7.* ponitur copula in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ, dicens: *Filius, ac Pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.* VIII. Quia S. Augustinus, relatus *in cap. Si Vir, & Uxor. 35. q. 3.* ita scripsit *in libr. 22. contra Faustum cap. 61. Si Vir, & Uxor non duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quàm filia.* IX. Quia tandem nunquam auditum est, quod Ecclesia dispensarit in hoc primo gradu Affinitatis in linea recta: imò Urbanus Papa VII. Anno 42
1632. instanter requisitus à Sereniss. Carolo Gonzaga Mantuæ Duce, ut secum dispensaret, pro ducenda in Uxorem nuru sua, quam ejus prædefunctus filius sine prole viduam reliquerat, dispensationem constanter negavit, ut scribit Illustrissimus Baptaglinus Episcopus Nucerinus *in Annalibus Sacerdotii, & Imperii Anno 1632. num. 7.* his verbis: *Altera negativa diede ancora Urbano di gratia richiesta dalla appartenenza del Sacerdotio al Duca Carlo di Mantova, à cui essendo mancato per morte naturale il Prencipe suo Primogenito, Marito dell' unica Figliuola dell' ultimo Duca Vincenzo; e però considerata come herede di quello Stato, non era ella lasciata dalli Spagnuoli senza lusinghe, acciochè pigliando dalle loro mani altro marito risorgessero le loro speranze nè perturbamenti d' Italia; e perciò il Duca medesimo deliberò di togliere loro una tale apertura, aspirando egli stesso alle Nozze con la Nuora, e fece speditione à Roma per impetrarne l' Apostolica Dispensatione.* Quæ tamen post diligens studium, & reiteratas consultationes non fuit concessa. Igitur his rationibus prohibitum esse Matrimonium in primo gradu Lineæ rectæ inter Affines docuerunt S. Thomas *super 1. Cor. 5. Vers. Omninò auditur. lect.* 1. S. Antoninus *3. p. tit. 1. cap. 11. §. 1.* Sylvester *in Summ. Verb. Matrimon. 8. q. 15. dict. 6. & Verb. Papa qu. 17.* Navarrus *libr. 4. Consilior. in 2. edit. tit. de Sponsalib. consil. 14. num. 8. ad fin.* Covaruvias 4. *Decret. 2. part. c. 6. §. 10. n. 6.* & alii plurimi, quos congerit Sanchez *d. lib. 7. disp. 66. num. 6.* & citant Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrimon. cap. 12. num. 99.* nec non Aversa *eod. tract. qu. 17. sect. 2.* addens, quòd hujus secundæ sententiæ sectatores recognoscunt hoc impedimentum Affinitatis dirimens de Jure naturali non solùm in primo gradu Lineæ rectæ, sed etiam in aliis ulterioribus gradibus usque in infinitum. Nihilominùs.

Tertia Sententia, quæ magis communis est, & à recentioribus Theologis, ac Canonistis amplectitur, omninò tenet, Affinitatem nullum impedimentum gignere de Jure naturali, neque in primo gradu utriusque lineæ, sivè transversalis, sivè rectæ; itaut 43
dispensatione Apostolica interveniente, licitè, ac validè Matrimonium iniri possit inter Affines etiam in primo earundem linearum gradu. Fulcitur hæc sententia sequentibus fundamentis, juribus, ac exemplis. I. Quia conjugium in primo gradu etiam Lineæ rectæ non opponitur substantiæ Matrimonii, & bonis ejus, cùm Affines etiam in primo gradu absque ulla indecentia possint simul cohabitare, debitum reddere, fidem servare, & prolem in cultu Dei instruere. II. Quia inter eosdem non reperitur illa superioritas, quæ existit inter consanguineos rectæ lineæ in primo gradu, nempè genitores, & filios, cujus respectu tenentur ad talem reverentiam de Jure naturæ, ut, ne ea offen-

datur, inter ipsos Nuptiæ celebrari non possint: nam prædicta superioritas, & reverentia debetur ob principium generationis ab iisdem genitoribus procedens; quod non intrat inter Affines, qui ab alio sunt generati. III. Quia in *Concilio Agathensi*, tempore Symmachi Papæ celebrato *Anno* 506. (sic dicto ab oppido *Agatha*, Provinciæ Narbonensis, in quo se Patres congregarunt) cùm *in can.* 61. dictum sit, prohibitas, ac incestuosas Nuptias esse: *Si quis novercam duxerit; si quis consobrinæ suæ se sociaverit; si quis relictæ, vel filiæ avunculi miscetur, aut patrui filiæ, vel privignæ suæ &c.* tandem statutum fuit sic: *Quos omnes & olim, atque sub hac Constitutione incestos esse non dubitamus. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt hactenùs instituta non dissolvamus.* Si igitur toleranda censuit Concilium, & non dissolvenda conjugia illa, utique bona fide contracta, sequitur ea, etsi in primo gradu lineæ rectæ inter Affines inita, non fuisse contra Jus naturæ? ut argumentantur Salmanticenses *d. cap. 12. num.* 100. IV. Concordat Concilium Aurelianense 3. *can.* 10. habitum sub Vigilio Papa, *Anno* 540. in quo decretum fuit, ut infideles conversi ad fidem non separentur, etsi copulati sint cum mulieribus sibi Consanguineis, aut Affinibus; & de his nominati fuerunt sequentes gradus: *Relictam Patris, filiam Uxoris, relictam Fratris, Sororem Uxoris, Sobrinam,* 44 *Consobrinam, vel relictam Avunculi, vel Patrui,* ubi primi, & ultimi sunt Affines in primo gradu lineæ rectæ. V. Quia antiquitùs in tali gradu hujus lineæ etiam à Gentilibus facta esse conjugia legimus; nam Valerius Maximus *libr. 5. cap. 7.* nartat, Seleucum Regem Syriæ Stratonicam propriam Uxorem dedisse Antiocho filio suo ex alia conjuge generato; eò quia cognoverat, ipsum filium periculosè ægrotare ex amore vehementissimo, quo erga Stratonicam novercam ardebat. Ideò, Pater, eam à se dimissam per divortium, cessit libenter ipsi filio; & de hoc ab Historicis commendatur. VI. Ac etiam Adoniam filium Regis David 3. *Reg.* 2. 17. petiisse sibi in Uxorem à Salomone Abisaag Sunamitidem, quæ Patris sui fuerat Uxor. Quare his, & aliis argumentis, ac rationibus hæc sententia communis appellatur, & eam amplexi sunt innumeri DD. Theologi, ac Canonistæ, quos numerat, & sequitur Sanchez *d. libr. 7. disp. 66. n. 7.* ac Salmanticenses *d. cap. 12. num.* 100. & concordant Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 34. num. 5.* Aversa *d. qu. 17. sect. 2. Vers. Dicendum.* Gonetus *d. disp. 9. de Matrim. num.* 82. Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. n. 483.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 26. de Matrim. num.* 99. Ricciullus *de Jure Personar. libr. 2. cap. 5. n. 2.* Diana Coordinatus *tom. 3. tract. 1. resol.* 80. desumpta ex veteri *p. 4. tract. 4. resol.* 93. in qua latissimè comprobat hanc sententiam; quam novissimè etiam commendat Vinc. de Justis *de Dispensat. Matrim. d. libr. 2. cap. 7. n. 54.* ubi alios DD. ponit.

Remanent pro firmitate hujus tertiæ sententiæ evacuanda fundamenta, quæ contra illam adducta sunt supra in sententia secunda. Igitur ad Primum respondetur, negando paritatem Consanguinitatis, & Affinitatis quo ad Jus naturæ; etsi æqualiter de Jure Ecclesiastico sint prohibita connubia in eodem gradu, & in eadem linea: in Affinitate enim minor est ratio, quàm in Consanguinitate; hæc enim ab intrinseco, & ex eodem Jure naturali dirimit Matrimonia in primo gradu lineæ rectæ; illa verò ab extrinseco, & solo Ecclesiastico Jure. Idem respondetur ad secundum ex doctrina Aristotelis, quia non ita stringit vinculum conjunctionis conjugalis, sicut vinculum propagationis carnalis. Ad Tertium eadem responsio datur, nempè laxiorem esse obedientiam debitam à Privigno, & Nuru Novercæ, ac Socero; quàm sit illa, quam filius, & filia propriis genitoribus profiteri tenentur; quam etiam nemo negabit, tepefieri, ne dicamus evanescere, mortuo proprio genitore. Ad Quartum negatur consequentia; licèt enim eodem contextu apud Hebræos interdictæ fuerint Nuptiæ in primo gradu lineæ rectæ, tam in Consanguinitate, quam in Affinitate; non sequitur utramque parentelam Jure naturali prohiberi; nam & in gradibus ulterioribus, ac lineis diversis eædem Nuptiæ ibi interdicuntur, & tamen non ab eodem Jure Naturæ oritur motivum interdicti. Ad Quintum respondetur, fornicationem reprehensam in Corinthiis ab Apostolo fuisse enormem, ac adulteram, & incestuosam, quia committebatur á privignis cum noverca vivente adhuc patre; ut ibidem Sacræ Scripturæ expositores declarant, & advertunt Sanchez, Pontius, Mastrius, & alii DD. supra citati. Ad Sextum quadrat hæc eadem responsio, nam Ruben fuerat incestuosus, & adulter cum noverca, patre adhuc vivente. Idem ad Septimum de Judæis, contra quos Amos Propheta declamabat. Ad Octavum respondetur, S. Augustini verba esse intelligenda per similitudinem, non per proprietatem; Nurus enim verè, & propriè non est filia Soceri, sed tanquam filia; quæ filiatio extenuatur, & quasi extinguitur mortuo filio, cui nupserat eadem Nurus. Ad Ultimum respondetur, Romanos Pontifices non dispensare in hoc primo gradu Affinitatis lineæ rectæ non ex defectu potestatis, sed ex deficientia Justæ, ac urgentis causæ, qualis requiritur in hujus primi gradus dispensatione; sicque Urbanum VIII. eam denegasse Duci Mantuano, quia discussa necessitate, & ponderositate, 45 causæ, ob quam Dux ille cupiebat in conjugem sibi assumere Nurum suam; reperta est nec ponderosa, nec necessaria; non enim veri, sed vani erant, ac panici timores bellorum, ut experientia comprobavit.

De Jure autem Divino positivo fuit prohibitum Matrimonium inter Affines in utraque linea pro diversis gradibus; ut legitur *in cit. cap. 18. Levitici.* At illæ prohibitiones 46 spectabant

spectabant ad præcepta judicialia,' quæ cessante Lege Mosayca amplius non durant, ut advertunt Sanchez, Pontius, Aversa, Salmanticenses, & alii Theologi gravissimi supra allegati, inter quos Mastrius *d. disp. 7. sub num.* 484. ita scribens. *Cum enim hoc præceptum esset de genere judicialium, quantum est ex vi illius Legis non obligabat nisi populum Hebræorum. ac post adventum Christi penitus cessavit, ut suo loco dictum est de cessatione Legalium: nam translato Sacerdotio, Legis quoque translatio facta fuit. Hebr.* 7. quod latius explicat, ac declarat ex doctrina S. Augustini Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 26. n.* 102. concludens, quòd præcepta Legis Moysis Legalia, ac cæremonialia, qualia erant illa prohibentia Nuptias certis in gradibus inter Consanguineos, & Affines Hebræorum, nunc sunt abrogata. In Lege autem Evangelica nullum inductum est impedimentum de jure Divino in his gra-
47 dibus Affinitatis, & Consanguinitatis; quia Christus Dominus reliquit in potestate Ecclesiæ, ac sui Vicarii, illos restringere, vel ampliare, ac super eis ob justam causam dispensare pro felici, ac suavi fidelis populi regimine, ut notant Sanchez *libr. 8. disp. 6. num.* 4. Aversa *de Matrimon. q. 19. sect. 1.* in princ. Diana Coordinatus *d. tom. 3. tract. 2. resol. 2.* existente in opere inordinato *part. 8. tract. 3. resol. 2.* & Vinc. de Justis *d. lib. 2. cap. 4. à num. 26. & seqq.* Idcircò

Quo ad Ultimum, requirens *An Papa possit dispensare in Impedimento Affinitatis?* constanter respondent DD. posse Papam in omnibus
48 Affinitatis gradibus dispensare, etiam in primis sivè rectæ, sivè transversalis Lineæ, justa tamen, ac rationabili, eaque gravi causa interveniente; & eosdem DD. cumulat, & refert Diana Coordinatus *d. tom. 3. tract. 1. resol. 80. resol. 81. resol. 82. resol. 83. & resol. 84.* inter quos Caramuel *in Theolog. Moral. lib. 2. n.* 591. ubi probat sic: *Sapè Ecclesia dispensavit in primo gradu Affinitatis. Ergo potuit. Patet consequentia, quia aliàs diceretur excedere limites propriæ auctoritatis, quod esset manifesta*
49 *injuria.* Dispensationes autem in primo gradu Lineæ transversæ, quæ à Theologis infra citandis referuntur, sunt sequentes. I. Illa generalis ab Innocentio Papa III. (qui Cathedram Apostolicam ascendit Anno 1198.) concessa toti populo Livoniæ, ut Uxores, quas habebant, retinerent, etsi ante Baptismum ipsæmet nupsissent maritorum fratribus, ut habetur *in cap. fin. de Divortiis.* Cùm
50 enim tempore Urbani III. *Anno* 1186. prædictus populus, abjecto Paganismo, converti cœpisset ad fidem, opera, & prædicatione Sancti Meinardi Canonici Sigeburgensis, nec non Bertoldi Abbatis Lubecensis, ut referunt Arnoldus *libr. 7. cap. 8. & 9.* & Eminent. Cardin. Baronius *in Annal. Anno* 1180. consultus fuit Innocentius III. quid agendum de Uxoribus eorumdem Livoniensium, quæ illis in primo gradu Affinitatis lineæ transversæ erant conjunctæ? Et respondit Pontifex esse in Matrimonio tolerandas, ut *in d. cap. fin. de Divort.* Livonia est Regio inter Prussiam, & Russiam, cujus Metropolis est Urbs *Riga.* Olim Livonienses suberant Regi Poloniæ, nunc autem pro majori parte Regi Sveciæ, teste Ferrario *in Lexic. Geographic. Verb. Livonia.* II. Dispensatio concessa à Martino V. electo Papa *Anno* 1417. in eodem primo Affinitatis gradu, ut cognatus duceret in Uxorem cognatam, quæ prædefuncto ejus fratri nupserat, & cum eo Matrimonium consummaverat, ut refert Sylvester *in Summa Verb. Papa. quæs.* 17. III. Dispensatio elargita per Alexandrum VI. electum Pontificem *Anno* 1492. Emanueli Regi Lusitaniæ, ut assumere posset in Uxorem sibi Principissam Mariam sororem D. Isabellæ Reginæ Hispaniarum, & priùs Uxoratam cum ejusdem Regis Emanuelis germano fratre, ut notat Diana Coordinatus *d. tom. 3. tract. 1. resol. 82. §. 8.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 7. num. 57.* IV. Dispensatio famosa Julii Papæ II. *de Anno* 1509. data Henrico VIII. Angliæ Regi, ut iniret Matrimonium cum Regina Catharina, quæ priùs nupta fuerat Arcturo ejusdem Henrici fratre; de qua omnes Theologi, ac Canonistæ, & ipse Diana *d. §. 8.* V. Dispensationes duæ tempore Pauli V. ac Urbani VIII. emanatæ; Una ut nobilis Germanus contraheret Matrimonium cum sorore uterina primæ ejus Uxoris defunctæ, *diei 8. Augusti* 1607. Altera, ut nobilis Cameracensis cum consimili sorore prædefunctæ Uxoris conjugium iniret, *diei 20. Junii* 1628. & de utraque testatur Pignatellus *tom. 8. consult.* 106. VI. Item alia dispensatio concessa ab Urbano VIII. de qua Salmanticenses *d. cap. 12. de Matrim. num.* 97. ut Comes Franciscus de Menchaca in Hispania duceret in Uxorem D. Leonoram Rodriquez, cum cujus sorore priùs in Matrimonio fuerat, & ex ea filios susceperat. VII. Dispensatio Regi Poloniæ Joanni Casimiro data ab Innocentio X. *Anno* 1649. de qua scribit Illustrissimus Episcopus Baptaglinus in *dd. Annal. Sacerd. & Imper. Anno* 1649. *n.* 22. his verbis: *In Polonia il nuovo Rè Giovanni Casimiro destinato dalle vicende del Mondo, ò dalla volubilità della sua natura, volle far prova di tutti gli stati, deliberando di sposare la Principessa Maria Ludovica Gonzaga moglie del defonto Rè suo fratello: e quindi con la debita dispensatione del Papa sopral, impedimento dell' Affinità, non dilungaronsi le nozze celebratesi con la solita pompa,* VIII. Accedit alia dispensatio super eodem primo gradu Affinitatis lineæ transversalis, ab eodem Innocentio Papa X. elargita *Anno* 1651. de qua testem ocularem se fuisse scribit Gonetus *in cit. tom. 5. disp. 9. de Impedim. Matrimonum. num.* 80. ita dicens: *Et rursus idem Pontifex cum Senatore Burdigalensi Anno* 1651. *dispensavit, ut duas alterius Senatoris Burdigalensis sorores successivè Uxores haberet; fuitque ad me transmissum Breve dispensationis per R. P. Joannem Aycard. Ordinis nostri (FF. Prædicatorum) tunc Romæ apud S. Mariam Majorem Pœnitentiarium, nunc verò Inquisitorem Avenionensem.* Burdigala, vulgò *Guienne*, est Urbs Archiepiscopalis Aquitaniæ, valdè antiqua, potens & per-
51 ampla

ampla ad Garumnam fluvium, in qua habetur Parlamentum, ut notat Lexicon Geographicum Ferrari *in Verb. Burdigala*; & fuit Patria Ausonii Poetæ, de qua ille cecinit:

Diligo Burdigalam, Romam colo, Civis in hac sum,
Consul in ambabus: Cuna hic, ibi sella curulis.

Ex his igitur hucusque dictis, & deductis satis comprobatum remanet, Summum Pontificem posse dispensare in quocunque gradu Affinitatis, etiam in primo utriusque lineæ rectæ, ac transversæ, sive Affinitas orta sit ex copula fornicaria, & illicita; sivè ex li-
92 cita, ac conjugali, ut ostendunt Corradus *in Praxi dispens. Apostol. libr. 7. cap. 1.* & Vinc. de Justis *in eod. tract. d. libr. 2. cap. 7. à num.* 93. ubi DD. congerit; prout etiam latè probat Diana Coordinatus *d. tom. 3. tract. 1. resol.* 80. *cum tribus seqq.* advertens, eatenus non reperiri exempla dispensationum Affinitatis in primo gradu lineæ rectæ, ut & nos diximus *supra num.* 45. quatenus non est ita facilè, ut intercedat causa justa, urgens, & necessaria ad dispensandum in eodem primo gradu rectæ lineæ; adeò ut non ex defectu potestatis in Papa, sed ex deficientia causæ justæ deficiant exempla, ut in puncto dicit idem Diana Coordinatus *ubi supr. resol.* 81. §. 10. Salmanticenses *d. cap. 12. n.* 100. Lezana *in Summa tom. 3. Verb. Affinitas. num.* 3. ubi docet, spectare ad solum Summum Pontificem dispensare super Affinitate, quando agitur de contrahendo Matrimonio inter Affines: quòd si Affinitas superveniat post Matrimonium contractum, posse etiam Episcopum dispensare cum conjuge incestuoso ad petendum debitum, ut docuimus supra *num.* 13. Utrúm autem Regulares confessarii habeant facultatem dispensandi cum ince-
93 stuosis, ut valeant petere debitum? Quamvis affirment Sanchez *libr. 8. disp. 16. num. 8.* Portellus *Verb. Confessor Regularis erga sæculares num.* 23. & alii; ipse Lezana dubitat, quia olim talis facultas competebat Regularibus per vivæ Vocis oracula; quæ post *Annum* 1631. revocata fuerunt ab Urbano VIII. quapropter ipsi consulant conscientiæ suæ,
94 & ulteriùs advertant, esse necessarium, ut iidem sint specialiter deputati à suis Superioribus ad dispensandum cum incestuosis, quia non sufficit sola deputatio ad Confessiones audiendas; & quòd justa causa debet intervenire, ut dispensatio concedatur, ut ait Lezana *ibid. num. 5. 6. & 7.* ab iisdem Confessariis Regularibus videndus.

DECISIO XXXII

ARGUMENTUM.

Impedimentum *Impotentiæ* dirimens Matrimonium in præsenti Decisione explicatur. Quid, & quotuplex sit hæc *Impotentia*? ostenditur. Quando, & quomodo per eam dirimantur conjugia? Docetur, decem esse personas ad Matrimonium validè contrahendum impotentes, nempe: 1. Nimis frigidas. 2. Nimis calidas. 3. Defectum in veretro patientes. 4. Excessum in eodem portantes. 5. Arctas mulieres. 6. Maleficiatos. 7. Impuberes. 8. Senes. 9. Eunuchos. 10. Hermaphroditos. Prædictorum omnium Matrimonia quando invalida sint censenda & quomodo sint irrita declaranda? Theologorum, Canonistarum, ac Medicorum eximiis doctrinis demonstratur, atque Rotalibus Decisionibus, & lepidis Historiis, ac exemplis definitur.

SUMMARIUM.

1 *Impotentiæ dirimens Matrimonium quæ, & qualis sit?*
2 *Sterilitas in generando, Matrimonium non dirimit.*
3 *Impotentia quo Jure dirimat Matrimonium?*
4 *Impotentiæ multiplex divisio.*
5 *Impotentia perpetua dirimit Matrimonium, Temporalis non.*
6 *Si tamen præcesserit illud, Secus si subsequatur.*
7 *DD. in explicando Impotentiæ impedimento obscuri.*
8 *Impotentes ad copulam Personæ decem. Et quæ?*
9 *Frigiditas, impediens copulam, quæ, & quotuplex sit?*
10 *Frigiditatis naturalis signa quinque.*
11 *Hæc dirimit Matrimonium.*
12 *Frigiditas accidentalis quæ? Et unde oriatur?*
13 *Cohabitatio triennalis necessaria circa ipsam.*
14 *Triennium in casu impotentiæ incipit à die Decreti Judicis.*
15 *Impotentia durante post triennium, sit declaratio nullitatis Matrimonii, sed cum Juramento.*
16 *Frigiditas mulieris nulla Matrimonium dirimit.*
17 *Impotentia Viri ex nimia caliditate quæ sit?*
18 *Caliditas nimia, quæ non sanatur per triennium, dirimit Matrimonium.*
19 *Mentulæ brevitas, ac exilitas causant impotentiam in Viro.*
20 *Mentulæ brevitatis exempla.*
21 *Umbilicus infantis quomodo ab obstetrice rescindendus?*
22 *Virgæ virilis defectus plures.*
23 *Penis excessus duplex, nimia longitudo, & crassities.*
24 *Pinguedo nimia Ventris facit conjuges ad copulam impotentes.*

25 *Respectu*

25 *Respectiva impotentia quæ sit? Et an Matrimonium dirimat?*
26 *Arctitudo in muliere quando dirimat Matrimonium?*
27 *Mulier arcta an teneatur pati incisionem?*
28 *Maleficiati impotentes ad Matrimonium qui sint?*
29 *Maleficium ligaminis à Dæmone fit modis septem.*
30 *Innocentii III. Epistola ad Reginam Uxorem Philippi Regis Franciæ maleficiati.*
31 *Maleficia ligaminis vel universalia, vel respectiva.*
32 *Respectiva, vel perpetua, vel ad tempus.*
33 *Quibus mediis auferenda?*
34 *Triennium semper assignandum pro tollenda impotentia ex maleficio.*
35 *Maleficiatus post solutum Matrimonium, si fiat potens ad copulam, an teneatur redire ad illud?*
36 *Impuberes ab antiquis ad Matrimonium non admittebantur.*
37 *Annus* 14. *in masculo, Annus* 12. *in fœmina debet esse completus ad Matrimonium per verba de præsenti contrahendum.*
38 *Impuberes an peccent nubendo ante præscriptam ætatem?*
39 *Ætas in impuberibus an debeat esse Mathematicè completa?*
40 *Malitia si suppleat ætatem, ætas completa non expectatur.*
41 *Impuberum exempla, qui fœminas gravidarunt.*
42 *Parochus impuberum Matrimonia admittere non debet.*
43 *Puberes post Annum* 14. *cantrahentes, si impotentes sint, quid agendum?*
44 *Impotentia, si dubium sit, an præcesserit Matrimonium, quid agendum?*
45 *Senes usque ad quam ætatem possint conjugium contrahere?*
46 *Senum, qui in senectute genuerunt filios, exempla.*
47 *Moribundus an validè nubat?*
48 *Eunuchorum Matrimonia nulla ex Bulla Sixti V.*
49 *Eunuchorum species tres.*
50 *Putifer Eunuchus, qui emerat Joseph, quomodo habebat Uxorem?*
51 *Hermaphroditi, quomodo, & quando possint nubere?*

DUodecimum Impedimentum dirimens Matrimonia est *Impotentia* ad illa perfectè consummanda, per coitionem, simul cum seminis in debito Vase naturali effusione: utrumque enim requiritur; quia si unum
1 horum absit, irritum est Matrimonium. *cap. Laudabilem*, & ibi Abb. *num.* 1. *De Frigid. & Malef.* Zacchias *in QQ. Medicolegal. lib.* 3. *tit.* 1. *q.* 1. *n.* 2. Et hoc sivè talis Impotentia proveniat à parte Viri, sivè à parte Mulieris; dummodò fuerit eo tempore, quo Matrimonium contractum est; secùs autem si subsequatur. Tale autem impedimentum dirimens vocatur *Impotentia ad perfectè consummandum Matrimonium*; non autem *Impotentia ad generandum*; quia licèt finis principalis Matrimonii sit prolificatio; ex hujus finis defectu tantummodò non irritatur conjugium, quando conjuges apti sunt ad copulam carnalem perfectam exercendam; cum secundarius Matrimonii alius finis sit exercitium copulæ in remedium concupiscentiæ, ut ex doctrina Scoti bene differit Mastrius *in* 4. *disp.* 7. *n.* 411. inferens, quòd licèt conjuges sint steriles, nihilominùs eorum Matrimonium est validum, quando potentes sunt simul coire, & seminare, quia non sterilitas in generando, sed impotentia in coeundo, ac seminando impedit, ac dirimit Matrimonium, tum Jure naturali; quia in Matrimonio traduntur 2
corpora conjugum adinvicem ad hunc finem coeundi, ac seminandi; & licet copula actualis non sit de essentia Matrimonii, est tamen de essentia, ut tradatur corpus potens ad dictam copulam; & qui caret hac potentia, nulliter contrahit, quia tradit corpus penitus ineptum; & quamvis usus sit diversus à dominio, non potest transferri dominium cum impossibilitate usus; & sic de Jure naturali irritum est Matrimonium, ubi non est 3
potentia coeundi, ac seminandi; tum etiam Jure Ecclesiastico ex pluribus *text.* in *dist.* 33. *q.* 1. Et *in cap.* 2. *cap. Fraternitatem. cap. Quod Sedem. cap. Consultationi, cum aliis seqq. De Frigidis, & Malefic.* ut concordi calamo scribunt Theologi, ac Canonistæ de hoc impedimento impotentiæ tractantes. Sanchez *de Matrimon. libr.* 7. *disp.* 89. Layman *libr.* 5. *tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 13. Bonacina *eod. tract. de Matrim. q.* 3. *punct.* 13. Aversa *q.* 13. *sect.* 1. Salmanticenses *tract.* 9. *cap.* 12. *à num.* 103. *& seqq.* Emin. Card. de Lauræa *disp.* 23. *per totam.* Vinc. de Justis *de Dispensat. Matrimon. lib.* 2. *cap.* 17. *à num.* 7. latè Sperellus *Decis.* 141.

Quamvis autem plures divisiones hujus impotentiæ tradantur à DD. quas ponunt Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 104. videlicet, quòd alia sit naturalis, alia accidentalis; Item- 4
alia ab intrinseco, alia ab extrinseco; alia respectiva, alia absoluta; alia ex facto hominis, alia ex arte Dæmonis; una tantùm divisione contenti sint Studiosi nostri, quæ satis est ad dignoscendum, quando ipsa impotentia dirimat Matrimonium, vel non; & hujusmodi magistralis divisio impotentiæ est, quòd alia *Perpetua* existit, & alia *Temporalis*. Illa dicitur Impotentia *Perpetua*, quæ tolli non 5
potest absque miraculo, vel absque corporali vitæ, gravissimique morbi periculo, vel absque peccato. E contra illa censetur *Temporalis*, quæ absque prædictis inconvenientibus auferri potest. Prima, si Matrimonium præcesserit, illud impedit, & dirimit. Non

etiam

etiam Secunda. *cap. Fraternitatis. De Frigid. & Maleficiatis.* Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 93. *n.* 8. Bonacina *d. q.* 3. *punct.* 13. *num.* 1. Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. *&* 7. Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 107. Gobatus *tract.* 9. *de Impedim. Matrim. num.* 415. & aliis omissis Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 23. *art.* 2. per totum, ubi hanc regulam ampliat, quòd scilicet Impotentia perpetua Matrimonium dirimat, sivè ipsa Impotentia sit cognita, sivè ignorata; sivè sit naturalis, sivè sit causalis; illam tamen restringit, dommodò hujusmodi Impotentia perpetua adsit ante contractum
6 Matrimonii, & illud præcesserit: quia si subsequatur, nec impedit, nec dirimit, etsi tantummodò ratum sit, & nondum consummatum. *cap. Hi qui.* 32. *qu.* 7. *cap. Si Uxorem.* 32. *q.* 5. quod etiam docent plurimi, quos allegat Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 102. *num.* 3. & Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 17. *num.* 10. subdens, in tali casu, solùm per ingressum in Religionem, vel per Pontificis dispensationem dissolvi posse Matrimonium ratum, cui talis impotentia perpetua in conjuge subsequitur.

Cæterùm, quia Theologi, ac Canonistæ in explanando, Quæ sit Impotentia Perpetua Matrimonium dirimens, & quæ Temporalis non dirimens? vel obscuri nimis, vel
7 valdè confusi sunt, plurimas Impotentiæ species in abstracto proponentes, easque adinvicem complicantes; ad majorem facilitatem, ac brevitatem, quibus nos studemus, melius esse ducimus proponere omnes personas, quas ex diversis causis Impotentia coeundi, simulque seminandi sæpè laborare contingit: siquidem de iisdem personis impotentibus singillatim differentes, eorundem Impotentiæ causam, perpetuitatem, vel temporalitatem faciliùs intelligemus; ac subindè cognitum nobis erit, quando Impotentia in eis dirimat, vel non dirimat Matrimonium. Igitur sciendum, decem esse Personas, quæ solent laborare Impotentia ad perfectam copulam (scilicet coeundo, ac seminando) adimplendam, videlicet: 1. Qui
8 nimis sunt frigidi. 2. Qui nimis sunt calidi. 3. Qui in veretro defectum patiuntur. 4. Qui in eodem nimium habent excessum. 5. Mulieres nimis arctæ. 6. Qui sunt maleficiati. 7. Qui impuberes sunt, & legitimam ætatem non habent. 8. Qui in nimia ætate sunt, nempè Senes. 9. Qui Eunuchi sunt, vel Spadones. 10. Qui verè Hermaphroditæ. Hi omnes sunt, de quibus disputant DD. an in eis Impotentia dirimat Matrimonium? De iisdem, omni possibili brevitate, quæ dici possunt, dicamus.

Quo ad Primos, illos scilicet, qui nimis sunt Frigidi, sciendum est, secundùm celeberrimum Medicum Romanum Paulum Zacchiam infra citandum, frigiditatem vel provenire à natura, vel à morbo aliquo accidenta-
9 li. Tunc frigiditas provenit à natura, quando Vir magnam intemperiem patitur vel in Cerebro, vel in Corde, vel in Hepate, vel in internis vasibus generationi deservientibus; ex qua naturali intemperie pauci admodum spiritus generantur, ac universus sanguis est frigidior; & qui tales sunt, nunquam, aut de raro admodum, usum venereorum experiuntur, ut differit prælaudatus Medicus Zachias *QQ. Medicolegal. d. lib.* 3. *tit.* 1. *q.* 3. *num.* 5. *&. q.* 5. *à. num.* 1. *& seqq.* ubi *num.* 22. notat hæc signa ad cognoscendam frigiditatem provenientem à natura: 1. Paucitas 10
pilorum, aut omnimoda carentia in inguinibus præcipuè, ac etiam in barba. 2. Penis flacciditas, & inexcitabilis mollities; vel si tantisper erigatur, minimum temporis in erectione perduret, sed confestim elanguescat; siquidem, falsum esse, ait, quod docet Sanchez *libr.* 7. *disp.* 94. *num.* 6. nunquam scilicet in frigidis penem erigi. 3. Aversio quædam connaturalis à commercio venereo, & quibusvis venereis rebus. 4. Si defluat ex eo semen tenue, & aquosum, nullisque spiritibus turgens. 5. Testium aut carentia omnimoda, aut eorum parvitas, aut non naturalis situs. Idcircò *num.* 27. subdit idem Zacchias: *His signis ergo, aut eorum pluribus, potioribusque præsentibus, frigiditatem quoque præsentem esse judicari potest, quæ neque in dubio revocanda tunc temporis est, tanquam ex his signis concludentissimè probata, & absque dubio separari illicò Matrimonium potest, non expectato triennio.* Brunell. *de Sponsalib. & Matrimon. concl.* 28. *num.* 16. Mascardus *conclus.* 312. *num.* 16. rationem hanc reddens: *Quia talis frigiditas cum conspicua sit, ope Medica reparari ullo modo non potest, ut Medicis est notissimum.* Hoc idem, ideſt hac naturali frigiditate attenta, esse statim declarandum irritum Matrimonium, 11
docent etiam Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 92. *num.* 7. Aversa *de Matrim. q.* 13. *sect.* 2. Vinc. de Justis, alios cumulans *d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. Gobatus *tract.* 9. *num.* 475. & *num.* 420. Salmanticenses *d. cap.* 12. *de Matrimon. num.* 105. Mastrius *in* 4. *d. disp.* 7. *num.* 422. & Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 23. *num.* 21.

Frigiditas autem veniens à morbo accidentali est illa, quæ causatur vel ab humoribus superfluis frigidis, refrigerantibus, partiumque calorem extinguentibus, calorem, & spiritus dissipantibus, eundem calorem obruendo, partes relaxando, & vir- 12
tutem obtundendo. Zacchias *d. libr.* 3. *tit.* 1. *q.* 1. *num.* 13. *&* 14. Vel quæ inducitur ex longis, & difficilibus morbis; ex valida capitis, seu cervicis, aut spinæ percussione; aut ex larga sanguinis evacuatione, facta ultra vires, præcipuè autem ex quibusdam venis, ut ex iis, quæ sunt post aures, ex quarum sectione ex auctoritate Hippocratis *in libr. de Genitura*, & aliorum Medicorum, hominem reddi infœcundum, & ad Venerem ignavum, ac impotentem testatur ipsemet Zacchias *d. libr.* 3. *tit.* 1. *q.* 5. *num.* 38. & *lib.* 9. *tit.* 9. *q.* 2. *num.* 7. ubi profitetur, quòd Frigiditas accidentalis non semper absque remedio est, præcipuè si vires refici, procedente tempore, videantur; si ætas adhuc gravis non sit, si malum de recenti præcessit, si adhuc remedia saltem validiora in usum protracta non fuerint.

Igitur

Igitur ubi casus occurrat de Impotentia coeundi, ac seminandi ob supradictam frigiditatem accidentalem, non statim solvitur Matrimonium tanquam irritum,
31 & nullum; sed opus est triennali cohabitatione quoad lectum, & tectum eorundem conjugum, ut, ex doctrina Sanchezii *d. libr. 7. disp. 108. per totam*, dixit Rota coram Card. Seraphino *Decis. 687.* eadem Rota *in Pampilonensi Matrimonii die Veneris 11. Decembris 1615. coram Coccino*, impressa apud d. Zacchiam *post tom. 2. Decis. 40.* nec non *in part. 1. recent. Decis. 695.* Et docent Theologi, ac Canonistæ, quos citant Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 17. num. 27. &. 28* & Sperellus *Decis. 141. num. 8. &. 9.* quæ quidem triennalis cohabitatio, & condormitio datur ad experiendum, an ex medicamentis, aliisque remediis cesset coeundi Impotentia; qua non cessante in dicto triennio (quod juxta veriorem Sententiam à die Decreti Judicis incipere debet. Basilius Pontius *libr. 7. cap. 66. num. 12.* Genuensis *in Praxi Curiæ Archiepisc. Neapolit. cap. 103. num. 2.* Adden. ad Rotam *part. 4. recent. Decis. 392. num. 22. tom. 2.*
41 & idem Sperellus plurimos sic docentes cumulans *d. Decis. 141. num. 50. & 60.* ubi tamen subdit: *Esse verum, quòd ubi agitur de Impedimento frigiditatis, quando Conjuges perplures annos cohabitaverunt, & condormiere, potest Judex arbitrari circa tempus ad cohabitandum*; & adducit de hoc arbitrio plures Decisiones Rotales)
51 qua, inquam, Impotentia non cessante in dicto triennio, vel alio termino à Judice assignato, devenitur ad declarationem nullitatis Matrimonii, prævio tamen Juramento ipsorum conjugum, & septimæ manus propinquorum eorundem, quòd per præscriptum tempus simul cohabitaverint, & operi nuptiali incubuerint, nec tamen potuerint commisceri. *cap. fin. ubi Glos. & DD. de Frigidis & Malefic.* Rota *part. 4. rec. tom. 2. Decis. 392. num. 3. & 4.* & *Decis. 445. num. 1. &. 2.*

Hucusque dicta de Impotentia ob frigiditatem tum Naturalem, tum Accidentalem in-
61 telligenda sunt de utraque frigiditate considerata in Viro; nam earum neutra ad effectum dissolvendi Matrimonium considerabilis esse potest in Muliere juxta ejusdem Zacchiæ doctrinam *libr. 7. tit. 3. qu. 6. num. 1.* sic scribentis: *Porrò in fœmina non datur Impotentia ad coeundum, nisi ex causa imperforationis, cujus curam tentare, absque evidente vitæ periculo, non est illicitum. Aliàs nunquam Mulier est impotens ad exercendam Venerem; sed aliquando fit, ut in coeundo nullam percipiat voluptatem, quam Medici interdum aptis medicamentis procurant. Ergo id in muliere vel fit ob solam voluptatem, vel ob prolis desiderium, cùm privatio delectationis in coitu conceptionem secundùm plurimos impediat. Non fit autem unquam ex causa satisfaciendi debito, quia absque voluptate mulier satisfacit.* Doctrina hæc satis est notatu digna; quia hoc Impotentiæ Impedimentum dirimens, de quo agimus, ex una tantùm causa potest provenire in Muliere, idest ex arctitudine, de qua *infra num. 26.* quam hic ipse Zacchias refert sub nomine *imperfo-*

rationis; secùs autem ex sola frigiditate, ut ex S. Thoma *in 4. dist. 34. q. Unica art. 2. ad 6.* docet etiam Sanchez *d. libr. 7. disp. 92. sub num. 1.* advertens, quòd mulier, quæ arcta non sit, ex nulla alia causa potest allegare hoc Impotentiæ Impedimentum.

Quo ad Secundos Impotentes, illos scilicet, qui nimis sunt calidi; scire oportet, non rarò insurgere Impotentiæ impedimentum in Viris ob exuperantem caliditatem sanguinis, qua ebulliente sequi-17 tur, ut cùm Vir accedit ad debitum conjugale solvendum, in eodem instanti semen extra Vas jaculat; nec ampliùs virtutem habet se copulandi, ut differunt Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrimon. cap. 12. num. 106.* his verbis: *Et non solùm Impotentia Perpetua judicatur, quando Vir ob frigiditatem, vel debilitatem sui nequit claustra pudoris per instrumentum virile penetrare; sed etiam quando propter nimium calorem nequit in totum, vel in partem semen intra Vas naturale immittere; & semper talis effusio antevertit coitum.* Idcircò si talis excessivus calor per refrigerantia medicamenta insanabilis trien-
18 nio evadat, Matrimonium declaratur irritum & nullum, tanquam ex perpetuo Impotentiæ impedimento; *Quia de ratione Matrimonii* (ait Sanchez *d. libr. 7. disp. 92. num. 7.*) *est traditio potestatis corporis ad copulam conjugalem. At non reputatur copula conjugalis deficiente semine. Coitus enim solùm est via ad actum conjugalem perficiendum. Item quia ad Matrimonii valorem desideratur copula, per quam conjuges una caro efficiantur, ut constat ex cap. Laudabilem. de Frigid. & Malefic. ibi: Uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur, quòd mulier possit ad secundas nuptias convolare. Quod idem habetur in cap. 2. 33. q. 1.* Hæc Sanchez, qui subindè citat innumeros Theologos, ac Canonistas hoc ipsum docentes; adeò ut sit de indubitabili, quòd si nimius calor, ob quem Vir non potest seminare intra Vas conjugis, nullo medicamine temperari, vel emendari possit, causet impedimentum perpetuum, ex quo Matrimonium censetur nullum. Salmanticenses *d. cap. 12. num. 106.* Castropalus *tom. 5. disp. 4. punct. 14. §. 2.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 17. num. 13.* Martinus Perez *de Matrim. disp. 37. sect. 2. num. 8.* Gobatus. *d. tract. 9. num. 417.* & Aversa *de Matrimon. quæst. 13. sect. 2. Vers. Primò, & præcipuè*, ubi sic concludit: *Sed potest esse, ut etiam & nimio calore Vir non possit habere copulam; si videlicet statim ad primum conatum congrediendi cum fœmina, præproperè extra Vas semen effundat. Quod licèt vix contingat, tamen pariter sufficit ad dirimendum Matrimonium, ut notavit D.* Thomas *in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. Si tamen arte medicina, sivè naturalibus remediis, possit Vir juvari ad perficiendam copulam; tunc non est simpliciter impotens, sed valebit Matrimonium.*

Quo ad Tertios Impotentes; hi sunt, qui defectum in mentula patiuntur externum, & quidem duplicem, brevitatem scilicet, seu exilitatem, ut scribit Zacchias *QQ. Medico-*
19 *leg. libr. 9. tit. 3. quæst. 3. num. 2.* asserens, utrunque defectum esse considerabilem, & generationis impeditivum, præcipuè brevitatem; nam subdit: *Illud tamen negari non potest, aptiorem esse longam mentulam, licèt admodum exilis esset, ad penetranda loca muliebria, & devirginandam Sponsam, quàm mentulam breviorem, licèt crassam; nam quantumvis crassa esset, posset ob sui brevitatem impedimento esse, ne Sponsus posset Sponsam devirginare, quia non posset ad interiora pervenire; & Hymenis membranam disrumpere.* De defectu brevitatis virilis virgæ frequentia
20 habentur exempla apud DD. Schench. *libr. 4. observat. tit. de Pene, & Præputio* scribit, fuisse infantem, qui dotabatur quidem scroto, & testibus: sed pene omninò carebat, in cujus loco foramen erat, per quod urinam reddebat. Felic. Plater. *libr. 1. observ. in act. vener. defect.* mulierem vetulam, ait, nupsisse Viro habenti mentulam digiti magnitudine. Hostiensis *in Summ. libr. 4. tit. De Frigidis, & Malefic. num.* 14. notat, fuisse Virum, qui habebat Virgam ad modum verrucæ, vulgò *natta*, sed tamen non poterat extendi in longum. Consimilem defectum cujusdam Nobilis Patavini memorat Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 519. *num.* 3. Famulus meus testatur mihi, habere nepotem ex fratre viventem, cujus penis similis est cochleæ. Gobatus *d. tract. 9. num.* 410. narrat casum hunc: *Rutilius homo plebejus celebrat nuptias cum Ruffina Virgine, quæ experta ipsum laborare impotentia, petit divortium. Mandato Judicis Ecclesiastici visitantur accuratè uterque; deprehenditur Ruffina esse Virgo, immunisque: At verò unus Medicinæ Doctor, atque duo Chirurgi, inspecta Rutilii partis genitalis constitutione, esse breviorem judicant (causa referebatur in obstetricem, quæ erraverat in Umbilico rescindendo) quàm ut ullius mulieris Vas penetrare valeret. Quare fuit illud Matrimonium pronunciatum nullum, factaque Ruffinæ potestas nubendi, cui vellet; Rutilio verò inhibitio adspirandi ad ullius amplexus conjugales.*

Sed dicet aliquis, in quo erratum fuit ab obstetrice rescindente Umbilicum? Dicerem in eo, quòd nimis propè ventrem ipsum resciderit, cùm per duos aut tres transversos digitos altiùs facienda sit Umbilici resectio, juxta doctrinam Joannis Veslingii (Anatomiæ celeberrimi Professoris, in hoc Publico Gymnasio Patavino, tempore, quo ego ipse Jurisutriusque studiis vacabam) in suo *Syntagmate Anatomico cap. 8. in Comment. Verb. Umbilico jam separato*; ubi ita advertit:
21 *Infantem ex uteri ergastulis egressum, ubi gremio suo obstetrix excepit, Umbilicalem ductum apprehendit, eumque ad paucorum digitorum transversorum longitudinem propè abdomen infantis rescindit.* Igitur Umbilicus non est scindendus propè ventrem infantis, sed in aliqua distantia; quòd si juxta ventrem, eique viciniissima fiat Umbilici resectio: cùm ipse sit una, & eadem linea cum pene virili, retrahitur penis ab illa umbilici indiscreta scissura, & afficitur brevitate, ex qua homo fit impotens ad conjugalem copulam, & ad validè Matrimonium contrahendum. Zacchias *libr. 3. tit. 1. q. 6. num. 6.* & *d. libr. 9. tit. 3. qu. 3. per totam*; ubi insinuat alios contingibiles
22 in virili virga defectus, nempè tortuositatem, obliquitatem, & distorsionem, *quam fieri*, dicit, *ex quodam tuberculo ad modum fabæ, vel glandulæ, qui pene flaccido, & dimisso existente, ob sui parvitatem, vix percipitur; sed ubi penis distenditur, contorquetur in latus illud, in quo tuberculus reperitur; unde fit, ut & copulæ, & generationi impedimentum affert.* Quare ex his defectibus in instrumento à natura instituto ad consummandum Matrimonium, cùm impotens evadat Vir ad hujusmodi consummationem, si de facto conjugium contrahat, illud est nullum, irritum, & invalidum ob impotentiæ Impedimentum; quod quidem dicitur evidens, & ex sola inspectione Medicorum probatum. Rota apud Farinacium, post ejus *Consilior. libr. 1. Decis. 75. num. 1.* & ibi *in addit.* Mascardus *de Probat. conclus. 311. & conclus. 816.* & sic tanquàm evidens, & non egens alia experientia Judex statim pronunciare potest super ejus nullitate, juxta Magistralem Decisionem coram Coccino *part. 1. rec. Decis. 695.*

Quo ad Quartos Impotentes: tales reputantur Viri, qui excessum patiuntur in pene; & hunc dupliciter vel ex nimia longitudine, vel ex nimia crassitie; prout
23 de utroque excessu differit Zacchias *d. libr. 3. tit. 1. quæst. 7.* ubi *num. 2.* ait, quòd ex Medicorum judicio omninò impeditur coitus ob virilis membri crassitiem, potissimùm, si mulier sit aliquantulum arcta; & *num. 5.* hæc subdit: *Si Vir habeat Virgam justo longiorem, Mulier autem uteri cervicem nimis brevem, tunc Mulier maximoperè læderetur à Viri congressu, & fortasse nullatenùs illum admitteret, quia ex eo non modò dolorem, & angustiam pateretur, quòd in internum uteri osculum membrum impingeret, sed ea res discrimine non vacaret, quia tumorem, & inflammationem, & fortè etiam Sphacelum* (idest gangrænam) *in utero gignere posset.* Idcircò ex utroque excessu prædicto insurgeret Impedimentum impotentiæ irritans, & invalidans Matrimonium; ut pluribus DD. citatis firmat Sanchez *d. libr. 7. disp. 93. num. 4.* Alium quoque excessum insinuat idem Zacahias *d. q. 7. num. 7.* videlicet *ex luxuriante abdomine in utroque conjuge*; hoc est, ex utriusque Ven-
24 tris superabundante pinguedine, cujus causa quasi occultantur in utroque genitalia; & ipse Ventris tumor impedimento est, ne conjuges ad actum coitus pervenire possint, aut perfectè copulari; & ex hoc insurgere impedimentum dirimens opinatur, quia difficillimum est, imò impossibile arti Medicæ hoc vitium emendare, & talem superexcedentem pinguedinem minuere; subdit tamen *num. 8. Existima-*

verim

verim ob hanc impotentiam ex parte unius tantùm conjugis, Matrimonium non debere separari, quia hoc impedimentum est aliquo modo reparabile.

Hoc autem loco tam Theologi, quàm Canonistæ disputant, Utrùm Impotentia, etsi perpetua, si respectiva tantùm sit, irritet Matrimonium? Pro intelligentia quæsiti, sciendum est, illam dici Impotentiam in conjugibus respectivam, quando inter eos copu-25 la maritalis practicari non potest, putà ob excessum mentulæ in Marito, & angustiam vasis in Uxore; at si Maritus accedat ad Mulierem, hiantem uterum habentem; vel Uxor nubat Viro mediocre veretrum gestanti; impotentia cessabit, quia inter hos ob proportionem Instrumentorum absque magna difficultate maritalis copula haberi poterit. Qua in disputatione, etsi aliqui DD. putaverint, Matrimonium ob respectivam impotentiam non esse irritum; & ad illud irritandum requiri impotentiam absolutam: Verior tamen opinio est, & à Theologis communiter approbata, quòd impotentia respectiva irritat, & invalidat Matrimonium inter eosdem conjuges, respectu quorum copula non est practicabilis, ob unum ex supradictis excessibus in eorum genitalibus, quando nulla medicinali ope sunt corrigibiles; ut pluribus DD. allegatis tenet Sanchez *d. lib. 7. disp. 93. num. 4.* Basilius Pontius *eod. lib. 7. cap. 61.* Aversa *d. quæst. 13. sect. 3.* & iisdem accedunt Salmanticenses *d. cap. 12. de Matrimon. num. 118.* Novissimè ita approbant Mastrius *in 4. disp. 7. num. 424.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 23. num. 102.* ubi contrariis respondent, & ostendunt, quòd post declaratum irritum Matrimonium ob impotentiam illos conjuges respectivam, poterunt iidem contrahere cum aliis, cum quibus sit debita instrumentorum proportio.

Quo ad Quintos Impotentes, nempè fœminas, quæ nimia arctitudine laborant; tunc dicuntur hoc impedimento affectæ, quando clausura pudoris ita arcta retinent, ut à conjuge nequeant referari. In hoc casu, ad decidendum an Matrimonium sit nullum, nec ne? procedunt DD. cum hac distinctione: Si absque mortis periculo eadem pudoris 26 vasa vel arte medicinæ, vel incisione, vel aliquo instrumento (absque peccato) possunt aperiri, & relaxari; tenendum est pro Matrimonii validitate: at si prædicta arctitudo tolli non potest, nisi cum periculo vitæ, vel cum peccato, pronunciatur pro nullitate conjugii ex impotentia perpetua ob arctitudinem, quæ censetur omninò insanabilis. Sanchez *d. libr. 7. disp. 93. num. 8.* Bonacina *de Matrim. quæst. 3. punct. 13. num. 2.* Aversa *d. quæst. 13. Vers. Tertio.* Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 62.* per totum; & Salmanticenses *eod. cap. 12. num. 115.* ubi alios cumulant.

Sed difficultas est, An mulier teneatur pati incisionem? Circa quam respondent omnes DD. quòd, ubi fieri incisio non potest, nisi cum periculo vitæ, vel cum peccato? in hoc casu Uxor non tenetur exponere seipsam ad 27 dictam incisionem; imò neque si cessaret periculum vitæ, sed ageretur de magno incommodo, & de longa infirmitate hanc ob causam proventura. Hurtadus *disp. 112. de Matrim. diffic. 3.* Basilius Pontius *d. cap. 62. num. 4.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 121.* Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol. 160. cum duabus seqq.* ubi amplè differit de hac incisionis, & aperitionis clausuri sufferendæ obligatione. Sperellus *d. decis. 141. num. 41.* Mastrius *d. disp. 7. num 429. in fine*, & Aversa *d. q. 13. sect. 2. Vers. Tertio*, ubi ulteriùs adjungit hoc notabile dictum: *Imò si contingat, fœminam se exponere vitæ periculo, & evadere incolumem, adhuc priùs Matrimonium est irritum, quia jam ex tunc non valebat; & non nisi per novum consensum utriusque partis, post sublatum impedimentum, potest convalescere.* Quod idem affirmat etiam Sperellus *d. Decis. 141. num. 38.* ubi alios DD. Theologos, ac Canonistas citat.

Quo ad Sextos Impotentes, nempè Maleficiatos; nemo est, qui neget, non rarò conjuges contrahere hoc impotentiæ Impedimentum ex maleficio; siquidem ita testantur Sacri Canones, Theologi, Canonistæ, 28 atque Historici. *cap. Si per sortiaria. 23. quæst. 1. cap. Laudabilem.* & toto titulo *De Frigid. & Maleficiatis.* Henriquez *de Matrim. cap. 8. à num. 1. & seqq.* Gonzalez. *in Comment. ad d. cap. Laudabilem. tom. 4. num. 6.* alios DD. congerens, & declarans, illos dici Maleficiatos, quibus per magicas artes, fascinumque impedita est rei venereæ facultas, & recitat exempla de Rege Amasi, qui diù nequivit cum Uxore congressum habere, magicis incantationibus impedito, ex Herodoto *libr. 2.* De Numantia Uxore Sylvani eodem maleficio affecta ex Tacito *Annal. libr. 4.* De Theodorico Rege, ex Paulo Æmilio *in Clotar. cap. 2.* De Eulalio ex S. Gregor. Turonensi *libr. 10. cap. 8.* & de aliis, de quibus latiùs scribit Martinus Delrius *Disquisition. Magic. libr. 3. quæst. 4. sect. 8.* in qua agit de Maleficio Ligaminis, & notat, Dæmonem reddere Sponsos impotentes ad Matrimonium consummandum septem modis. 1. Reddendo Sponsos inter se odiosos, ac despicabiles. 2. Corpora 29 detinendo, ne se contingant, vel phantasma interponendo, dum sunt coituri. 3. Impediendo, ne spiritus vitales ad membra generationis descendant. 4. Semen prolificum exsiccando ac subtrahendo 5. Virilem virgam flaccidam tenendo 6. Pharmaca frigescentia applicando; & 7. Vas muliebre coarctando. De primo ex his modis scripsit Innocentius Papa III. ad Inseburgem Uxorem Philippi Francorum Regis, *Anno 1205.* destitutam amplexibus, ac copula ejusdem ob summum odium, ex abrupto in eam conceptum; & Epistolam Pontificiam refert Odoricus Raynaldus *in Annalib. Eccles. d. Ann. 1205. num. 58.* his verbis exaratam.

Innocentius &c. Novit ille, qui nihil ignorat, quòd super articulo Matrimonii pro Te fecimus, quicquid homo facere potuit; sed peccatis exigentibus 30 *parum profecimus; quoniam ad exhibendum Tibi maritalem affectum, animus Charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Regis Francorum Illustris non potest*

aliquatenùs inclinari ; necve Nos ejus animo amorem possumus inspirare, cùm hoc solus Deus facere possit, in cujus manu cor Regis existit. Putat igitur ipse Rex, & multi etiam opinantur, quòd perpetuo sit Maleficio impeditus, undè non solum propter Affinitatem, verùm etiam propter Maleficium à Te postulet separari. Dat. 3. Non. Julii apud S. Petrum Anno 1205.

Dupliciter autem fieri consueverunt Maleficia, vel universalia ; ut Vir cum nulla fœmina valeat coire : vel respectiva ; ut Sponsus cum illa tantùm, quàm desponsavit, sit impotens ad copulam, non etiam cum aliis fœminis ; prout accidisse Regi Theodorico, ac Galeatio Sfortiæ, qui Matrimonium cum Isabella Sfortia consummare non poterat, etsi aliis mulieribus copularetur, refert idem Delrius *d. sect.* 8. *col.* 6. Respectivum quoque impotentiæ ex maleficio Impedimentum est duplex ; perpetuum scilicet, quod durat usque ad mortem maleficiati ; & temporale, quod post aliquod tempus cessat, ac tollitur & de utroque latè agunt Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 94. *per totam.* Aversa *d. quæst.* 13. *sect.* 2. *Vers. Sexto.* Basilius Pontius *d. libr.* 7. *cap.* 65. num. 6. Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 130. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 425. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 23. *art.* 3. qui omnes advertunt, Maleficia prædicta esse tollenda jejuniis, orationibus, Sacramentorum frequentia, ac Ecclesiæ exorcismis, non autem modis illicitis, vel contraponendo nova maleficia, aut opem Dæmonis implorando ; quia non sunt facienda mala, aut concurrendum ad illa, ut eveniant bona. Concedunt tamen, non esse illicitum, quatenus quis cognosceret maleficum, illum rogare, pecuniis, aut mediis justitiæ cogere, ut signum maleficii, quod apud se foret, destrueret, vel ligaturas, aut alias incantationes per se factas tolleret ; ut aliis citatis scribunt Aversa *d. qnæst.* 13. *sect.* 2. *Vers. Alio tandem modo.* & Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 132. eam reddentes rationem, quia sic non tollitur per novam invocationem Dæmonis, sed potiùs per rescissionem invocationis ejus antea factæ.

Quandocunque autem deducitur ad forum Ecclesiasticum hoc Impedimentum Impotentiæ ex Maleficio, pro declarando nullo Matrimonio inter Maleficiatum, & alterum conjugem inito, semper assignandus est terminus triennii, in quo conjuges simul cohabitent, & condormiant, & interim tum opportunis medicamentis, tum supradictis piis exercitiis, ac exorcismis utantur ; & ipsa triennalis cohabitatio est indispensabilis, ut demonstrat Sperellus *d. Decis.* 141. *num.* 61. ex text. *in cap. fin. De Frigid. & Malefic.* & ex Hostien. Jo. Andræa, Ant. de Butrio, Abbate, ac aliis *in cap. Laudabilem eod tit.* & ex Rota post *Vol.* 2. *Consilior. Farinacii Decis.* 192. *num.* 6. & apud Seraphinum *Decis.* 668. *num.* 4. Transacto autem ipso triennio, & maleficio non soluto, illud reputatur perpetuum. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 108. *num.* 5. Rota penes Burattum *Decis.* 764. *num.* 9. Sperellus *d. Decis.* 141. *num.* 65. & procedi potest ad declarandum nullum, & invalidum Matrimonium illius maleficiati, sivè maleficium fuerit respectivum, sivè universale. Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 17. *num.* 40. subdens, quòd tali declaratione nullitatis facta, non erit ulteriùs Matrimonium restaurandum, quamvis postea ille, qui erat maleficiatus, cum aliis personis copulam haberet, juxta tex. *in cap. fin.* 33. *quæst.* 1. ea ratione, quia respectu primæ conjugis impedimentum Impotentiæ ex maleficio censetur perpetuum ; undè ad eam non est obligatus redire, sed potest cum aliis novum conjugium contahere, quod latè probat Aversa *qu.* 14. *sect.* 5. propè finem *Vers. In casu autem maleficii.* Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 99. *num.* 22. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 425. & Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 23. *à num.* 62. *& seqq.*

Quo ad Septimos impotentes, nempè patientes defectum ætatis, quales sunt impuberes, sciendum est ab antiquis enixè curatum fuisse, ne Matrimonia in ætate tenera ineirentur. Hinc, ut refert P. Stephanus Menochius *in Oeconom. libr.* 1. *cap.* 4. *Vers. Primò,* Esiodus Poeta Græcus vetustissimus hæc scripserat Carmina præceptiva ad Sponsos :

Ætate matura Uxorem domum ducito,
Neque triginta annis valdè multum deficiens,
Neque Superans multum : hæ tibi Nuptiæ erunt tempestivæ.
Mulier vero quarto supra decimum, hoc est decimo quinto nubat.

Lycurgus non definierat annos, sed Lacedemoniis mandaverat, ut nuberent, cùm in virili fortitudine essent ; filios ad bellum strenuos pro Reipublicæ defensione ut gignerent. Solon Athenienſibus indixerat, ut masculi, cùm annum trigesimum quintum haberent, Uxores ducerent. Plato *libr.* 6. *de Legib.* vetuit, ne fœminæ nuberent ante annos 16. viri ante annos 30. Aristoteles *libr.* 7. *Politicor. cap.* 16. pro connubiis assignat Viris annum 37. mulieribus annum 18. Sed Philosophorum placitis omissis, sciendum est de Jure naturali nullam ætatem esse præscriptam ad Matrimonium contrahendum, sed utique tum de Jure Civili, tum de Jure Canonico, videlicet in masculo annum decimumquartum completum ; in fœmina verò annum duodecimum pariter finitum. *l. Quæstum.* 9. *ff. de Sponsalib. l. Minorem.* 4. *ff. De Ritu Nuptiar. cap. Continebantur.* 6. *cap. Attestationes.* 10. *& cap. Ex Litteris.* 11. *De Desponsat. Impuber.* Ratio autem determinatæ hujus ætatis est, quia circa hos annos masculus, & fœmina naturaliter habiles fiunt ad generandum ; quod quidem indicat natura ipsa, quæ circa eosdem annos oriri facit lanuginem in utriusque sexus pudendis, ut ait Glossa *in cap. Puberes. Verb. Pudentia. De Desponsat. Impuber.* relata ab Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 23. *num.* 168. cui consonat Narbona *de Ætate ad Ann.* 14. *quæst.* 9. *n.* 4. & pluribus Medicis citatis Zacchias *lib.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 6. *à n.* 1. *& seqq.*

Igitur, cùm antè prædictos annos Vir, & Fœmina ab utroque Jure Civili, & Ecclesiastico

siastico reputentur impotentes ad generandum; si iisdem annis non completis Matrimonium per Verba de præsenti de facto contraxerint, nulliter, & invalidè contrahunt ob impotentiæ impedimentum. *cap. Quod Sedem. De Frigid. & Malef. cap. A nobis. cap. Attestationes, & cap. fin. De Desponsat. Impuber.* Sanchez *de Matrim. d. libr. 7. disp. 104. n. 1. & seqq.* Basilius Pontius *eod. libr. 7. cap. 65. num. 1.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 23. num. 173.* Aversa *d. quæst. 13. sect. 3. Vers. Octavò,* 38 ubi redarguit Sanchezium docentem *libr. 1. disp. 17. num. 6.* non esse peccatum contrahere Matrimonium ante prædictam ætatem, etsi Matrimonium sit invalidum; veritas enim stat in contrarium, quia sic contrahentes mortaliter peccant, tum quia expresè prohibentur *in cap. 2. De Desponsat. Impuber.* tum quia, cùm non valeat contractus, injuria fit Sacramento. Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 65. num. 1.* Gaspar Hurtadus *de Matrimon. disp. 22. diffic. 12. n. 45.* & Narbona ad *d. Ann. 14. quæst. 9. num. 5. 6. & 7.* 39 reprehendens etiam Rebellium asserentem *lib. 3. quæst. 16. sect. 2. num. 16.* ad valorem Matrimonii non requiri, ut dicta ætas sit mathematicè completa, sed satis esse, si moraliter, puta quamvis deficiant duo, aut tres menses ad complementum; nam cùm hæc ætas sit definita à Jure Canonico, inire Matrimonium ante integrum ejus complementum, est nulliter agere, prout nulla esset professio Religiosa ante annum 16. à Concilio Tridentino præscriptum, ut observat Pontius *d. cap. 65. num. 1.* & Naldus *in Summa Verb. Ætas num. 1.* & vix admitti potest alia opinio Sanchezii *lib. 7. disp. 104. num. 2.* quòd in ultima die Anni 14. in masculo, & in ultima die Anni 12. in fœmina, incœpta tantùm, possit validè Matrimonium iniri, ob regulam, *dies incœpta habetur pro completa. l. Quæritur. ff. de Testam.*

Hæc autem, quæ de numero annorum completorum ex præcepto Ecclesiæ pro contrahendo validè Matrimonio diximus, intel- 40 ligenda sunt, nisi malitia suppleat ætatem; videlicet nisi impubes ante præscriptam ætatem antedictam sit discretus, & habilis ad copulam; sciens quale, & quantum sit onus Matrimonii, & ex proprii sui corporis constitutione aptus sit ad maritalem copulam perficiendam, & ad generandum. *d. cap. Puberes. cap. De illis il 2. & cap. fin. De Despons. Impuber.* Nec desunt exempla Impuberum, qui multò ante Annum 14. mulieres gravidarunt. Scribit S. Hieronymus *in Epist. ad Vi-* 41 *talem, Quòd quædam muliercula cùm expositum nutriret infantem, & instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretque cum ea parvulus, qui usque ad decimum jam pervenerat annum, accidit, ut, plusquam pudicitia patitur, se mero ingurgitaret: accensa libidine obscœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps fecit consuetudinem: necdum duo fuerant menses, & ecce fœminæ Uterus intumuit.* Ex ejusdem S. Doctoris auctoritate refert P. Menochius *d. lib. 1. Oeconom. cap. 4. Vers. 4.* & Tiraquell. *in d. l. 6. Connubial. num. 37.* à Salomone genitum fuisse Roboamum, cùm vix annum decimum ætatis suæ excessisset; & ejusdem ætatis fuisse Achaz Regem Judæorum, quando ab eo genitus fuit Ezechias. Divus quoque Gregorius *lib. 4. Dialogor.* ut testatur Glossa *in Summ. 20. quæst. 1.* & ibi Archidiac. & Hostien. scribit, quendam puerum novem annorum copulam habuisse cum sua Nutrice, eamque reliquisse gravidam. Ego tamen id non potui in *lib. Dialogor.* invenire; prout non invenisse notant Card. & Jo: Ananias *in cap. 1. de Delict. pueror.* Item Navarrus *lib. 4. Consil. De Sponsalib. cons. 39. n. 13.* in prima editione, in posteriori verò sub *tit. d. Desponsat. Impub. cons. 4.* narrat, quandam puellam decem annorum in Regno Neapolitano peperisse. Sed quidquid sit de his, ac aliis consimilibus exemplis, certum est, quòd ubi Impuberes petant, se admitti ad Matrimonium per verba de præsenti ineundum, & dicant, se esse habiles ad illud consummandum, Pa- 42 rochus non debet eos audire, sed remittere ad Episcopum; à quo exigendæ sunt probationes super asserta habilitate, ac potentia, ut advertunt Salmanticenses *d. cap. 12. num. 125.* Aversa *d. quæst. 13. sect. 3. col. ult.* & Basilius Pontius *d. libr. 7. cap. 65. num. 4.* ubi ponit signa magis concludentia pro dicta habilitate; & alia plura adducit Zacchias *d. lib. 1. tit. 1. quæst. 6. à num 71.* ibi, si casus occurrat, ediscenda.

Tandem circa laborantes impedimento impotentiæ ex defectu ætatis, non est ignorandum, quòd si Matrimonium initum sit à Viro, completo anno 14. & à fœmina termi- 43 nato anno 12. & ab eis consummari non possit ex defectu potentiæ; non censetur statim Matrimonium nullum, sed expectandum est usque ad Annum decimum octavum ipsius Viri, & tunc si duret impotentia, de ea incipiendum est agere: & pro illius justificatione, quòd sit perpetua ex interiori frigiditate, (nisi ex alia exteriori causa proveniat) erit assignandus terminus triennii, cum aliis circumstantiis supra recensitis circa frigidos, & maleficiatos; ut notant Salmanticenses *d. cap. 12. n. 125.* & Aversa *d. q. 13. sect. 3. in fine.* Et quoniam dictum est supra *num. 6.* quòd eatenus impotentia perpetua consummandi Matrimonium illud dirimit, quatenùs ipsum præcesserit, secùs si post contractum, etsi ratum tantummodò, orta sit; petet aliquis, quid agendum, si res sit dubia, nec probari possit, quòd prædicta impotentia Matrimonialem præcesserit contractum? Huic quæsito respondetur, duplicem esse DD. opi- 44 nionem: alii dicunt, præsumendum esse, quòd orta sit post contractum Matrimonium, ideòque illud esse penitùs indissolubile; ea ratione, quia in dubio semper est pronunciandum pro Matrimonio. *cap. Licèt ex quadam. 47. de Testib. cap. Duobus Judicibus. 26. De Sent. & Re Judic.* Et ita tenent plurimi, quos citat Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 17. num. 15.* inter quos Sanchez *libr. 1. disp. 18. num. 6. & lib. 7. disp. 103. num. 5.* At è contra alii constanter affirmant,

præsumendum esse, quòd ipsa impotentia præcesserit contractum Matrimonii, ac subindè illud irritum esse declarandum; quia tunc in favorem Matrimonii, ac pro ejus indissolubilitate præsumitur, quando potest consummari, & consequi ejus finis, qui est prolis generatio, & concupiscentiæ remedium; secùs quando nullus ex his bonis haberi potest; & sic esse censendum omninò docent Bonacina *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 13. *num.* 11. Mascard. *de Probat. conclus.* 1025. *num.* 3. Layman. *de Imped. Matrim. cap.* 11. *num.* 3. *in fine.* Aversa *d. quæst.* 13. *sect.* 4. *Vers. Si rursus:* ubi plurimos DD. ita sustinentes allegat; quibus adhærent noviſſimè Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 136. & ipse Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 17. *num.* 18. quare sic foret judicandum, & procedendum absque hæsitatione ad declarationem ejusdem nullitatis Matrimonii, tanquàm ex impotentia perpetua præcedente irriti.

Quo ad Octavos Impotentes, hi sunt, qui nimia ætate opprimuntur, & gravi senectute laborant. De Senibus quatuor reperio
45 notatu digna. Unum est Medicorum asserentium, Viros post annum septuagesimum impotentes fieri ad Matrimonium, deficiente tunc temporis calore nativo, & unà cum ipso materia seminali. Ita Zacchias *QQ. Medico-legal. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 2. *n.* 15. Fœminas verò ad summum post quinquagesimum, tunc anim cessant omninò earum menstrua, nec ampliùs concipere valent, nisi ex miraculo, ut in Sara, & in S. Elisabeth Præcursoris Matre. Idem Zacchias *lib.* 9. *tit.* 3. *q.* 7. *num.* 1. Alterum est Theologorum docentium, Masculos senes, qui seminare non possunt, etsi Uxoris claustra penetrare valeant, inhabiles esse ad Matrimonium, tanquam perpetua impotentia laborantes. Sanchez *libr.* 7. *disp.* 92. *num.* 24. ubi infinitos ita sentientes cumulat, quibus adstipulantur Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 12. *num.* 127. Tertium est Canonistarum affirmantium, probabilius, ac verius esse, quòd Matrimonia à senibus etiam decrepitis contracta (dummodo aliquod aliud impedimentum non obstet) esse semper valida, quia ipsi retinent habitu intrinsecam potentiam seminandi intra Vas, quamvis per accidens impedita sit ex senectute; & hoc comprobatur ex usu communi Ecclesiæ, quæ nulli seni Matrimonium denegat, & illos Uxores ducere permittit, nec nil in contrarium unquam statuit. Navarrus *lib.* 4. *tit. de Sponsal. conf.* 15. *in* 1. *edit.* Donatus Antonius de Marinis *Resol. Quotid. lib.* 1. *cap.* 87. *n.* 4. Rota coram Merlino *Decis.* 229. *num.* 25. & Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 17. *num.* 96. ubi alios citat. Quartum notabile dictum est Historicorum allegantium exempla multorum senum, qui etiam supra annos octoginta genuerunt filios,
46 videlicet Plinii *in Hist. Nat. libr.* 6. *cap.* 14. de Massiniſſa Rege Numidiæ, qui cùm sex, & octoginta annos ageret filium procreavit; de Catone Censorio, post octogesimum exactum annum; de Uladislao Rege Poloniæ post annum nonagesimum completum, & de aliis non paucis, quos ex Valerio Maximo recensent Tiraquellus *de Legib. Connubial. leg.* 6. *à num.* 22. *& seqq.* & Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 89. *à num.* 95. Quare opinionem Canonistarum amplectitur eximus Theologus Aversa *de Matrim. d. quæst.* 13 *sect.* 2. *Vers. Septimò.* At Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 23. *art.* 8. illam non respuit quando senex etsi inhabilis prolificare, potens est coire, ac seminare. Porrò senum conjugia semper infelicia esse pluribus auctoritatibus demonstrat Tiraquellus *in d.* 6. *Leg. Connubial. gloss.* 1. *à n.* 12. *& seqq.* Quòd si quis petat, an validum sit Matrimonium contractum à gravi morbo oppresso, aut à moribundo? Respondetur affirmativè, quia licèt hic, &
47 nunc non sit aptus ad copulam, retinet potentiam ad illam; ideòque sæpè videmus, ita fieri, præcipuè ad legitimandam prolem ex concubina ante susceptam. *cap. Tanta. Qui Filii sint legit.* Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 128.

Quo ad Nonos impotentes, nempè Eunuchos, seu Spadones, utroque teste carentes; horum conjugia prohibuit, illosque ad ea contrahenda inhabiles declaravit, & de
48 facto contracta invalida decrevit Sixtus V. *die* 27. *Junii* 1587. per suam Constitutionem 59. *Incipien. Cum frequenter;* quod notant omnes DD. Barbosa *in Summa Apostol. Decis. Verb. Eunuchus.* Salmanticenses, alios allegantes, *d. cap.* 12. *n.* 129. rationemque docentes, quia non habent semen prolificum; sed humorem quendam aqueum tantummodo, ex utriusque testis carentia; & ideò, si uno tantùm carerent, possent validè nubere. Vinc. de Justis *d. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 87. & 88. & Salmanticenses *d. num.* 129. ubi subdunt, quòd si post Matrimonium ritè contractum Vir fiat Eunuchus, non dissolvitur Matrimonium; sed utrùm deindè possit absque peccato copulam cum Uxore exercere? Affirmat idem de Justis *ibid. num.* 88. Negat Basilius Pontius *d. lib.* 7. *cap.* 67. ubi tria ponit genera Eunuchorum, carentium scilicet uno teste tantùm, ambobus, ac etiam veretro, quales sunt Eunuchi, qui fœ-
49 minis custodiendis ab Imperatore Turcarum hisce temporibus deputantur.

Sed objiciet aliquis: legitur in *Genes.* 37. 36. quòd *Madianitæ vendiderunt Joseph in Egypto Putifari Eunucho Pharaonis, magistro militum.* Prout etiam *Genes.* 39. 1. *Emitque eum Putifar Eunuchus Pharaonis.* Sed hic Eunuchus habebat Uxorem, quæ amore capta in Jose-
50 phum ait illi: *Dormi mecum.* At Joseph *nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ Uxor ejus es.* Imò idem Putiphar susceperat filiam, nomine *Aseneth*, quam postea Pharao dedit in Uxorem Joseph facto Proregi; *Genes.* 41. 45. ibi: *Dedítque illi Uxorem Aseneth filiam Putipharis.* Respondet Cornelius à Lapide *Comment. in Genes. In supracit. locis*, Principes Aulæ Regis Ægypti ex antonomasia solitos vocari Eunuchos; sed ipsi

natura

natura tales non erant, Aseneth autem fuisse filiam alterius Putipharis, qui erat Sacerdos Solis; Maritus autem Uxoris, quæ tentaverat Joseph de adulterio, erat Princeps militæ. At possumus etiam dicere, Putipharem post contractum Matrimonium, & susceptam filiam, ex infirmitate evasisse Eunuchum, eique virilia exaruisse, ut ex S. Hieronymo notat idem Cornel. à Lapide *Genes.* 39. *Vers.* 1.

Quo ad Decimos Impotentes, nempè Hermaphroditos, & Androgynos; hæc est regula, quòd possint inire conjugium in sexu prævalente; at in sexu æquali necessarium esse judicium Episcopi; in sextu autem minùs prævalente nullo modo eos posse contra-
15 here; & si de facto contrahant, nullum esse eorum Matrimonium. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 106. Verricellus *q.* 196. *n.* 31. & 32. Aversa *q.* 13. *sect.* 2. *Vers. Quintò.* Vinc de Justis *d. lib.* 2. *cap.* 17. *à num.* 76. *& seqq.* qui *n.* 84. notabiliter dicit, quòd si fœmina nupserit Viro, deindè in marem convertatur, Matrimonium dissolvitur; ac etiam si ante illud fuisset Hermaphrodita cum sexu fœmineo prævalente, nam ubi deinde sexus masculinus cœperit prævalere, irritatur conjugium, ut etiam scribunt Verricellus *d. quæst.* 196. *n.* 14. *in fine.* & Aversa *d. quæst.* 13. *sect.* 4. *in princ.* Qui plura scire desiderat de Hermaphroditis, legat meas Decisiones de Sacramento Pœnitentiæ, in quibus *Decis. XLIII.* quidquid de Hermaphroditis ex Medicis, ac Historiis sciri potest, copiosè enarravi.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

De Impedimento dirimente, *Si Rapta sit Mulier* differit hæc Decisio, Raptus vel est Ecstasis mentis in Deum; vel est Crimen, per vim auferens aut bona, aut mulieres alienas. Tria jura Canonica punientia mulierum Raptores. Ex Tridentino Concilio Matrimonium esse non potest inter Raptorem, & Raptam, nisi hæc in loco tuto posita liberè consentiat. Resolvantur novem difficultates, scitu omninò necessariæ circa decretum ejusdem Concilii. Tandem per Historias, mala ex Raptu mulierum provenientia demonstrantur.

SUMMARIUM.

1 *Raptus nomen habet significationem bonam, & malam.*
2 *Raptus significat elevationem mentis in Deum supra sensus.*
3 *Raptus in Deum diversa nomina.*
4 *Angelis, ac Beatis an conveniat Raptus?*
5 *Raptus significans crimen quid, & quotuplex sit?*
6 *Raptus est species Luxuriæ exprimenda in Confessione.*
7 *Raptum facit copula carnalis violenta.*
8 *Raptus quando impediat Matrimonium cum quacunque?*
9 *Raptus mulierum triplici Jure Canonico punitus.*
10 *Concilii Trid. decretum circa Raptores mulierum.*
11 *Ducere mulierem raptam an teneatur Raptor?*
12 *Rapere puellam consentientem an sit Raptus?*
13 *Puellarum Raptus frequens apud rusticos, ac villanos.*
14 *Patavinæ Diœcesis consuetudo, & pœna in villanos rapientes Puellas.*
15 *Carceratio Raptoris remedium bonum, ne raptus puellarum fiat.*
16 *Andreas Erizzo Prætor Paduæ Anno* 1691. *laudatus.*
17 *Raptus mulieris ad explendam libidinem an sit Impedimentum dirimens?*
18 *Raptus propriæ Sponsæ an dirimat Matrimonium celebrandum?*
19 *Rapere suam Uxorem in Matrimonio Rato intra bimestre an liceat?*
20 *Obsessio mulieris in propria domo habet vim Raptus.*
21 *Precibus importunis abducere puellam an sit eam rapere?*
22 *Fraude, ac dolo si puella invita abducatur è sua domo, an sit Raptus?*
23 *Fœmina si virum rapiat, an Raptus impedimentum incurrat?*
24 *Parochus assistens Matrimonio Raptoris cum Rapta an incurrat pœnam Trid. Concilii?*
52 *Dispensatio Apostolica in quocunque impedimento addit, si mulier rapta non fuerit.*
62 *Raptorem quando non possit Ordinarius ab excommunicatione absolvere?*
27 *Raptus mulierum semper parit mala, ac exitus infelices.*
28 *Ezzelinorum cum Camposamperiis de Padua clades ob Raptum Mulieris.*
29 *Raptus non dirimit Matrimoniam contrahendum, ubi Conc. Tridentinum non est receptum.*

DE Impedimento *Raptus* Matrimonia dirimente, ut clarè, ac breviter hic differamus; non est ignorandum, hanc Vocem *Raptum* habere bonam, ac malam significationem. Ejus bona significatio est, quatenùs innuit Ecstasim, ac excessum mentis humanæ in Deum; siquidem, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 5. *Raptus est ab eo, quod est secundum naturam in id, quod est supra naturam, ex vi Superioris naturæ, elevatio.* Et ideò, quando mens humana elevatur supra 1
sensus

sensus à Deo, ad audienda, vel videnda, vel intelligenda, quæ Divina sunt, dicitur rapi, & Raptum pati; ut de se ait Apostolus Paulus 2. *Cor.* 12. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sivè in corpore nescio, sivè extra corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Circa quem Apostoli *Raptum* duo notatu digna dicunt Doctores Sacri. *Unum* est, quòd Raptus, propriè sumptus, est, quando Spiritus hominis, Dei virtute rapitur, & à sensibus alienatus, ad sublimissimam contemplationem, amoremque, ac consolationem eminentem rerum cœlestium extollitur, & in ecstasim trahitur. Et ideò si tunc animæ manifestatur, 3 quod erat incognitum, dicitur *Revelatio*; si manifestatio sit de re futura, appellatur *Prophetia*; si persona aliqua loquitur cum anima sic in ecstasim rapta, nuncupatur *Apparitio*, ac *Visio*; cùm autem anima absorbetur in Divinum Amorem est *Raptus*. Ita ex S. Hieronymo, Beda, Eucherio, Thoma, ac aliis Sanctis Consalvus Durantes *in tr. de Visionib. cap.* 1. *col.* 8. impresso ante 4 Revelationes S. Birgittæ. *Alterum* notabile est, quòd Raptus proprius est animæ Deum amantis, sed in corpore adhuc viventis; nam, ut scribit Cornelius à Lapide *in Comment. 2. Cor.* 12. 2. *Angeli, & animæ beatæ non rapiuntur, cùm Deum videant: quia licèt supra naturam eleventur, non tamen alienantur ab eo, quod est secundùm naturam, idest à naturali animæ statu, qui est in homine, ut per sensus corporeos, & phantasmata, sua objecta cognoscat, & intelligat: in Raptu ergo alienatur, & abstrahitur anima à sensibus & phantasmatibus.* Unde concludit: *Et sic ab iis abstractus fuit Paulus, alioqui enim sciviset, se esse in corpore.* Concordat S. Bonaventura *in tract. de Gradib. Contempl.* ita dicens: *Ecstasis, & Raptus est, deserto exteriori homine, sui ipsius super se voluptuosa quædam elevatio, ad Superintellectualem Divini Amoris fontem.* Hæc de Raptu in bonasignificatione sumpto.

In mala significatione Raptus *est Violentia, qua quis arripit vel res, vel mulieres alienas.* Qui res alienas mobiles vi rapiunt, dicuntur fu- 5 res violenti de quibus agunt Jurisperiti *libr. 4. Instit. tit. 2. De Vi bonorum raptor.* & *in ff. ad leg. Juliam de Vi Publica:* nec non *in tit. ad legem Jul. de Vi priv.* ubi de pœnis hujusmodi furtorum cum armis, aut vi patratorum. Qui verò rapiunt alienas mulieres, sunt in duplici differentia; alii enim committunt Raptum ad explendam libidinem; alii ad effectum contrahendi Matrimonium cum muliere Rapta. Raptus primi generis definitur, quòd sit *Violentia fœminæ facta, causa libidinis explendæ.* DD. apud Salmanticenses. *tract. 9. de Matrimon. cap.* 12. *num.* 145. ubi tria scitu necessaria ponunt. *Unum*, quòd talis Raptus est species distincta luxuriæ, quæ est explicanda in confessione, ultra aliam speciem luxuriæ resultantem à qualita- 6 te mulieris Raptæ, puta adulterii, si sit conjugata; stupri, si sit Virgo; incestus, si sit consanguinea, vel Affinis. *Alterum* dictum est, quòd hæc species Raptus com- 7 mittitur, quamvis mulier non abducatur de sua domo; si per vim carnaliter cognoscatur. *Tertium* dictum est, quòd si eadem mulier esset alicui desponsata; tunc Raptus illius, ultra alias pœnas pro tanto facinore, evadit Impedimentum impediens, quia ipse Raptor fit inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum quacunque alia muliere per *tex. in cap. Statutum. 27. q. 2.* ubi Barbo- 8 sa DD. colligit, inter quos Sanchez *libr. 7. de Matrim. disp.* 12. *num.* 43. à quibus hæc redditur hujus impedimenti impedientis ratio: videlicet, quod qui alienum Matrimonium perturbare ausus est, jure proprii contrahendi meritò privetur, ut in quo deliquit puniatur. Sed utrùm textus ille sit intelligendus tantùm de Sponsa de præsenti, vel etiam de Sponsa de futuro? Alii DD. ajunt, intelligendum esse de utraque; alii verò quòd de Uxorata tantùm; & sic de Sponsa de præsenti solummodò, quod magis placet Sanchezio *d. disp.* 12. *num.* 45. At mihi magis arridet opinio contraria, quia textus in genere nominat Sponsam alienam; ergò tam de præsenti, quàm de futuro, utroque enim casu infertur gravissima injuria ejus Sponso per prædictum Raptum, ut observant, ac tenent ibidem Glossa, Hugo, Archidiaconus, Bellamera, & Cardinalis Turrecremata. Alias pœnas contra hujusmodi Raptores mulierum tam de Jure Civili, quàm de Jure Canonico inflictas ponit Vinc. de Justis *De Dispensat. Matrim. libr. 2. cap.* 18. *à num.* 1. *& seqq.* & Farinacius *libr.* 1. *cons.* 33. per totum.

Qui verò rapiunt mulierem ad effectum contrahendi Matrimonium cum illa, hi committunt Raptum, ex quo insurgit Impedimentum dirimens, & definitur, ut sit *Violenta fœminæ abductio de loco ad locum causa Matrimonii.* Salmanticenses *d. cap.* 12. *num.* 146. & ibi Sanchez, Guttierez, Palaus, & alii. Mastrius *in 4. sent. disp. 7. num.* 403. ac Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Matrim. disp.* 24. *art.* 1. ubi notant circa hoc Impedimentum Raptus dirimens tria esse Jura de eo disponentia. *Primum* est antiquum *in cap. Placuit. 36. q. 2.* in 9 quo erat dispositum, ut in pœnam tanti criminis inferentis violentiam mulieribus maritandis, & earum libertati tam graviter nocentis, nullo unquam tempore posset fieri Matrimonium inter eundem Raptorem, ac ipsam Raptam, etsi deindè consentiret. *Secundum* est Jus medium *in cap. fin. de Raptorib.* in quo Innocentius III. temperando rigorem juris antiqui concessit; posse consistere Matrimonium inter Raptorem, & Raptam, quandocunque ejusdem mulieris Raptæ, etsi existentis in manu Raptoris, liber assensus accederet. *Tertium* Jus novissimum est Sacri Concilii Tridentini, à quo ultra pœnas excommunicationis, infamiæ, obligationis dotandi mulierem Raptam, & alias, de quibus *sess. 24. de Matrim cap. 6.* infra referendo, decrevit, non posse fieri Matrimonium inter Raptorem, & Raptam, quandiù fuerit in ma-

nu

nu Raptoris, sed esse de ejus manu tollendam, & in loco tuto, ac libero collocandam; in quo postea si consensum sponte dederit, tunc sublatum censeatur Impedimentum Raptus dirimens; & inter ipsos Raptorem, & Raptam validè fieri possit Matrimonium. 10 Verba Concilii Tridentini *d. sess. 24. de Matrimon. cap. 6.* sunt ista: *Decernit Sancta Synodus inter Raptorem, & Raptam, quandiù ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si Rapta à Raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam Raptor in Uxorem habeat, & nihilominùs Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso Jure excommunicati, ac perpetuo infames; omniumque dignitatum incapaces, &, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem Raptam, sive eam Uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.* Circa quod Concilii decretum observant Sanchez *d. libr. 7. disput. 13. num. 1.* Perez *disp. 38. sect. 3. num. 4.* Palaus, & alii apud Salmant. *d. cap. 12. num. 150.* duas tantùm ex prædictis pœnis incurri ipso facto à Raptore, idest inhabilitatem ad nubendum cum muliere Rapta, donec reponatur in loco tuto; & excommunicationem, quæ tamen nulli est reservata: alias autem pœnas omnes esse ferendæ sententiæ; ideóque in eas nec Raptorem, nec ei favorem, auxiliumve præstantes, sivè Clerici sint, sivè Laici, incurrere, nisi Judex super iisdem pœnis contra ipsos decretum pronunciaverit; & idem docent Farinacius *quæst. 145. num. 18.* Thesaurus *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Raptus mulieris. Vers. Nota quintò.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. à num. 20. & seqq.* ubi fusè disserit de hac obligatione dotandi mulie-11rem Raptam, ad quam tenetur tum ipse Raptor, tum auxiliantes, aut ei favorem præbentes; dicens eam esse præscriptam à Concilio Tridentino de forma; ac propterea esse adimplendam etiam ante Judicis sententiam, nec posse mulierem huic dotationi renunciare; quamvis subdat, contrariam esse opinionem Theologorum Sanchezii *d. libr. 7. disp. 13. num. 1.* Filliucii *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. num. 264.* Laymani *libr. 5. tract. 10. part. 4. cap. 13. num. 4.* & aliorum.

Porrò circa hoc *Raptus* Impedimentum dirimens excitant DD. has novem sequentes difficultates, quas breviter referre, ac dissolvere oportet.

Prima est, an sit Raptus, si puella consentiens è sua domo abducatur, invitis tamen, & reclamantibus ejus parentibus? Affirmat Bonacina *q. 4. punct. 18.* citans Henriquez, Guttierez, Tuschum, Molinam, & alios; 12quia vis infertur iisdem parentibus, de quorum manibus rapitur puella, & ideò cum ea Matrimonium Raptor inire non poterit, nisi facta separatione ad præscriptum Tridentini Concilii. At contrarium docent Sanchez *d. libr. 7. disp. 12. num. 15.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 151.* Vinc. de Justis plurimos DD. allegans *d. libr. 2. cap. 18. num. 49.* & doctissimus Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. num. 404.* eam reddens rationem, quòd Tridentinum loquitur tantùm de Raptu, quo læditur libertas ad Matrimonium requisita, cujus læsioni solùm occurrere intendit; dicto autem Raptu, quamvis vero respectu parentum, non læditur libertas puellæ ad Matrimonium, cujus consensus liber requiritur, non autem parentum.

Hæc autem opinio quamvis vera sit, & in theoria admittatur à DD. secus est in praxi, nam ab Episcopis non recipitur; & quandocunque casus iste occurrit, qui frequentissimus est apud rusticos, & villanos, puellas consentientes, invitis parentibus, è13 suis domibus abducentes, delatio fit à Parochis ad Ordinarium, qui statim præcipit, puellam ab amatio Raptore separari, & in loco tuto reponi, ubi ejus consensus, an sit liber, requiratur. Quo facto indicitur publica pœnitentia manendi tribus diebus festivis in Ecclesiæ janua cum candela accensa in manu, durante Missa Parochiali; deindè conceditur dispensatio, ac mandatum, quo datur licentia, ut dicta puella Rapta possit eidem Raptori nubere. Talis est consuetudo Patavinæ Diœcesis, cujus ego testis sum ocularis per annos quinquaginta, & ultra; & talem consuetudinem tanquam laudabilem esse servandam ait Vinc. de Ju-14 stis *d. libr. 2. cap. 18. num. 14. & 15.* adeò ut si ea neglecta fieret Matrimonium, esset quidem validum, sed contrahentes, ac Parochus assistens mortaliter peccarent, juxta Decisionem Rotæ Romanæ *in Novissim. Decis. 264. num. 35. & 36.* Supradicta Publica Pœnitentia introducta est ad reprimendos ausus villanorum in abducendis puellis è domibus parentum, à quibus earum Matrimonium sibi denegatur; sed non sufficit ad tantam audaciam frænandam; quare ego usus sum alio remedio, cùm essem Vicarius Generalis in hoc Episcopatu Patavino Anno 1691. & Eminentissimus Cardinalis Gregorius Barbadicus Episcopus, S. M. Herus meus reperiretur Romæ in Conclavi pro15 novi Pontificis Romani electione; videlicet, cùm mihi delata fuisset querela à nonnullis villanis de abducta puella, nocturno tempore, per amasium ejus, è domo ipsorum; statim rogavi Illustrissimum, ac Excellentissimum Andream Erizzo Prætorem tunc Paduæ, & Senatorem integritate, zelo, prudentia, ac aliis virtutibus præclarissimum, ut rusticum illum Raptorem carceri16 mancipare faceret; quod statim Satellites Prætoris sunt executi: ex qua captura terror magnus incussus est in omnibus Villis; & per plures diversos sequentes annos, nulla deindè fuit abducta puella. Carceratum illum post mensem feci è carcere relaxari, & habita fide liberi consensus

puellæ in loco tuto jam constitutæ, factaque publica pœnitentia in janua Ecclesiæ per tres festivos dies, supra insinuata, dispensando concessi, & concedendo licentiam dispensavi, ut Parochus eorum Matrimonio posset assistere, prout fecit.

Secunda difficultas est, An nascatur hoc Impedimentum Raptus dirimens, si quis rapiat mulierem non ad effectum contrahendi Matrimonium cum illa, sed ad explendam libidinem; qua postea expleta, si resolvat eandem in Uxorem ducere, an validè pos-
17 sit absque separatione, & repositione ejusdem mulieris in loco tuto? In hac difficultate plures DD. quos nominat Mastrius *d. disp. 7. num. 405.* & Salmanticenses *d. cap. 12. num. 152.* opinantur, insurgere Impedimentum, & opus esse separatione ad formam Concilii Tridentini, quod loquitur generaliter, & indistinctè de muliere Rapta; ergo est de omnibus mulieribus ex quacunque causa Raptis intelligendum. Contrarium tamen tenent ipsi Salmanticenses, ac Mastrius, & cum eis Sanchez *d. lib. 7. disp. 13. numer. 4.* Guttierez *cap. 86. num. 8.* Aversa *q. 12. sect. 2.* & alii plures, quos citat, & sequitur Diana *par. 3. tract. 4. resol. 260.* quæ in Coordinato habetur *tom. 2. tract. 6. resol. 152.* ea ratione, quia Concilium non intellexit ita decernere, nisi in Raptu occasione futuri Matrimonii, ut ejus consuleret libertati; quare si Raptor antedictus, qui expleta libidine, veniret in opinionem contrahendi Matrimonium cum eadem muliere apud se retenta, & de facto contraheret, validum esset Matrimonium, ut respondisse Sacram Congregationem *die 23. Januarii 1586.* testatur Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispens. Apostolicar. libr. 7. cap. 6. num. 48.* & Vicent. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. num. 47.* ubi plures alios DD. ita docentes citat.

Tertia est difficultas, An hoc Raptus Impedimentum dirimens insurgat, si contractis Sponsalibus de consensu parentum per verba
18 de futuro, Sponsus rapiat Sponsam de eorum manibus ad solum effectum adimplendi Sponsalia, & contrahendi conjugium per verba de præsenti? Et quamvis non insurgere Impedimentum Raptus in hoc casu teneant Henriquez *libr. 12. cap. 14. num. 4. & 5.* & Lessius *de Just. & Jur. lib. 4. cap. 3. num. 70.* quia in *cap. Lex illa. 46. num. 1. & in cap. penult. de Raptorib.* expresè dicitur, Raptum esse, si fœmina abducta non sit Raptoris Sponsa; nihilominùs communis est DD. sententia, quòd Impedimentum Raptus insurgat; quia Sponsa de futuro potest ex pluribus motivis dissentire Matrimonio de præsenti, nec debet violari ejus libertas per Raptum, ut bene dixerunt Salmanticenses, alios DD. allegantes *d. cap. 12. num. 153.* quibus adhæret Emin. Card. de Lauræa *de Impedim. Matrim. disp. 34. num. 32.*

Quarta difficultas est, quid dicendum, si Matrimonium esset Ratum, sed nondum con-
19 summatum, & intra duos menses Sponsus raperet Sponsam invitam? Insurgere Impedimentum Raptus docent Azorius, Molina, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina *quæst. 4. punct. 18. num. 13.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. num. 62.* ea ratione, quia cùm Uxor habeat tempus duorum mensium ad deliberandum circa ingressum Religionis, maritus lædit ejus libertatem, illam rapiens intra bimestre. At contrarium esse dicendum vult Mastrius *d. disp. 7. num. 406.* & jure quidem, nam Raptus dirimit Matrimonium de futuro, non autem jam contractum; & quamvis maritus mortaliter peccet, rapiendo Uxorem intra bimestre, & ei injuriam faciat, tamen non insurgit ex hoc Raptu Impedimentum dirimens.

Quinta difficultas est, Utrùm hoc Raptus dirimens Impedimentum oriatur, si mulier non abducatur de domo sua, sed ita in ea obsideatur, ut indè exire non valeat? Negativè respondet Sanchez *d. libr. 7. disp. 13. num.* 20
7. quia, inquit, ad committendum Raptum necessaria est abductio; sed ejus opinio refellitur à Mastrio *d. disp. 7. num. 407.* & ab Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 34. num. 12.* quia mulier, quæ obsidetur domi, amittit suam libertatem, patitur violentiam, & censetur esse in manu ejus, cujus satellites, aut sicarii domum obsident; idcircò donec ab illa obsessione non liberetur, non potest validè Matrimonium contrahere cum illo, à quo obsidetur.

Sexta difficultas est, an faciant Raptum preces reiteratæ, ac importunæ, quibus suadetur puella ad fugam è propria domo? Respondent DD. quos citant, ac approbant Sal-
manticenses *d. cap. 12. num. 146.* Negativè, 21
nisi præces prædictæ provenirent à persona magnæ auctoritatis, quæ per eas incuteret vim, & metum, ut supra explicuimus *Decis. XXVII. num. 27.* tunc enim causarent Raptum, & insurgeret ex eo Impedimentum. Sanchez *d. libr. 7. disp. 13. num. 11.* Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. num. 70.* & Sperellus *decis. 150. num. 37.*

Septima difficultas est, an sit Raptus, si dolo, aut fraude puella invita abducatur ab amasio de propria domo? Et quamvis ne-
gent Sanchez *ead. disp. 13. num. 11. & 12.* 22
Guttierez *cap. 86. num. 14. & 15.* & alii, quos colligunt, & sequuntur Salmanticenses *d. cap. 12. num. 146.* Ego adhæreo opinioni contrariæ, quam tuetur Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. num. 69.* ita scribens: *Dicetur tamen Raptus, si quis Puellam, quæ ad se accedere nolebat, vocare fecisset per vicinam in domo ipsius vicina, in qua ipse Vir antea ad hunc effectum absconditus eam stupraret, quæ aliàs ad dictam domum nullo modo accessisset, si scivisset ibi Stupratorem manere.* Et hoc idem probat Genuensis *in Praxi Curiæ Archiep. Neapol. cap. 20. num. 11.* & Stephanus à S. Gregorio, *cap. 108. num. 9.*

Octava, & quidem famosa difficultas est, an Raptum faciat, & ex eo Impedimentum dirimens insurgat, si Fœmina præpotens, amore capta, rapiat adolescentem aliquem, & ei sic Rapto nubat? Eritne validum hoc conjugium? Casus iste, non

multis

multis jam ab hinc annis, evenit, dum, ut mi-
23 hi narratum fuit, Comitissa quædam rapuit Nobilem Venetum adolescentulum de Collegio, in quo studiis humanarum Litterarum vacabat; & ad suam domum adductum, statim cum illo Matrimonium inivit? Validum esse hoc Matrimonium asserunt Salmanticenses *d. cap. 12. num. 155.* & ibi Sanchez *d. libr. 7. disp. 13. num. 16.* & alii Carmelitæ Theologi *eod. num. 155.* citati, ea ratione quia Concilium Tridentinum loquitur tantùm de Viris Raptoribus fœminarum, quarum fragilitati voluit consulere; undè cùm sit correctorium Juris communis est strictè interpretandum, neque extentendum ad fœminas Raptrices virorum. Contrarium tamen defendunt plurimi DD. quos nominat, & sequitur Mastrius *d. disp. 7. num 408.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp. 34. num. 34.* quorum fundamentum est, quia quoad hoc non est major ratio de Raptu Viri, quàm Mulieris, eadem enim ratio pro utrisque militat, nempè ob libertatem Matrimonii, quæ prorsùs eodem modo requiritur in Viro, & in Fœmina. Ergo si alteruter abducatur absque consensu, æquè rapitur, & ex hoc Raptu insurgit Impedimentum dirimens à Concilio Tridentio statutum, cujus mens, & intentio est attendenda, non sonus verborum masculini generis, ut latè prosequitur idem Mastrius *d. num. 408.* & novissimè sustinet Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. à num. 75. & seqq.* ubi contrariæ opinionis rationes evacuat; ac hanc esse veriorem opinionem affirmat, quam tuentur etiam Aversa *d. Matrim. q. 12. sect. 3. Vers. At affirmandum.* Parisius *de Resignat. benefic. libr. 12. q. 4. num. 32* & Fontanella *de Pactis Nuptialib. clausul. 5. Gloss. 5. part. 2. num. 54.*

Nona difficultas est; cùm pœnæ à Concilio Tridentino contra Raptores inflictæ,
24 etiam coadjuvantes, & favorem impertientes afficiant, dubitatur, Utrùm easdem pœnas incurrat Parochus, qui assistit Matrimonio, quod inter se contrahunt Raptor, & Rapta, omissis ejusdem Concilii requisitis? Negativè respondent Sanchez *d. libr. 7. disp. 23. num. 1.* Aversa *d. q. 12. sect. 3. Vers. & quoad complures.* nec non Vinc. de Justis *d. cap. 18. num. 43.* unico excepto casu, videlicet si Parochus ante Raptum promisisset assistere statim dicto Matrimonio, undè Raptor animosior factus fuisset ad illam mulierem rapiendam. Ideò cauti debent esse animarum Pastores, & in eventum alicujus Raptus à se Raptorem expellant, ac negotium deferant ad Curiam Episcopalem, ab ea mandatum expectaturi pro præstanda assistentia prædicta; etiamsi amasius assereret, se puellam non rapuisse, sed eam sponte à paternis laribus declinasse; semper enim opus est judicio Ordinarii, à quo separatio puellæ est præcipienda, ut in loco tuto reposita certificari possit de ejus libero consensu pro conjugio cum Raptore ineundo, ut advertit idem Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. num. 83.* ubi DD. cumulat.

Tandem corollarii loco circa hoc Raptus Impedimentum dirimens duo veniunt notanda. *Unum* est, quòd si Rapta sit mulier, & opus sit dispensatione Apostolica super aliquo Impedimento consanguinitatis, affinitatis, vel alterius generis existente inter Raptorem, & ipsam mulierem Raptam, opus est, ultra impedimentum, super quo petitur dispensatio, exponere etiam Raptum
25 secutum inter Oratorem, ac Oratricem, aliàs si taceatur, etsi facta foret separatio, & posita mulier in loco tuto, dispensatio esset nulla, & invalida, ut doctè advertit ipse Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. à num. 30. & seqq.* subdens: *Esse hujusmodi crimen Raptus adeo detestabile, ut ab illo maximè plurimum Papa abhorreat, & propterea in omnibus mandatis dispensationum Matrimonialium, quas committit exequendas, apponit clausulam, Dummodo dicta Mulier propter hoc Rapta non fuerit. Et hoc juxta Regulam 49. Cancellariæ Apostolicæ, ubi dicitur: Voluit, quòd in Litteris Dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula, si mulier Rapta non fuerit.* Et in hoc casu petitæ dispensationis Apostolicæ, Ordinarius non potest am-
26 pliùs absolvere Raptorem ab excommunicatione; quia cùm Papa committit dispensationem exequendam à suo Delegato, assumit in se totum negotium, quod totum censetur remissum eidem Delegato, juxta regulam per appositionem manus Papæ in aliquo negotio, in eo inferiorum manus ligantur. *cap. Ut nostrum. 56. De Appellat.* quod scribunt etiam Barbosa *in Votis Canonicis libr. 2. Voto 33. num. 57.* Gratianus *Discept. Forens. cap. 574 num. 3. & 6.* Gonzal. *ad Reg. 8. Gloss. 52. num. 17.* & Riccius *in Praxi Fori Eccles. Resol. 278. num. 1.*

Alterum notandum est, Raptum mulierum pro Matriminio cum eis ineundo, esse semper causam malorum, ac infelicitatum, ut experientia quotidiana demonstrat; & te-
27 stantur Historiæ antiquorum, ac recentiorum temporum. Raptus Dinæ filiæ Jacob patratus à Principe Sichem, non obstante Matrimonio cum ea inito, & circumcisione assumpta per Sichimitas, causavit homicidia multorum, ut legitur in *Genesi cap. 34. Duo filii Jacob, Simeon, & Levi Fratres Dinæ, gladiis ingressi sunt urbem confidenter, interfectisque omnibus masculis, Hemor, & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.* Propter Raptum Helenæ Tyndari filiæ factum à Paride, Primi Regis Trojæ filio, tanta ira exarserunt Græci, ut post longum bellum ad nihilum reduxerint Trojam, ac Trojanos: undè cecinit Propertius 2. 3.

Olim mirabar, quòd tanti ad Pergama belli.
Europæ, atque Asiæ causa puella fuit.

Referunt Strabo, ac Pausanias bellum maximum inter Lacedemones, & Messenios fuisse, eo quòd Messenii Spartanas Virgines ad ædem Dianæ violaverant. Ob Raptas Sabinas mulieres à Romanis tempore Romuli, ut narrat Titus Livius *libr. 1. Decad. 1. in princ.* quot urbium excidia, quot populorum interitus, quot humani sanguinis effusiones?

Neminem latet, qui legerit Patavinas Historias, quantæ fuerint clades, armorum con-
28 flictus, Villarum direptiones, & homicidia in hoc Territorio Urbis Antenoreæ inter Familias Ezzelinorum, ac illorum de Camposamperiis, *Anno.* 1212. ob raptam ab Ezzelino Cæciliam nobilissimam, ac ditissimam Puellam, filiam quondam Nobilis Manfredi de Baone, destinatam Gerardo Camposamperio in Uxorem; quam vi, & præpotentia sua Ezzelinus fecit, ut nuberet Ezzelino nuncupato Monacho filio suo. Gerardus non multò post, ad tantam injuriam vindicandam, eandem Cæciliam è Bassano Patavium venienti adortus, violenter oppressit, ac integra nocte carnaliter cognovit; quare Ezzelinus repudiata (etsi innocente) Uxore, cum Composamperiis bellum iniit, ut tantum facinus ulciscereturur. Rem narrat perstrictis verbis Jacobus Cavacius *in Histor. S. Justinæ de Padua libr. 2. pag.* 82. & 83. his verbis: *Ezzelini primi filius, item Ezzelinus Balbus, & Nepos, ab inita Religione Ezzelinus Monachus appellatus, familiam multis opibus, & affinitatibus provexerunt. Veteres ambo simultates enutriebant adversus Campisamperios ex Stupro Cæciliæ Baoniæ ditissimæ fœminæ, quam Balbus iniquè præreptam Gerardo Campisamperio, Nepoti ex Cunissa sorore, conjunxerat Ezzelino filio, & Gerardus idem injuriam ultus viciaverat. Indè rixæ, & occisiones multæ, donec publica auctoritate, & amicorum opera ab armis temperatum est; licèt ex animo Ezzelinorum injuria non exciderit.* Ideò Petrus Tholosanus *Syntagm. Jur. Univ. libr.* 38. *cap.* 8. còm egisset de hoc pessimo crimine Raptus *num.* 14. concludit: Non est hic quòd referam, quot clades antiquitùs, & bella orta fuerint ob Raptus mulierum, de quibus Herodotus meminit *libr.* 1. *in princ.*

Concludenda est hæc Decisio verbis Basilii Pontii *libr.* 7. *de Matrim. cap. ult. num.* 6. dicentis, hoc Impedimentum Raptus dirimens attendi in illis solis locis, in quibus Concilium Tridentinum receptum est; in aliis verò id servari, quod à Jure Canonico erat statutum *in cap. fin. de Raptor.*

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Ad tollenda clandestina Matrimonia, duo adhibita sunt remedia à Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. *de Matrim.* Unum, quòd præmittantur Denunciationes à Parocho: Alterum, quòd ad ejus præsentiam, duorumque, aut trium testium, Matrimonium celebretur. De necessitate earundem Denunciationum agitur in Decisione præsenti, & docetur, quibus locò, & tempore sint faciendæ? ac quando obligent sub mortali scientes Impedimentum, ad illud revelandum? Ostenditur, à quibus Denunciationes possint remitti? Et quibus de causis? Tandem conditiones traduntur, sub quibus Papa dispensat super Impedimento, quando omissæ fuerunt Denunciationes.

SUMMARIUM.

1. *Clandestina Matrimonia per Trident. Conc. duobus remediis correcta.*
2. *Denunciationum Matrimonialium necessitas.*
3. *Illas omittentes peccant mortaliter.*
4. *Parochi assistentis Matrimonio sine denunciationibus pœna.*
5. *Denunciationes omitti possunt impunè in quinque casibus.*
6. *Denunciationes quo in loco sint faciendæ?*
7. *Vagabundi ad Matrimonium non admittendi sine licentia suorum Ordinariorum.*
8. *Denunciationes in Ecclesia Parochiali faciendæ.*
9. *In diebus festivis, non autem ferialibus.*
10. *An in festo devotionis, & ad Prædicationem Vespertinam?*
11. *Utrùm in tribus festivis diebus non interpolatis?*
12. *Denunciationes jam factæ quando repetendæ?*
13. *An à Parocho personaliter publicandæ?*
14. *Denunciationes obligant scientes Impedimentum, illud revelare sub pœna peccati mortalis.*
15. *Personæ obligatæ revelare Impedimenta Matrimonii quæ sint?*
16. *Impedimentum Matrimonii in quinque casibus non revelandum.*
17. *Denunciationes à quibus dispensandæ, ac remittendæ?*
18. *Apellatio datur à denegata Denunciationum dispensatione.*
19. *Causæ quindecim, ob quas remitti possunt Denunciationes.*
20. *Informatio sumenda ab Ordinario ante remissionem Denunciationum.*
21. *Denunciationes ab Ordinario remittuntur etiam extra suam Diœcesim.*
22. *Denunciationes non fuisse factas exprimendum est Papæ pro valida dispensatione super Impedimento obtinenda.*
23. *Conditiones, quas Papa ponit in dispensatione, si fuerint omissæ Denunciationes.*

QUia ex clandestinis Matrimoniis magna resultabat pernicies Animarum, eò quia plurimi

plurimi homines, priore Uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahebant, & cum ea in perpetuo vivebant adulterio; ut tanto facinori Synodus Tridentina remedium adhiberet, duo statuit *in sess. 24. in Decret. de Ref. Matrim. cap. 1.* 1 *Unum*, ut tribus festivis diebus, ante celebrationem Matrimonii, fiant per Parochum de eo denunciationes publicæ in Missa, ad effectum, ut si quis sciret impedimentum aliquod inter eosdem contrahentes extare, illud revelet. *Alterum* quòd nemo possit contrahere Matrimonium, nisi præsente Parocho, (vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia,) & duobus, vel tribus testibus sub pœna nullitatis; quapropter de iisdem duobus remediis est à nobis agendum; de primo, scilicet de Denunciationibus, in Decisione præsenti; de secundo autem, nempè de Præsentia Parochi, ac Testium in sequenti Decisione. Igitur circa Matrimoniales Denunciationes à Tridentino Concilio præscriptas sex sunt videnda.

1. Quanta sit harum Denunciationum necessitas?
2. Quo loco, & tempore sint faciendæ?
3. Quis sit harum Denunciationum effectus?
4. Quis possit dispensare, ne hæ Denunciationes fiant?
6. Quibus conditionibus Papa dispenset super impedimento Matrimonii ignorato ob non factas Denunciationes?

Quo ad Primum. Necessitas Denunciationum Matrimonialium deprehenditur ex præcepto Ecclesiæ de iisdem facto non solùm in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. de quo *in cap. Cum inhibitio. De Clandestina Desponsat.* sed etiam in eodem Concilio Tridentino *d. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1.* 2 cujus hæc sunt verba: *Idcircò Sacri Lateranensis Concilii, sub Innoc. III. celebrati, vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum, antequàm Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus Denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* Et paulò infra: *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciationes remittantur; quod illius prudentiæ, & judicio Sancta Synodus relinquit.* Quæ attento hoc Ecclesiæ præcepto, Denunciationes ipsæ adeò sunt necessariæ, ut, quamvis illis omissis Matrimonium sit validum, tamen easdem omittentes peccent mortaliter, tam contrahentes, quàm Paro- 3 chi eorum Matrimonio assistentes, ut latè probat Sanchez *de Matrim. libr. 3. disp. 5. num. 6.* Barbosa *in Collect. DD. ad d. cap. 1. sess. 24. num. 29.* inter quos Reginaldus *libr. 31. num. 223.* quod confirmat, quia talis omissio est transgressio Ecclesiastici præcepti in re gravissima; ac etiam quia idem Concilium Tridentinum *ead. sess. 24. cap. 5.* dum ait, negandam esse dispensationem super impedimento Matrimonii ignorato ob omissas denunciationes, inquit: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit*; quæ verba denotant reitatem culpæ mortalis in omittentibus prædictas denunciationes. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Imped. Matrim. disp. 22. num. 335.* ubi allegat. textum expressum *in cap. Si quis dogmata. 25. quæst. 2.* Basilius Pontius *de Matrim. libr. 5. cap. 30. num. 3.* subdens, quòd ulteriùs iidem omnes possunt ab Ordinario graviter puniri. Sanchez *d. libr. 3. disp. 46. num. 8.* Aversa *quæst. 7. sect. 3. Vers. Deindè.* Ventriglia *in Praxi Annot. 3. num. 19.* Sperellus *Decis. 112. num. 49.* & alii, quos cumulat Vinc. de Justis *de Dispens. Matrim. libr. 2. cap. 19. à num. 34. & seqq.* ubi ulteriùs advertit, quòd Parochus assistens Matrimonio non factis denunciationibus incurrit pœnam suspensionis à Divinis per triennium, juxta textum *in cap. fin. de Clandestin. de-* 4 *sponsat.* quæ tamen pœna non est latæ, sed ferendæ sententiæ. Sanchez *d. libr. 3. disp. 48. num. 24.* at ubi à Judice fuerit declaratus suspensus, absolutio est Papæ reservata. Sanchez *d. libr. 3. disp. 52.* Aversa *d. quæst. 7. sect. 3. Vers. Pœnæ verò.* Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp. 22. num. 466.* Et ipse Vinc. de Justis *ibid. num. 36.*

Adducit tamen quinque casus ex antiquis Theologis collectos Reginaldus *d. libr. 31. num. 224.* in quibus, ajunt, neque contrahentes, neque Parochum, testesvè incurrere culpam, aut pœnam ob omissas denunciationes, videlicet. 1. Si loco denunciationum Sponsalia sint publicè, ac solemniter 5 celebrata. 2. Si contrahentes sint juris ignari. 3. Quando tempus non suppetit, ut in articulo mortis concubinarii, ut celebret Matrimonium cum concubina ad ejus famam reparciendam, ac legitimandam prolem. 4. Quando grave periculum aut damnum imminet Parocho, si recusèt assistere, puta, si reperto defloratore puellæ in fragranti, parentes vocent Parochum sub alio prætextu, & cum minis obligent eum Matrimonio prædicti defloratoris, ac puellæ statim assistere, ut nonnullis ab hinc annis occurrit q. Rev. Francisco Bezio Parocho S. Martini de Attheste hujus Diœcesis Patavinæ. 5. Si contrahentes sint Magni Principes, quorum Parentela non nemini est incogita. Ita Reginaldus ex Sylvestro, & Soto ubi supra per eum allegatis; quorum tamen auctoritas tanta non est, ut in primo, ac secundo casu possit Parochus tuta conscientia, omissis Denunciationibus, Matrimonio assistere; cùm in eis, ac in tribus sequentibus, nisi urgentissima ex causa, debeat recurrere ad Ordinarium, ac ab eo licentiam, prævia Denunciationum dispensatione, obtinere. Barbosa *de Offic. & pot. Episc. alleg. 32. num. 53.* Squillantes *de Obl. Cleric. part. 2. n. 124.* Aversa *d. qu. 7. sect. 2.*

Vers. Si tamen. & ipse Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num. 144. & 145.*

Quo ad secundum, in quo quæritur. Quo loco, & tempore sint faciendæ ipsæ Denunciationes ? Respondetur, circa locum, quòd si Sponsus, & Sponsa sint unius, & ejusdem Parochiæ, in ipsa Parochia tantum sunt faciendæ : at si Sponsus sit de una Parochia, Sponsa verò de altera, in ambabus Parochiis eædem Denunciationes sunt publicandæ. Sanchez *d. libr. 3. disp. 6. num. 4.* Aversa *d. quæst. 7. sect. 1. Vers. Debentque Denunciationes.* Riccius *in Praxi Fori Eccl. resol. 437. num. 1.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. num. 344.* atque Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 30. num. 4.* ubi ponit hanc declarationem Sacræ Congregationis : *Quando Matrimonium contrahitur inter duos de diversis Parochiis, debent in ambabus fieri Denunciationes* ; & talis est praxis omnium Ecclesiarum, ac tenor Synodalium Constitutionum uniuscujusque Diœcesis; præcipuè hujus Patavinæ, in quibus *part. 2. cap. 18.* sic statuitur : *Si Sponsus, & Sponsa in diversis sint Parochiis, ut in ambabus integræ promulgationes observentur, Parochus mulieris Sponsi Parochum admoneat, ut & ipse Denunciationes edicat.* Quòd si ipsi contrahentes de recenti cæperint habitare in una Parochia, aliis derelictis, in quibus diutiùs habitaverunt ? etsi in utriusque esse Denunciationes faciendas asserant DD. quos allegat Sanchez *d. libr. 7. disp. 6. num. 6. & 7.* contrarium tamen est verius ; quia sufficit, eas fieri in sola Parochia, in qua de præsenti degunt, ut probat Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 30. num. 5.* ea ratione, quia Concilium Tridentinum ait, eas esse faciendas *à proprio contrahentium Parocho* ; sed talis non est ille, à cujus Parochia jam recesserunt ; & hanc opinionem approbat etiam Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 22. num. 248.* ita dicens : *Esto contrahentes mutaverint Parochiam, non est necessarium, ut Denunciationes fiant alibi, quàm in Parochia, in qua sunt de tempore contractus.* 6

Inficiandum tamen non est, quòd si quis ex Sponsis esset vagabundus, vel non bene cognitus in Parochia, in quam venit de recenti, essent Denunciationes faciendæ in derelictis ab eo Parochiis, imò cogendus ad exhibendam ejus libertatis attestationem, à suo Ordinario confectam, prævio testium examine ; ut servatur in praxi. 7

Sed est etiam locus loci servandus in iisdem Denunciationibus proclamandis, qui quidem est Ecclesia ipsa Parochialis, vel alia intra confines Parochialis ejusdem, ut expressè præceptum est tum in Concilio Lateranensi sub Innoc III, de quo *in cap. Cum inhibitio. De Clandestin. Desponsat.* ubi sic : *Cùm Matrimonia fuerint proponenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur* : tum etiam in Concilio Tridentino *d. sess. 24. cap 1.* ibi : *In Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur.* Et hoc notant communiter omnes DD. Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 30. num. 6.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. num. 351. & seqq.* ubi *num. 353.* subjungit : *Nota tamen, quòd si in alio loco, ubi fideles in festo essent congregati, fierent Denunciationes, licitè fierent, non enim ex alio motivo Concilium determinat Ecclesiam, nisi quia in ea adunantur fideles, quibus notificatio est facienda, ut detegant impedimentum, si sciant. Sed hoc intentum habetur, si alibi adunentur.* Ergo. Concordant in hoc etiam Bonacina *de Matrim. q. 4. punct. 6. num. 17.* Squillant. *de Obl. Cleric. part. 2. num. 116.* & Vinc. de Justis alios cumulans *d. libr. 2. cap. 19. n. 196.* 8

Circa tempus earumdem Denunciationum faciendarum debet esse festivum, & inter Missarum solemnia, ut ex illis verbis ejusdem Concilii Tridentini constat, *Tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia*, dum scilicet adest populi multitudo ; propterea eas fieri non posse in diebus ferialibus, neque ex concessione Episcopi, firmant omnes scribentes ; de quibus Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num. 195.* eam reddens rationem, quia Episcopus est inferior Concilio ; non est autem licitum inferiori in lege Superioris se ingerere. Et confirmatur ex declaratione Sacræ Congregationis ex Farinacio allata per Basilium Pontium *d. libr. 5.* cap. 30. *num. 7.* & repetita per Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. num. 363.* ita dicente : *Episcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ sunt Nuptiæ, omittere potest aliquas Denunciationes secundum prudentiam suam, & judicium : non tamen ut in diebus festivis fiant.* Duo autem concedunt DD. quæ videntur esse aliena à verbis Concilii. *Unum* est, quòd ipsæ Denunciationes possunt fieri etiam in aliquo die Profesto, ideò in Festo die, qui non sit de Præcepto, si in eo ingens populi multitudo ad Ecclesiam accedat. *Alterum* est, quòd etiam extra Missarum solemnia legitimè fierent, eadem populi multitudine adstante, puta ante, vel post Prædicationem vespertinam ; ea ratione, quia in utroque casu adimpletur mens Concilii, quæ intendit, notificare futurum illud Matrimonium, ad hoc, ut qui noverint aliquod impedimentum illud denuncient. Ita Sanchez *d. libr. 3. disp. 6. num. 10.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 22. num. 358.* & Vinc. de Justis alios allegans *d. libr. 2. libr. 19. num. 197.* ubi addit, tres illos dies festivos, in quibus proclamandæ sunt Denunciationes, debere esse interpolatos, ad hoc ut commodius possit populus reflectere ad illas, investigare, an subsit aliquod impedimentum, & illud referre ; quod enixè demonstrat etiam Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 22. num. 364.* Hoc tamen parum servatur in praxi, quia non rarò prædictæ Denunciationes ter fiunt in tribus diebus festivis Paschæ, & Pentecostes ; ac etiam festis Natalitiis Domini nostri Jesu Christi, nihil Episcopis reclamantibus ; quamvis à pluribus in eorum Diœcesibus prædicta dierum festivorum interpolatio per Synodales Constitutiones sit ordinata, ad tradita per eundem Basilium Pontium *d. libr. 5. cap. 30. num. 8.* Ego autem super hac dierum festivorum intercalatione nescio 9 10 11

habe-

habere scrupulum, tum quia Concilium Tridentinum de ea non meminit, imò in *d. sess. 24. cap. 1.* dixit: Denuciationes esse à proprio Parocho faciendas, *tribus continuis diebus festivis*, & si interpolatos voluisset eos esse, id expressisset; tum etiam quia quod à Parochianis nescitur in tribus diebus, neque in alia temporis majori dilatione præsumendum est, eos non posse scire.

Illud tamen observant omnes DD. quòd si infra quatuor menses ad summum, post factas Denunciationes, Matrimonium non contrahatur, opus est illas, vel unam, aut
12 duas arbitrio Ordinarii repetere, sicque fuisse à S. Congregatione decisum refert Barbosa *de Offic. & pot. Episc. allegat. num. 32. num. 55.* In Rituali Romano præscribitur spatium duorum Mensium; & idem præcipitur in Constitutionibus Synodalibus Patavinis *d. part. 2. cap. 18.* his verbis: *Si quis verò factis Denunciationibus intra duos menses conjugium non contraxerit, iis pratergressis, iterùm de more futurum inter ipsos Matrimonium proferatur.*
13 Tandem ab omnibus DD. traditur, posse Parochum vel per seipsum, vel per Capellanos, aut Clericos, à se substitutos, Denunciationes prædictas facere; quod admittit etiam Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. num. 361.* Regularibus autem nullum Jus competere faciendi easdem Denunciationes in eorum Ecclesiis, quæ Parochiales non sint, declarasse Sacr. Congregationem Concilii, testatur Lezana *in Sum. tom. 1. cap. 12. num. 41.* & Barbosa *de Parocho cap. 21. num. 16.* Et in Summa Apostolicarum Decisionum *Verb. Denunciationes Matrimon. Collect. 247. num. 2. & 5.* ubi, quod nil prohibet, quin Denunciationes ipsæ proclamentur etiam tempore Quadragesimæ, & Adventus.

Quo ad Tertium. Si quærimus, Quisnam sit harum Denunciationum Matrimonialium effectus? Respondetur, eas obligare quamcunque personam, quæ sciat, aliquod impedimentum tam impediens tan-
14 tùm, quàm impediens, ac dirimens reperiri ex quacunque causa inter ipsos contrahentes, ad illud manifestandum, vel Ordinario, vel Parocho, sub pœna peccati mortalis; eò quia agitur de animarum salute, de impedienda irreverentia, quæ aliàs irrogaretur Sacramento; & de obviandis scandalis, quæ oriri solent ex Matrimoniis ob aliquod publicum, vel occultum impedimentum invalidè contractis, ut latè de hac obligatione disserunt Sanchez *d. libr. 3. disp. 13.* Aversa *quæst. 7. sect. 4. Vers. Tenetur.* Bonacina *de Matrim. quæst. 2. punct. 6. num. 20.* Barbosa *de Episcopo alleg. 32. num. 25.* & aliis citatia Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. à num. 210. & seqq.* quibus adhæret Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. art. 21.* ex quorum omnium DD. dictis, sequentes conclusiones, circa personas manifestare impedimentum obligatas, deducuntur. 1. Obligati sunt ipsi contrahentes, si inter se aliquod impedimentum habeant,
15 illud manifestare, etsi occultum, ac secretissimum, nisi dispensationem Apostolicam super eo obtinuissent. 2. Tenentur omnes alii, de aliquo impedimento scientiam habentes, illud tevelare, quamvis sub secreto naturali scirent (excepto si sub Sigillo Confessionis Sacramentalis, ut infra dicemus.) 3. Etiamsi, quando aliquis notificando impedimentum alteri, genuflexus dixisset, hoc tibi manifestum facio sub Sigillo Confessionis; quia cùm verè tunc non confiteatur peccata sua Sacerdoti, non oritur in audiente nisi obligatio ad Sigillum naturale; quod non impedit, ne saltem secretò ipsum impedimentum manifestetur Perocho, vel Episcopo. 4. Qui scit impedimentum publicum, & intellexit super eo obtentam fuisse dispensationem secretam pro solo foro conscientiæ, adhuc tenetur impedimentum revelare, quia dispensatio pro foro poli nihil valet, quando impedimentum factum est publicum. 5. Obligatus pariter revelare censetur ille, qui audivit impedimentum etiam ab una sola persona, quando hæc sit gravis, boni nominis, ac bonæ famæ. 6. Eandem obligationem revelandi tenet, qui notitiam habet ejusdem Impedimenti ex fama orta à personis gravibus, & dignis. 7. Multò magis, si ipse habeat certam scientiam parentelæ, ex qua insurgit impedimentum, etsi sit solus, qui possit de eo testificari, ac alii omnes illud scientes sint mortui. 8. Pariter impedimentum est à sciente revelandum ex quocunque capite procedat, & causa quantumvis peccaminosa; ac etiam si ipse fuisset particeps illius peccati. Nam licèt nemo teneatur manifestare turpitudinem suam, *cap. Quis aliquando. De Pœnit. dist. 1.* hæc ratio cessat, quando urget motivum majoris boni, salus animæ propriæ, ac proximorum, religio circa Sacramentum, unius, vel alterius conjugis, ac prolis suscipiendæ damnum, 9. Similiter qui scit impedimentum, tenetur illud revelare etiamsi sit criminosus, vel sanguinis conjunctus, aut testis non omni exceptione major; in hac enim materia, cujuscunque sit qualitatis, recipitur manifestatio, dummodò eam cum Juramento, & debitis circumstantiis pro veritate deponat. 10. Ille etiam tenetur revelare, qui sciens impedimentum notum esse diversis, putat ad aliis posse manifestari: nam si hæc excusatio ponderaret, de facili nullus satisfaceret huic obligationi credens ab alio adimpleri. Harum omnium conclusionum fundamenta, rationes, ac vim demonstrant Sanchez *d. libr. 3. disp. 13.* Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 34.* Aversa *d. q. 7. sect. 4.* Bossius *de Matrim. contractu cap. 7. à num. 164.* & alii plurimi, quos citat, & sequitur Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. à n. 210. & seqq.* ac novissimè optimis, fortissimisque argumentis Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 22. art. 21.* per totum *à num. 468.* usque *ad num. 511.*

Nihilominùs nonnulli sunt casus, in quibus cessat obligatio revelandi Impedimentum in habente notitiam illius, & hi sunt sequentes: 1. Si confessarius illud intellexit in Sacramentali Confessione, nec potest illud manifesta-
16 re, nisi cum fractura Sigilli, & injuria pœnitentis. Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num. 227.* ipsum enim Sigillum Sacramentale

mentale, quavis de causa, publica, aut privata, violari non potest. *cap. Sacerdos. de Pœnit. dist. 6 cap. Omnis. De Pœnit. & Remiss.* Est enim de Jure naturali, ac Divino, ut probavimus in nostris Decisionibus *De Sacram. Pœnit. Decis.* 49. *per totam.* 2. Non tenetur quis revelare, si ex revelatione insurgat infamia contrahentium, quando sperat fraterna monitione, eos suadere, ut à contrahendo illo Matrimonio desistant. At si monitio fraterna nihil operetur, tenetur revelare. Eminent. Card. de Lauræa *d. disp. 22. num.* 496. *& seqq.* ubi excipit ab hac regula præmittendi monitionem fraternam quando agitur de materiis Fidei, seu de delictis denunciandis ad Sanctum Inquisitionis Officium, juxta Decretum Alexandri Papæ VII. *dici* 24. *Augusti.* 1660. 3. Non est quis obligatus impedimentum revelare, quando sequuturum sit magnum scandalum, aut timetur grave periculum, vel in se, vel in aliis, Sanchez *d. libr. 3. disp. 13. num.* 3. Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 34. num.* 2. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. num.* 505. *&* 506. 4 Neque quando revelans infamaret seipsum; & ipsi contrahentes essent in bona fide, ac impedimentum esset omninò occultum; satis enim foret in hoc casu procurare sub honestis prætextibus, ne Matrimonium contrahatur juxta Basilium Pontium *d. libr. 6. cap. 34. num. 5. & 6.* & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num.* 223. *&* 224. 5. Neque in impedimento occulto, si possit obtineri dispensatio Apostolica à Summo Pœnitentiario pro foro poli. Idem Vinc. de Justis *ibid. num.* 234. qui diversa adducit exempla, per eum collecta ex DD. quos copiosè allegat, in casu contingentiæ ibi videndos.

Quo ad Quartum, in quo inquiritur: Quis possit dispensare, ne prædictæ Denunciationes fiant? & concedere, ut absque illis Matrimonium licitè contrahatur? Respondetur, quòd, justa causa interveniente, super iisdem Denunciationibus, ne fiant, dispensare possunt sequentes Parochorum, ac contrahentium Superiores, videlicet: 1. Episcopus, juxta permissionem ei factam à
17 Tridentino Concilio *in d. sess. 24. de Matrim. cap. 1.* ibi: *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciationes remittantur; quod illius prudentiæ: & judicio Sancta Synodus reliquit*: etenim appellatione Ordinarii in primis, & ante omnia intelligitur Episcopus Diœcesanus. Glossa *in cap. Ut animarum Verb. Ordinariorum. De Constit. in* 6. Rota *part. 4. divers. Decis.* 798. *num.* 3. Barbosa *de Appellat. Verbis appel.* 177. *num.* 1. ubi DD. 2. Easdem Denunciationes dispensare, ac remittere potest ejusdem Episcopi Vicarius Generalis. Sanchez *d. lib. 3. disp. 7. n.* 6. Riccius *part. 3. collect.* 702. Siquidem appellatione Ordinarii venit etiam Vicarius Generalis ut latè probat Sbrozius *de Offic. Vic. libr. 2. quæst.* 55 & Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. à num. 202. & seqq.* 3. Abbates populum cum Territorio separato subjectum habentes, & in eum Jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes, quales sunt Abbates Nonantulæ, ac Vangadiciæ. Sanchez *d. libr. 3. disp. 3. num.* 4. Zerola *part. 1. Verb. Denunciationes.* Barbosa *de Jure Eccles. Univ. libr. 1. cap. 17. num.* 97. & Vinc. de Justis *d. cap. 19. num.* 208. *&* 209. ubi alios allegat 4. Easdem facultatem dispensandi super iisdem Denunciationibus habent Legati, seu Nuncii Apostolici in Provincia sibi assignata. Idem Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num.* 75. 5. Cardinales in Ecclesiis eorum Titulorum, & ibidem eorum Vicarii, 6. Capitulum Sede Vacante; sic testante ipso Vinc. de Justis *d. num.* 75. 7. Patriarcha, Archiepiscopus, seu Metropolitanus inter personas suis suffraganeis subditas, si in earum Visitatione reperiatur. Barbosa *de Episc. alleg.* 32. *num.* 152. Pelliccionus *Illustr. J. U. q 6. cap. 1 pag.* 35. & Bossius *de Matrim. cap. 4. num.* 54. At extra Visitationem non dispensat, nisi in casu appellationis ad ejus Tribunal deductæ. *cap. Pastoralis. De Offic. Ord.* Sanchez *d. libr. 3. disp. 28. num.* 3. & Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 10. num.* 9. Quandoquidem Episcopus, ac ejus Vicarius non solùm possunt dispensare, ne Denunciationes fiant, sed etiam tenentur dictam dispensationem concedere, quando justa causa urget, ut remittantur; ac si denegent
18 eas dispensare, vel remittere, datur appellatio ad Metropolitanum. Sanchez *d. libr. 3. disp. 10. à num. 12. & seqq.* Aversa *q. 7. sect. 2.* Sperellus *decis. 111. num.* 11. & Vinc. de Justis *d. libr. 2. c. 19. à num.* 146. *& seqq.* qui *num.* 150. advertit, quòd si Sponsi sint diversarum Diœcesum, poterit utriusque Sponsi Episcopus cum ambobus dispensare, ut omissis Denunciationibus conjugium ineant, quia in hac re contrahentes censentur unica persona, & ratione connexionis causæ uterque censetur alterius Prælato subjectus; & sicut potest alteruter Episcopus utrumque Sponsum Matrimonialiter conjungere; ita poterit cum utroque in Denunciationibus dispensare, ut docent etiam Sanchez *d. libr. 3. disp. 7. num. 5.* Bonacina *de Matrim. q. 2. punct. 6. num.* 7. Aversa *d. quæst. 7. sect. 2. Vers. Superior vero.* Barbosa *allegat. 32. num.* 35. & Bossius *d. cap. 7. n.* 39. Contrarium tamen tenet Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 31. num.* 9. & Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol.* 66. desumpta ex veteri *part. 3. tract. 4. resol.* 238. quibus favet Praxis quotidiana, juxta quam spectat ad Prælatum loci, in quo celebratur conjugium, remittere Dispensationes prædictas quando subest justa causa.

Quo ad Quintum. Justæ causæ, ob quas Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis dispensare potest, ut omissis Denunciationibus Matrimonium celebretur, sunt sequentes,
19 quas innuunt DD. inferiùs citandi; videlicet. 1. Notabilis disparitas inter contrahentes, ut si vir sit nobilis, mulier ignobilis; hæc egena, ille dives; iste senex, illa juvenis; sivè Sponsus bonæ famæ, Sponsa autem Meretrix. 2. Si Sponsa sit in manibus Tutorum, qui ejus bonis inhiantes parùm curent de ea in Matrimonio collocanda; & timor sit, ut Matrimonium impediant. 3. Si nullus sit timor Impedimenti, eo quia personæ notæ sint,

&

& de earum totali libertate habeatur certa notitia. 4. Si contrahentes Magnates sint, scilicet conspicuæ nobilitatis, & excellentiæ, quia hi sciunt, an inter se impedimenta versentur, & quatenus aliquod esset, priùs Apostolicam Dispensationem impetrant. 5. Si conjugium vellent iniri concubinarii, qui crederentur ab omnibus conjuges, & tunc ad parcendum eorum famæ. 6. Si sit imminens tempus, quo prohibentur Nuptiæ, & urget honestum motivum eas statim celebrandi, vel ob periculum fornicationis, vel ob gubernium rerum domesticarum. 7. Si post contractum bona fide Matrimonium, reperiatur aliquod occultum impedimentum, cujus Dispensatione obtenta, necesse sit de novo Matrimonium contrahere. 8. Si de repentè aliqua necessitas insurgat statim celebrandi conjugium, velut ad legitimandam prolem in concubinario longum iter facturo, vel si à Judice concubini processentur. 9. Quotiescunque agitur de animarum salute, præcipuè de reducendis concubinariis ad bonam frugem. 10. Quando ex iisdem Denunciationibus Sponsi rationabiliter timent sibi injustam molestiam, aut aliquod detrimentum inferendum. 11. Si periculum sit ob dilationem temporis, ut Sponsus mutet voluntatem cum præjudicio alterius, ut casu quo aliquis promisisset ducere Meretricem in Uxorem ad eam ex pessimo illo statu liberandam. 12. Si agatur de scandalis evitandis ob aliquam factionem, quæ cessaret statim sequuto Matrimonio; ut frequenter in praxi videmus accidere, potissimùm ubi agitur de puella nobili, defuncto Patre, in manibus Commissariorum existente, qui suis passionibus magis, quàm bono puellæ satisfacere studeat. 13. Si quis esset in mortis articulo constitutus, & vellet desponsare concubinam tùm ad saluti animæ suæ, tùm ad legitimationi prolis consulendum. 14. Si Sponsus Sponsam defloraſſet, & ex dilatione temporis in faciendis Denunciationibus aliquod grave periculum immineret. 15. Si probabilis suspicio habeatur, ut ab aliquo Matrimonium malitiosè, ac injustè impediatur; etiamsi parentes Sponsorum eos sint impedituri, legitima absque causa, ac præcipuè si Sponsa annum 25. excedat. Supradictas omnes causas proponunt, & tanquam justas pro Denunciationibus remittendis considerant Sanchez *d. lib. 3. disp. 8. 9. & 10.* Genuensis *in Praxi cap. 20.* Sperellus *decis. 109.* Aversa *quæst. 7. sect. 2* Bossius *de Matrim. Controv. cap. 7. num. 80.* Bonacina *de Matrimon. q. 2. punct. 6.* Basilius Pontius *libr. 5. cap. 32.* Vinc. de Justis, alios innumeros Theologos, ac Canonistas allegans, *d. libr. 2. cap. 19. à num. 158. usque ad num. 190.* atque Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. art. 18. per totum.*

Cæterùm illud est annotandum, quòd antequam Ordinarius super hujusmodi Denunciationibus dispenset, debet se diligenter in-
20 formare super legitima, ac justa causa dispensandi; ac super libertate Sponsorum, & quòd inter eos nullum extet impedimentum; talisque informatio sumitur per examen saltem duorum testium, ut semper practicasse scribit Sperellus *d. decis. 109. num. 49.* & ego quoque semper observavi, dum Vicarius Generalis essem in hoc amplissimo Episcopatu Patavino, & mos est apud omnes Curias Episcopales, quarum Ministri non mediocre lucrum consequuntur ex perenni, has ob causas, testium examine; ut notat etiam Vinc. de Justis *in cit. lib. 2. cap. 19. num. 136.* subdens *num. 139.* ex doctrina Sanchezii *lib. 3. disp. 8. num. 6.* quòd hujusmodi Denunciationum dispensatio non est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, & ideò potest fieri ab Ordinario etiam extra suam Diæce- 21
sim; quam doctrinam ego amplexus, decem jam ab hinc circiter annis, cùm essem Venetiis pro litibus Emin. ac Reverendiss. Domini mei Cardinalis Gregorii Barbadici Episcopi Patavini, & ibi apparitorum Dux, vulgò *il Missier grande*, vellet nuptias inire cum muliere Paduana, & à me tanquam Vicario peteret Denunciationum dispensationem, testes duos super libertate contrahentium, ac justa causa dictum conjugium non publicandi, examinavi, & gratiosè Denunciationes remisi; ex quo factum est, ut quandocunque Palatium Ducale ascenderem, & prædictum Ducem obvium haberem, sic coram me profunde se inclinaret, ut adstantibus admirationem, ac mihi ruborem in faciem impingeret.

Quo ad Ultimum, in quo requiruntur conditiones, sub quibus Papa dispensat super Impedimento Matrimonii ignorato ob non factas Denunciationes? Sciendum est, quòd licèt validum sit Matrimonium contractum spretis Denunciationibus, nihilominùs sic contrahentes, quamvis cum bona fide, subjecti remanent pœnis, ac censuris à Tridentino Concilio contra clandestinè conjugia ineuntes inflictis, ut notat Vinc. de Justis *d. lib. 2. cap. 19. n. 125.* & casu quo prædictum Matrimonium invalidum reperiretur ob aliquod occultum impedimentum, tempore contractus ejus ignoratum, & deindè manifestatum; adeò ut necesse sit recurrere ad Apostolicam Sedem pro dispensatione super ipso Impedimento; in primis, & ante omnia oportet exprimere Pontifici, an Denunciationes fuerint omissæ, seu de licentia Ordi- 22
narii remissæ: alioquin si hæc circumstantia taceatur, dispensatio indè concessa fit prorsùs nulla, ac nullius valoris. Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num. 126. & 239.* ubi subdit, quòd Pontifex solet se difficilem reddere ad dispensandum super clandestino Matrimonio, & si fortè dispensat, adjicit sequentes conditiones à Delegato servandas; videlicet: 1. Quòd Oratores absolvat à censuris ad effectum gratiam consequendi. 2. Quòd gra- 23
vem utrique Oratori imponat Pœnitentiam salutarem. 3. Quòd Oratores jurent, incestum non commisisse sub spe faciliùs obtinendi dispensationem. 4. Quòd quatenus causa contra ipsos, quoquo modo, in judicium deducta fuerit, pareant judicato. 5. Quod Oratorum alter alteri supervivens perpetuò, absque spe conjugii remaneat. 6. Et si Paro-
chus

chus fuisset in culpa circa omissas Denunciationes, addit Papa, *Et punito Parocho ad arbitrium Ordinarii*; præcipuè pœna triennalis suspensionis à Divinis juxta *cap. fin. De Clandestin. despon.* cui per Trident. Concil. *d. cap.* 1. *sess.* 24. *de Matrim.* non est derogatum, ut notat idem Vinc. de Justis *d. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 241.

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

De necessaria præsentia proprii Parochi, ac duorum saltem Testium agitur in hac Decisione pro Matrimonii validitate. Explicatur Quis sit proprius Parochus? Et qui alii veniant ejus appellatione? Utrùm Abbates, & Archipresbyteri habentes Parochiales unitas, ac de Mensa, possint in eis tanquam Parochi assistere Matrimoniis? Delegatio alterius Sacerdotis, Cui, à Quo, & Quomodo sit facienda? Requisita tria, ut contrahentes Matrimonium dicantur esse de illa Parochia? Quibus in locis, & à quibus Personis servandum sit Decretum Tridentini Concilii de præsentia Parochi, & testium. Circa omnia prædicta referuntur Casus recentes, ac curiosi resoluti tum S. Congregationis Concilii Declarationibus, tum Decisionibus S. Rotæ Romanæ.

SUMMARIUM.

1 *Conc. Trid. Decretum de præsentia Parochi, & testium.*
2 *Parochi præsentia, ac testium in Matrimoniis est de forma.*
3 *Parochus quis dicatur? & An censuris irretitus?*
4 *Parochus non Sacerdos, aut invitus an validè assistat Matrimonio?*
5 *Prioris S. Leonardi de Paduæ insultus Matrimonialis.*
6 *Parochus an validè assistat Matrimonio per Interpretem?*
7 *Episcopi, Vicarius Generalis, ac alii, qui veniunt nomine Parochi?*
8 *Vicarius Foraneus an validè assistat Matrimoniis; & an Metropolita?*
9 *Abbas S. Justinæ de Padua an possit assistere Matrimoniis in Ecclesiis unitis suo Monasterio?*
10 *Unionis beneficiorum genera duo.*
11 *Archipresbyter Patavinus an possit authorizare Matrimonia in Ecclesia S. Bartholomæi de Farra? & in Ecclesia Cathedrali?*
12 *Sacerdos quilibet deputatus à Parocho, vel ab Episcopo validè assistit Matrimonio.*
13 *Requisita tria, ut quis dicatur esse de Parochia.*
14 *Habitatio in Parochia debet esse vera, & cum animo in ea habitandi.*
15 *Puella educata in Monasterio debet nubere coram Parocho domicilii paterni.*
16 *Lis inter Parochos S. Laurentii, & S. Jacobi pro Matrimonio Meliorinæ Zanonæ.*
17 *Prætores, Judices, Medici, & alii, validè nubunt coram Parocho loci, in quo tanquam tales habitant.*
18 *Fraudolenta habitatio ad contrahendum Matrimonium facit ipsum nullum.*
19 *Domicilia duo æqualia habens potest contrahere Matrimonium coram utroque Parocho.*
20 *Testes qui possint esse in contractu Matrimonii?*
21 *Qui esse non valeant?*
22 *Publicatum ubi non est Concil. Trid. præsentia Parochi non est de essentia.*
23 *Hæreticorum in Urbibus Matrimonia sine Parocho valida fiunt.*
24 *Transeuntes de loco ubi publicatum est Concilium Trid. ad loca, in quibus non est publicatum, an ibi validè nubant sine Parocho?*
25 *Latinorum Matrimonia facta coram Sacerdote Græco an valida?*
26 *Mulier Græca an validè nubat Viro Latino, more Græco?*
27 *Matrimonium initum coram Parocho Græco Schismatico an sit validum?*

ALterum remedium, à Tridentino Concilio inductum pro tollendis Matrimoniis clandestinis, fuit, ut ea validè celebrari non possent, nisi coram proprio Parocho, & duobus, vel tribus testibus; idcircò in *sess.* 24. *de Matrim. cap.* 1. ita sancivit: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat.* Igitur ex hac Conciliari sanctione Tridentina provenit decimum quartum Impedimentum dirimens Matrimonia, quod denotatur per illa Verba in carminibus de Impedimentis dirimentibus posita: *Si Parochi desit, aut bini præsentia testis.* Pro intelligentia hujus Impedimenti, quod famosum est, & ob malitiam hominum in praxi frequentissimum, quatuor veniunt examinanda.

1. Qui veniant, appellatione Parochi?
2. Quæ requirantur, ut quis dicatur contrahere Matrimonium coram suo Parocho?

3. Qui

3. Qui possint esse testes, & quæ qualitates in illis desiderentur, pro validitate Matrimonii?
4. Quo in loco servandum sit supradictum Decretum Tridentini Concilii de contrahendo Matrimonio coram Parocho, & duobus testibus?

Quod ad Primum: Cùm nemo Catholicus refragetur; Matrimonia, nisi coram Parocho, & duobus saltem testibus, validè iniri non posse, etsi coram mille testibus illa
2 celebrarentur; quia præsentia Parochi cum duobus testibus est de forma, nec potest per æquipollens suppleri, ex traditis per Gonzalez ad *Reg. 8. Cancell. glossa 48. n. 30.* & per Vinc. de Justis *de Dispensat. Matrim. lib. 2. cap. 19. n. 95. & 96.* hinc in primis quærendum venit, quæ, & quot personæ veniant appellatione Parochi? Cui quæsito respondetur, in hac hypothesi contrahendi validè Matrimonium coram Parocho, multas personas significari. *Primo*: Significatur Parochus ipse, scilicet ille Sacerdos, qui à Superioribus deputatus est certo numero personarum,
3 ut eis Sacrum Divini Verbi, ac Sacramentorum pabulum ex officio dispenset, sivè sit perpetuò institutus, sivè ad beneplacitum deputans, quocunque nomine vocetur, nempè Plebanus, Archipresbyter, Rector, Curatus, Capellanus, aut alio consimili juxta morem regionis, prout latè differit Barbosa *de Parocho part. 1. cap. 1. à num. 2. & seqq.* Et qui deputatus est ad curam animarum, & earum factus est Parochus, validè assistit Matrimoniis omnium Parochianorum, sub ipsius Parochia habitantium, quamvis sit irregularis, suspensus à Divinis, excommunicatus, publicè denunciatus, dummodo actualiter à beneficio non sit depositus, ut respondit S. Congregatio Cardinalium apud Fagnanum *in cap. Quod à Prædecessore, num. 81. de Schismatic. tom. 6.* excepto tamen si Parochus factus esset hæreticus. Eadem Sacra Congregatio apud eundem Fagnanum *in cap. Ad abolendam. num. 38. de Hæretic. d. tom. 6.* Item validè assistit, si titulum beneficii amisisset, puta, quia Parochus non fuerit promotus ad Sacerdotium intra annum, vel aliud incomparabile beneficium assequutus sit, dummodò adhuc primi possessionem retineat, ut latè probant Sanchez *de Matrim. libr. 3. disp. 21. & disp. 22.* Bonacina *quæst. 2. punct. 8.* Barbosa *de Episc. allegat. 32. à num. 110.* & alii plures, quos citat, & sequitur d. Vinc. de Justis *d. lib. 2. cap. 19. à num. 66. & seqq.* quia ejus præsentia non est actus Jurisdictionis, sed solius testificationis. Imò subdit *num. 69.* quòd ipse Parochus validè assistit Matrimonio, quamvis adhuc non sit Sacerdos, ut docent
4 pariter Basilius Pontius *de Matrim. libr. 5. cap. 17. num. 1.* & Aversa *quæst. 6. sect. 3.* & quod magis est, etiamsi Sponsi contraherent Matrimonium coram Parocho invito, reluctante, aufugiente, aut eos increpante; ut probat Hieronymus Palma *consil. 87. num. 56.* & constat ex sequenti declaratione Sacræ Congregationis Concilii Anno 1669. emanata in consilio Matrimonio inito coram Rev. Petro de Angelis Priore Parochialis Ecclesiæ S. Leonardi hujus Patavinæ Civitatis, videlicet: *Patavina Matrimonii. Aliàs de Anno 1661. die 25. Octobris, circa mediam horam noctis Priori Parochialis Ecclesia S. Leonardi Civitatis Patavii redeunti domum, ante illius ingressum, occurrerunt Franciscus Gambara Venetus in dicta Civitate Patavii tunc degens; & Maria Honesti ex eadem Parochia S. Leonardi & coram duobus testibus, ad infrascriptum effectum adhibitis; dictus Franciscus innuens Parocho dictam Mariam pronunciavit hac verba:* Vedete questa è mia Moglie. *Quo audito Parochus cœpit indignatus eos increpare, ac redarguere, & terga vertens non auscultavit, ut ipse asserit; eandem Mariam, quæ suum expressit consensum his verbis:* Questo è mio Marito, *loquens de dicto Francisco: vel* Signor sì, che il Signor Gambara deve essere mio Marito: *ut respectivè iidem testes deponunt. Quæritur, an constet de validitate Matrimonii, ita ut præfertur contracti?*

Die 11. Maii 1669. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum respondit: Constare de validitate.

A. Card. Celsus Præfectus.

Loco † Sigilli.

S. Brancatius Arch. Andrianopol. Secretarius.

Sed utrùm validum sit Matrimonium initum coram Parocho non intelligente Sponsorum idioma, nisi per interpretem illud sibi declarantem? Negat Pontius *d. libr. 5. cap. 21. num. 10.* Affirmat Sanchez *d. libr. 3. disp. 39. n. 3.* & alii; quos allegat Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num. 107.* quibus ipse quoque 6
inclinat; sed ego arbitror opinionem Pontii saniorem, ac veriorem, quia Ecclesia vult, Parochum esse præsentem tanquam testem certum, & infallibilem consensus Sponsorum; at talis esse non potest, si eorum idioma non intelligat, & de facile ab interprete falli, ac decipi valeret; undè tota fides esset apud interpretem, qui est persona privata, non autem apud Parochum, personam Publicam, ab Ecclesia, pro certitudine veritatis, specialiter electam.

Secundo: Appellatione Parochi, pro valido conjugii contractu coram ipsis faciendo, veniunt omnes sequentes, videlicet Episcopus, ejusque Vicarius Generalis. Rota coram Eminent. Othoboño (qui fuit Papa Alex. VIII.) *Decis. 251. à num. 32. & seqq.* Item Legatus, seu Nuncius Sedis Apostolicæ in Provincia sibi assignata, Cardinales in Ecclesiis eorum Titulorum, Capitulum Sede Vacante, ac omnes Abbates, & Prælati inferiores Jurisdictionem Episcopalem, vel quasi cum populo, ac territorio separato sibi subjecto, 7
habentes, ac exercentes; hi enim omnes tanquam Ordinarii, & eorum Vicarii Generales, possunt validè Matrimoniis suorum subditorum assistere, quamvis nondum essent Sacerdotali Ordine insigniti; ut latè demonstrant Sanchez *d. libr. 3. disp. 28. & disp. 29.* Basilius Pontius *d. lib. 5. c. 11.* Aversa *d. q. 6. sect. 3.*

Bossius *de Matrim. cap.* 4. *à num.* 55. Gratianus *discept. forens. cap.* 212. & aliis citatis Vinc. de Just. *d. libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 75. ubi nominat etiam Summum Pontificem, qui in toto Orbe terrarum assistere potest vel per se, vel per suos Delegatos Matrimoniis omnium Christi fidelium, quia totus Mundus est ejus Parochia, & ipse est Pastor universalis, & Parochus omnium fidelium. S. Thomas *Opuscul.* 19. *Contra impugn. Relig. cap.* 4. & Murga *de Parocho part.* 3. *qu.* 2. *num.* 9. & 10. nec non. *quæst.* 6. *num.* 1.

Porrò appellatione Parochi ad effectum assistendi validè Matrimonio non venit Vicarius Foraneus Episcopi, quia hic non conprehenditur sub nomine Ordinarii, nec facit unum & idem Tribunal cum Episcopo. Sanchez *d. libr.* 3. *disp.* 29. *num.* 20. Basilius Pontius *d. libr.* 5. *cap.* 11. *n.* 22 Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 78. Neque Parochi appellatione venit Archiepiscopus, seu Metropolitanus in Matrimoniis eorum, qui sunt subditi Episcopis suffraganeis; nisi ad eum recurrissent, per appellationem ex aliqua legitima causa; vel nisi esset in actuali Visitatione Diœcesum suffraganeorum; tunc enim censetur Ordinarius, & potest assistere Matrimoniis, & alios delegare Sacerdotes, qui validè assistant. Barbosa *de Episc. alleg.* 32. *num.* 125. Bossius *de Matrim. cap.* 4. *num.* 54. Vinc. de Justis *d. cap.* 19. *à num.* 18. *& seqq.* 8

Sed nunquid Abbates Monasteriorum, aut Archipresbyteri Capitulorum, habentes Parochiales Ecclesias sibi unitas, incorporatas, ac de mensa, in quibus deputant Parochum cum approbatione Episcopi ad regimen animarum in iisdem Parochialibus, poterint ipsi validè assistere Matrimoniis Parochianorum habitantium sub prædictis Parochialibus Ecclesiis unitis, ac eorum mensis incorporatis? Quæstio hæc est satis difficilis, ac perplexa, circa quam olim valdè insudandum fuit in hoc Episcopatu Patavino, glisscentibus discordiis Jurisdictionalibus inter Emin. Gregorium Cardinalem Barbadicum Episcopum super Ecclesia Parochiali S. Danielis cum Abbate Monasterii S. Justinæ; & super Ecclesia S. Bartholomæi de Farra cum Archipresbytero, & Capitulo hujus Ecclesiæ Cathedralis; prætendentibus in utrisque Ecclesiis Abbate, ac Archipresbytero respectivè, tanquam sibi pleno Jure unitis, assistentiam Matrimoniis sibi esse licitam ac facultatem competere, deputandi alios Sacerdotes, qui validè iisdem Matrimoniis assisterent, non requisito, imò invito Eminentissimo Episcopo. Contra eosdem Archipresbyterum, & Abbatem Curia Episcopalis opponebat; eos non habere exercitium curæ animarum, quod soli Curato, per eos electo, ac per Episcopum approbato, est concessum. Turricelles *de Unione cap.* 4. *num.* 45. & ibi Rota coram Card. Seraphino *Decis.* 1009. *num.* 5. & *part.* 4. *rec. Decis.* 448. *num.* 12. *tom.* 2. Ergo neque Archipresbyter Patavinus in Ecclesia Farræ; neque Abbas S. Justinæ in Ecclesia S. Danielis, aut aliarum suo Monasterio unitarum, possunt Matrimoniis validè assistere. E contra Abbas, & Archipresbyter allegabant pro se Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 8. *q.* 1. *num.* 3. & Murgam *de Parocho part.* 3. *quæst.* 6. *n.* 13. nec non *part.* 4. *quæst.* 1. *sect.* 3. *concl.* 4. asserentes hanc facultatem assistendi Matrimoniis, in Ecclesiis sibi unitis, ac de Mensa iisdem competere, ea ratione, quia vigore Unionis Abbas, & Archipresbyter sunt veri Rectores, ac Parochi, & in eis possunt Sacramenta populis subjectis ministrare, prout facit eorum Vicarius, ac Curatus per eos deputatus ad tradita per Rotam *in Pampilonen. Parochialis de Stella* 28. *Februarii* 1600. impressam post Murgam de Parocho *Decis.* 14. 9

Ego in hac altercatione, non auribus pruriens Eminentissimi Cardinalis Episcopi (ut alii ex ejus Ministris faciebant) sed veriti, ac justitiæ inhærens (etsi non defuerint malignantes in delictum hanc meam rectam intentionem vertentes) dicebam, dari duplex genus Unionis, ut habetur apud Rotam *Decis.* 758. *n.* 1. *& seqq. part.* 1. *diverf.* & docet Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 136. *num.* 15. *Unum* est, quod complectitur Jura tam spiritualia, quàm temporalia. *Aliud* quod temporalia tantùm. In primo unionis genere Monasterium, seu Capitulum constituitur verus Rector, ac Parochus Ecclesiæ unitæ, & sic Abbas, seu Archipresbyter possunt exercere curam animarum in illa, prout faciunt alii Parochi, ac Rectores ad tradita per Rotam *part.* 15. *rec. Decis.* 49. *num.* 33. & cùm talis sit Unio Ecclesiæ S. Danielis, ac aliarum Ecclesiarum, antiquitus pleno Jure incorporatarum Mensæ Monasterii S. Justinæ de Padua, ejus Abbas habet legitimam potestatem auctorizandi cum sua præsentia Parochianorum earundem Ecclesiarum Matrimonia. 10

Sed aliter contingere dicebam in Ecclesia S. Bartholomæi de Farra; quæ fuit unita Canipæ Ecclesiæ Cathedralis Paduæ ab Eugenio Papa IV. Anno 1439. tantummodò quo ad temporalia, ideſt, ut fructus illius Ecclesiæ, deservirent pro augmento quotidianarum distributionum, quibus poti- 11 untur interessentes in Choro in eadem Cathedrali; idcircò vigore prædictæ Unionis Capitulum Paduanum habet, ultrà fructus temporales illius Ecclesiæ, solam nominationem, ac præsentationem unius Sacerdotis, qui, prævia approbatione Episcopi, ab eodem recipit auctoritatem administrandi Sacramenta populo degenti in Villa Farræ, & illarum animarum curam exercendi; undè perperam egerat Dominus Archipresbyter assistendo, vel facultatem dando Sacerdoti, per Episcopum non approbato, assistendi Matrimoniis Parochianorum Villæ Farræ, quæ ad Eminentissimo Cardinali Episcopo fuerunt declarata irrita; & ex ejus mandato renovata coram alio Sacerdote ad hunc effectum per Curiam Episcopalem electo. Nec juvare poterant Dominum Archipresbyterum Patavinum, quòd ipse aliquando assistat Matrimoniis degentium sub cura sex Mansionariorum ejusdem Ecclesiæ

ræ Cathedralis Paduæ, ut constat ex libris, in quibus Matrimonia ipsius regiſtrantur. Nam respondebatur, quòd Archipresbyter Patavinus ab origine illius Cathedralis est primus ejus Parochus, & Rector; ipsi verò Mansionarii instituti fuerunt in adjutorium ejusdem Domini Archipresbyteri; qui propterea, ut legitur in suis Bullis, quando eligitur à Papa tanquam prima Dignitas, debet esse examinatus, & approbatus ad animarum Curam exercendam, quæ eidem Archipresbyteratui dicitur imminere: præterquàm quod assistentia Matrimoniis aliquando præstita per Archipresbyterum semper fuit de consensu Mansionariorum, sub quorum cura contrahentes erant; adeò ut, quidquid scribat circa eosdem Mansionarios Nicolaus Noalis *cons.* 69. certum sit, eos esse Vicarios, ac Coadjutores Domini Archipresbyteri in cura animarum, ac propterea posse Dominum Archipresbyterum, si aliquando velit, assistere tanquam principalem Rectorem Matrimoniis degentium sub eadem Cura Ecclesiæ Cathedralis.

Tertiò tandem appellatione Parochi, in cujus præsentia validè iniri possint Matrimonia, intelligitur etiam omnis Sacerdos ab ipsomet proprio Parocho, vel ab Ordinario deputatus ad assistendum Matrimonio, quamvis deputatio non fuerit facta in scriptis, sed oretenus tantùm. Bonacina *de Matrimon. qu. 2. punct. 8. num.* 10. Piasecius *in Praxi Episc. cap. 4. num.* 32. Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 19. num.* 46. *& seqq.* qui *num.* 60. subdit, eandem deputationem fieri posse etiam extra fines Parochiæ, vel Diœcesis, quia non est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ; & nihil referre, si prædictus Sacerdos esset sæcularis, vel regularis, aut censuris irretitus, aut etiam degradatus; nam etsi talis, Sacerdos est, Barbosa *de Episc. alleg. 32. num.* 111. *in fin.* Bonacina *d. punct. 8. num.* 23. Debet tamen prædicta delegatio esse certa, & concessa antecedenter ad ipsum Matrimonium; itaut non sufficeret ratihabitio. Pax Jordanus *libr. 3. tit. 7. num.* 90. Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 29. num.* 8. Barbosa *de Parocho cap. 21. num.* 75. Cardin. Mantica *Decis.* 311. *num.* 6. Idem Vinc. de Justis *d. cap. 19. à num.* 86. *& seqq.* ulteriùs advertens, quòd malè ageret, & punibilis esset Sacerdos, qui assisteret Matrimonio contrahentium, attenta eorum sola assertione, quòd à Parocho, vel ab Ordinario ipse esset deputatus; siquidem de ea constare debet per legitimas probationes; quòd si verè, & realiter deputatio sit facta, & de ea constet, nihil interest, si per dolum, aut mendacium obtenta fuisset, ut latiùs differit ipse Vinc. de Justis *ibid. à num. 92. & seqq.* alios DD. citans, prout etiam, si Parochus, qui deputavit, jam mortuus fuisset: nam gratia per mortem concedentis non expirat. Jordan. *d. libr. 3. tit. 7. num.* 92. Vel etiam si delegatio facta fuisset generaliter, ut Sponsi coram quocunque Sacerdote sibi beneviso possent conjugium inire, ut respondit S. Congr. Concilii *die 15. Junii 1589.* ex doctrina Card. Zabarellæ, & aliorum DD. *in Clem. 1. De Privileg. numer.* 12.

Quo ad Secundum; in quo inquiritur: *Quæ requirantur, ut quis dicatur contrahere Matrimonium coram suo Parocho?* Etsi multa, ac varia de quæsito isto scripta reperiantur à Theologis, & Canonistis, quæ ob frequentiam casuum, & inevitabilem hominum malitiam potiùs confundunt, quàm instruant mentes Studentium, dicendum est, tria esse requisita necessaria: *Unum* est, quòd contrahentes Matrimonium actualiter habitent sub Parochia, illius Parochi coram quo conjugium celebrare intendunt. *Alterum* est, quòd ex aliquo honesto motivo intendant ibi habitare. *Tertium*, quòd non se transtulerint ad habitandum in illa Parochia hac determinata intentione defraudandi proprium Parochum; & statim discedendi à ficta habitatione, inito conjugio. 13

Primum requisitum est, ut contrahentes actualiter habitent sub illa Parochia; tunc autem dicuntur actualiter habitare, quando ibi se transtulerunt animo verè habitandi. Basilius Pontius *d. libr. 5. cap. 13. §. 1. num.* 4. Verricel. *de Missionib. Apost. qu.* 174. *num.* 19. Vivian. *de Jurepatr. libr. 6. cap. 1. num.* 32. Menoch. *libr. 6. Præsumpt.* 42. Hinc Matrimonium contractum coram Parocho ruris, ubi contrahentes recreationis causa se contulerant, non est validum, quia non dicuntur ibi habitare; & non habentes ibi propriam habitationem, Parochus ruris non est proprius eorum Parochus. Sanchez *d. libr. 3. disp. 23. num.* 9. Bonacina *quæst. 2. punct. 8. num.* 3. & Garzias *de benef. part. 5. cap. 7. num.* 11. ubi sic respondit S. Congregatio. Similiter, si puella ponatur à parentibus in aliquo Monasterio Monialinm, non censetur deferere domicilium paternum, sed in Parochia ejusdem domicilii habere suam habitationem; & ideò si nuptui tradatur, ejus Matrimonium celebrandum est coram Parocho, sub cujus Parochia est domicilium ejus peternum, ex traditis per Pignatellum *tom. 7. consult. 63. num. 3. & seqq.* Idcircò paucis ab hinc annis cùm D. Meliorina Zanona educata in Monasterio Monialium S. Claræ de Padua, cujus prædefunctus Pater domicilium habebat sub Parochia S. Laurentii nupsisset Domino Joanni Eranciſco de Tacconis degenti sub Parochia S. Agnetis, & Parochus S. Jacobi impetrasset mandatum à Curia Episcopali assistendi, prout astitit, prædicto Matrimonio, asserens prædictam Meliorinam tanquam orphanam nullibi habere proprium domicilium; orta lite inter Parochum S. Laurentii, ac illum S. Jacobi, dixi Matrimonium esse validum attenta delegatione specifica facta per Vicarium Generalem de persona ejusdem Parochi S. Jacobi; sed illam fuisse injustam, ac injuriosam Parocho S. Laurentii, qui de Jure debebat assistere prædicto Matrimonio: nam puella illa erat sua Parochians, retinens proprium domicilium paternum sub Parochia S. Laurentii, quod minimè mutaverat per educationem in Monasterio Monialium S. Claræ, ut docet Ma- 14 15 16

scardus *de Probat. conclauſ.* 535. *num.* 13. Menochius *de Arbitr. Judic. caſu* 86. *num.* 7. & in terminis de proprio Parocho pro contrahendo Matrimonio Eminent. Cardin. de Luca *in tract. de Parochis diſc.* 23. *num.* 9. nec non *in tract. de Matrimon. diſc.* 1. *num.* 10. ac etiam *in tract. de Præminent. diſc.* 37. *num.* 6.

Alterum Requiſitum eſt, ut qui ſolitum domicilium deſerunt, & in alio loco, ac ſub nova Parochia incipiunt habitare, id faciant ex aliquo honeſto motivo, & ibi per aliquod notabile tempus habitaturi. Hinc
17 concedunt omnes ſcribentes, quòd ſi quis ſe transferat ad habitandum in aliqua Civitate tanquam Prætor, aut Judex, aut Medicus, ſivè ex alio laudabili motivo, prout faciunt Profeſſores Publici ſcientiarum in hoc celeberrimo Gymnaſio Patavino, poſſunt abſque ſcrupulo Matrimonia celebrare coram Parochis Patavinis, ſub quorum Parochia habitationem elegerunt; ut deciſum fuiſſe à S. Congregatione, teſtatur Barboſa *in Collectan. DD. ad Concil. Trid. d. ſeſſ.* 24. *de Matrim. cap.* 1. *num.* 10. & Vinc. de Juſtis *d. libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 55.

Tertium Requiſitum omninò neceſſarium eſt, quòd contrahentes non ſe tranſtulerint ad habitandum in illa Parochia hac determinata intentione defraudandi proprium Parochum, & ſtatim diſcedendi à ficta illa
18 habitatione, inito conjugio; qui enim hoc animo fraudulento alicubi tranſeunt, non derelicto priori domicilio, non dicuntur eſſe de illa nova Parochia; in qua ſi conjugium celebrent, nulliter, ac invalidè celebrant. Henriquez *in Summa libr.* 11. *de Matrimon. cap.* 3. *num.* 3. Navarrus *de Paroch. conſ.* 2. *num.* 3. Guttierez *de Matrim. cap.* 65. *num.* 11. Comitolus *Reſp. Moral. q.* 110. *num.* 5. Rebellius *de Obl. Juſt. part.* 2. *libr.* 2. *qu.* 8. *num.* 6. & in puncto Barboſa *in Votis Deciſivis libr.* 2. *Voto.* 19. *num.* 8. ubi DD. cumulat; qui omnes concorditer docent, quòd quando aliqui, retento priori domicilio, alibi ſe tranſferunt ad habitandum, non animo ibi permanendi, ſed ſola intentione defraudandi proprium Parochum, & Matrimonium celebrandi coram Parocho illius loci, ad quem vadunt, indè poſtea ſtatim diſceſſuri; hi nulliter, & invalidè Matrimonium contrahunt, quia dicuntur non coram proprio Parocho contrahere; & hanc doctrinam in his propriis terminis pluries canonizavit Rota Romana, ſententiando pro nullitate, & invaliditate Matrimoniorum cum dicta fraudulenta intentione initorum; ut videre poteſt ſtudioſus Lector *in Deciſ.* 498. *num.* 17. *part.* 14. *rec.* nec non in *part.* 15. *Deciſ.* 162. *num.* 17. prout etiam *in part.* 17. *Deciſ.* 75. *à num.* 13. *& ſeqq.* in quibus aliæ Deciſiones, & innumeri DD. ſic firmantes allegantur.

Nec prædictis obſtant duæ Declarationes S. Congregationis Concilii relatæ à Fagnano *in cap. Significavit. num.* 36. *&* 37. *De Parochis. tom.* 4. in quibus declarata fuerunt valida duo Matrimonia; Unum Nobilis Senenſis, qui cum meretrice Senis diſceſſit, ut proprium Parochum evitaret, & ivit Romam, ibique ipſam Meretricem in Uxorem duxit: & alterum unius Scholaris exteri; qui Patavii moratus quinque vel ſex menſes mulierem plebejam coram Parocho Patavino deſponſavit. Siquidem reſpondetur in utroque caſu contrahentes non habuiſſe animum ſtatim diſcedendi poſt initum conjugium, tum Senenſem ab alma Urbe, tum Scholarem Patavio; præterquàm quod ille venerat ad habitandum hic ex honeſto motivo ſtudiorum, & Matrimonium contraxit coram proprio Parocho illius plebejæ mulieris. Quare inconcuſſa eſt regula, illum non eſſe proprium Parochum pro valido ineundo conjugio, ſub cujus Parochia contrahentes ſe poſuerunt, cum hac fraudolenta intentione, ibi non habitandi, ſed ſtatim poſt contractum Matrimonium diſcedendi; quod noviſſimè ſcribunt etiam Loterius *de Re benefic. libr* 1. *quæſt.* 20. *num.* 52. & Pignatellus *tom.* 5. *conſult.* 79. *num.* 3. *&* *num.* 12. ubi etiam affirmat, ſic cenſuiſſe Sacram Congregationem, cujus Declarationes ipſe vidit, & præcipuè *in Una Poſnanienſi Matrimonii die* 22. *Februarii, ac* 14. *Decembris*, 1652.

Illud autem non eſt omittendum, quòd ſi quis haberet domicilium in duabus Parochiis, & in eis æqualiter habitaret, Verbi
19 gratia, tempore hyemali in una, & æſtivo in alia, ut olim faciebant hic Patavii Nobiles Patavini, ac Senatores Veneti de Papafavis degentibus in hyeme in ampliſſima eorum domo ſub Parochia S. Laurentii; in æſtate aut in delitioſo Palatio S. Mariæ in Vantio ſub Parochia S. Danielis, Matrimonium iniri validè poſſet coram uno, vel altero ex dictis Parochis. Sanchez *d. libr.* 3. *tota diſp.* 24. Boſſius *de Matrim. cap.* 4. *num.* 4. *&* 5. ac Vinc. de Juſtis *d. libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 63. advertens, quòd dicta æqualis habitatio non eſt accipienda mathematicè, ſed morali modo, ſubdens *num.* 64. quòd ſi quis habitaret in confinio duarum Eccleſiarum Parochialium, erit Parochianus illius Parochiæ, in qua domus habet aditum magis frequentatum, ſeu portam principaliorem; ut differit etiam Barboſa *de Epiſc. alleg.* 32. *num.* 71.

Quo ad Tertium; in quo petitur, *Qui poſſint eſſe Teſtes, & quæ qualitates in illis deſiderentur, pro validitate Matrimonii?* Reſpondetur ex communi ſenſu omnium Doctorum;
20 omnes homines uſum rationis habentes poſſe eſſe teſtes in celebratione Matrimonii, ſivè ipſi ſint Maſculi, ſivè Fœminæ, ſivè Conſanguinei, ac etiam Pater, & Mater contrahentium, ſivè eorum domeſtici, ſivè bonæ, ſivè malæ famæ, ſivè fideles, ſivè infideles, Religioſi ſæculares, aut clauſtrales, etiam Moniales, adulti, ſivè impuberes, dummodò ſint rationis compotes, ac generaliter omnes, etſi alias teſtificari incapaces. Sanchez *d. libr.* 3. *diſp.* 41. *num.* 5. Bonacina *d. qu.* 2. *de Matrim. punct* 8. *num.* 43. Layman. *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 7. *num.* 105. & Vinc. de Juſtis *d. libr.* 2. *cap.* 19.

num.

num. 92. hanc reddens rationem, quia causa Matrimonii est favorabilis, & quia auctoritas Parochi supplet eorundem Testium defectum. *cap. Cum esset.* 10. *De Testam. & ultim. Volunt.* Imò nihil obstabit, si dicti testes dolo, vel ad aliud vocati sint, sivè casu sint præsentes, nec fuerint rogati; aut si fuerint coacti, vel vi detenti, dummodo sentiant, ac intelligant contrahentium consensum, &, ad id, quod agitur, advertant; ut bene demonstrat Sanchez *d. libr.* 3. *disp.* 39. *à num.* 9. *& seqq.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 48. *num.* 7. ubi refert, sic fuisse decisum à Sacra Congregatione; & Pax Jordans *d. libr.* 3. *tit.* 7. à *num.* 106.

E contra testes non essent sufficientes, nec coram eis validum foret Matrimonium. initum. 1. Si essent ebrii, vel dormientes, vel essent infantes, & capere non possent, quid contrahentes agerent vel dicerent. Ventriga-
21 lia *in Praxi Annot.* 3. *n.* 5. Bossius *de Matrim. cap.* 5. *num.* 5. ea ratione, quia ut ait Loterius *libr.* 2. *q.* 40. *num.* 81. non dicitur præsens, qui licèt corpore locum occupet, mente tamen, & animo abest. 2. Si ipsi testes non essent simultanei cum ipso Parocho, sed post ejus discessum vocarentur; siquidem testium præsentia non debet esse successiva, sed simultanea cum præsentia Parochi. Sanchez *d. libr.* 3. *disp.* 41. *num.* 3. Rubeus *in addit. ad Rotam part.* 4. *recent. decis.* 431. *à num.* 22. *& seqq. tom.* 2. Barbosa *in Vot. Canon. libr.* 1. *Vot.* 14. *num.* 70. & Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 100. eam reddens rationem, quia præsentia Parochi, & Testium pro validitate Matrimonii est de forma; & per consequens debet utraque intervenire simul, ac eo tempore, quo actus in esse producitur. 3. Neque valeret testimonium, si Testes intervenirent pariete intermedio, etsi notam haberent vocem contrahentium, quia in re tanti momenti non est fidendum de vocum cognitione, quæ deceptioni, ac fallaciæ est subjecta; ideoque est necesse, ut testes verè sint præsentes, videant, advertant, ac, sine periculo errandi, intelligant quidquid à contrahentibus profertur. Ventriglia *d. Annot.* 3. *num.* 13. Molin. *de Ritu Nupt. libr.* 1. *diff.* 11. *à n.* 120. & Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 19. *n.* 104. 4. Proindè qui cæci sunt, & lumine oculorum sunt orbati, non possunt esse testes in Matrimonio; adeò ut si coram ipsis celebretur, censeatur prorsus irritum, ac invalidum, quamvis notas habeant voces contrahentium, ut probat Mascardus *conclus.* 278. *num.* 7. Ventriglia *d. Annot.* 3. *n.* 14. Barbosa *de Episc. allegat.* 32. *n.* 87. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 849. *à num.* 20. & Farinacius *de Testib. quæst.* 61. *num.* 7. ejurata circa hoc contraria opinione DD. quos citat Bossius *de Matrim. cap.* 3. *num.* 23. 5. Tandem necesse est, ut ipsi Testes intelligant idioma contrahentium, ut diximus *supra. num.* 6. de Parocho; nec sufficiat, si per interpretem sibi notificarentur eorum verba, ob periculum deceptionis, & fraudis, ut bene considerat Basilius Pontius *d. libr.* 5. *cap.* 21. *num.* 10. & equidem si quis ex Sponsis vellet recedere à contractu, & subornaret interpretem, ut diceret, se consensum in Matrimonium non præstitisse, sed de alia re fuisse locutum, quomodo Testes possent proveritate consensus præstiti testificari?

Quo ad Quartum, & Ultimum, in quo investigatur, supradictum Decretum Concilii Tridentini, de contrahendo Metrimonio coram Parocho, & duobus testibus, *Quo in loco sit servandum?* Respondetur, servandum esse tantùm in iis locis, in quibus 22
ipsum Concilium est publicatum juxta ejusdem dispositionem in *cit. sess.* 24. *de Matrimon. cap.* 1. *in fine*, ubi sic dixit: *Decernitur insuper ut hujusmodi Decretum, in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ Publicationis, in eadem Parochia factæ numerandos.* Idcircò ubi Concilium Tridentinum non est publicatum, valent Matrimonia more antiquo, etiam sine præsentia Parochi, ac testium celebrata, prout servari adhuc in quibusdam Galliæ, ac Poloniæ partibus, tradit Barbosa ex DD. per eum collectis *ad d. sess.* 24. *cap.* 1. *num.* 170. & Basilius Pontius *d. libr.* 5. *cap.* 26. §. 2. *Vers.* 4. ubi reddit rationem dicens, hoc non nasci ex eo, quòd Lex ad sui obligationem exigat, ut acceptetur à populo, sed ex speciali dispositione Ecclesiæ in hoc casu, quæ noluit Legem hanc de præsentia Parochi, & Testium obligare, nisi post promulgationem in singulis Parochiis factam, ac elapsis à publicatione diebus triginta; & hoc idem prosequitur Vinc. de Justis *d. libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 109. *&* 110. subdens, quòd idem dicendum sit de locis, in quibus fuerat Decretum prædictum publicatum; sed deindè in dominio hæreticorum transierunt; & ex eis expulsi sunt Catholici, vel ipsis interdictus liber usus Sacramentorum; nunc enim validè contrahunt Matrimonia sine præsentia Parochi, & Te- 23
stium Vericell. *quæst.* 145. *num.* 11. *&* 22. Aversa *quæst.* 6. *sect.* 2. *Vers. Jam verò.* Rubeus *in cit. Rota Decis.* 431. *num.* 55. *part.* 4. *recent. tom.* 2. & fusè Gobatus *tract.* 9. *à num.* 456. *& seqq.*

Porrò, supradicto Conciliari Decreto attento, quatuor Dubia remanent examinanda, ac solvenda. *Primum.* est, An Sponsi degentes in loco, ubi Concilium Tridentinum est publicatum, si se transferant ad locum, in quo dicta publicatio facta non sit, validè ineant Matrimonium inter se sine præ- 24
sentia Parochi, ac Testium? Resolvitur Dubium sub hac distinctione. Vel se conferunt ad locum, in quo Concilium non est publicatum, ut ibi habitent? Et validè possunt nubere sine Parocho, & testibus. Vel ibi vadunt animo fraudandi proprium Parochum, & sine eo contrahendi; vel ibi perveniunt tanquam hospites, & peregrini, habitationem firmam non constituentes? Et in hoc pariter casu nullum, & irritum est eorum Matrimonium, si illud sine proprii Parochi, ac Testium præsentia ineant, ut respondit S. Congregatio *in Colonien.* 5. *Septemris* 1626. & *in Antuerpien.* 9. *Decembris* 1628. de quibus Barbosa *de Parocho cap.* 21. *num.* 93. & Emin. Card. de Lugo *in Responsis Moralib.*

ralib. libr. 1. *Dub* 36. ubi ponit Breve Pontificium Urbani Papæ VIII. *diei* 14. *Augusti* 1627. confirmans præfatas Cardinalitias Declarationes. Earum vigore cùm N. N. Nobilis Comes Patavinus, Dux unius cohortis exercitus Austriaci in obsidione Budæ, *Anno* 1685. duxisset in Uxorem in eodem loco, sine Parocho, & sine Testibus, quandam mulierem, cujus vehementi amore exarserat, & postea eum pœnituisset; & requireret, an illud Matrimonium fuisset validum? Respondi negativè; quia utrique amantes ibi erant hospites, & advenæ, & cùm haberent domicilium Viennæ, in qua Concilium Tridentinum est publicatum, non poterant validè Matrimonium simul inire absque præsentia proprii Parochi, vel alicujus Sacerdotis ab eo delegati, ac Testium; juxta supradictas Sacræ Congregationis Declarationes quas esse omninò attendendas, explosis contrariis DD. aliquorum opinionibus, advertunt Tamburinus *de Triplici Jure libr.* 8. *tract.* 6. *cap.* 2. §. 2. *num.* 16. Cotonius *libr.* 5. *Controv.* 1. *num.* 265. Gobatus *d. tract.* 9. *num.* 481. 521. & 536. atque Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 22. *num.* 138.

Secundum Dubium est, Utrùm Mulier Latina possit validè nubere Viro Latino coram Sacerdote Græco non Parocho in loco, in quo Græci habitant, & absque præsentia Parochi, 25 & testium faciunt conjugia? Respondetur negativè, si in eo loco publicatum sit Concilium Tridentinum, juxta doctrinam Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 150. *num.* 57. ubi testatur, sub Pontificatu Gregorii Papæ XIII. ad instantiam Episcopi *Zaren.* Sacram Congregationem Concilii respondisse, Matrimonia à Græcis contracta in Provincia *Zaren.* non servata forma Concilii Tridentini, nulla, & irrita fuisse; & mandasse moneri conjuges, ut iterum contraherent coram Parocho, & Testibus. Qua doctrina attenta, cùm *Anno* 1681. quidam miles latinus in Insula Zacynthi duxisset in Uxorem quandam mulierem coram Sacerdote Græco non Parocho, & post militis discessum mulier illa Corcyram reversa, delata fama de morte militis, nupsisset alii viro coram Parocho, & Testibus, ac non multò post, prior Vir miles ibi appuliisset, & peteret sibi assignari mulierem illam tanquam Uxorem suam; causa introducta coram Archiepiscopo *Corcyren.* (qui tunc erat Illustrissimus Dominus Marcus Antonius Barbadicus, nunc S. R. E. Cardinalis meritissimus) ego, ab eo consultus, respondi, secundum Matrimonium illius mulieris esse validum; primum verò fuisse nullum, irritum & inane, ex defectu præsentiæ proprii Parochi, ac testium, sine qua prædictus miles contraxerat Zacynthi; in qua Insula, subjecta Sereniissimo Dominio Veneto, Concilium Tridentinum erat publicatum; & ad ejus observantiam obligati erant etiam Græci ex traditis per Tamburinum *d. libr.* 8. *tract.* 6 *cap.* 2. §. 2. *num.* 12. & Bossium *de Matrim. cap.* 1. *n.* 62.

Tertium dubium est, quid dicendum, si Mulier Græca nubat Viro Latino; vel è contra si Vir Græcus ducat in Uxorem mulierem Latinam; an sit necessaria præsentia proprii Parochi, ac testium pro validitate Conjugii, si sint in loco, in quo Concilium Tridentinum 26 fuit publicatum? Respondetur, prædictam præsentiam Parochi, ac testium esse necessariam pro validitate Matrimonii eorundem; & hoc attenta Instructione ad Græcos Clementis Papæ VIII. apud Quarantam *Verbo Græcorum Ritus. pag. mihi* 347. in qua prohibetur Marito Latino sequi in Matrimonio ritum Uxoris Græcæ; & Uxori Latinæ sequi Ritum mariti Græci; & hoc idem respondisse Sacram Congregationem ad Episcopum *Tragurien. die* 20. *Februarii* 1590. notat Nicolius *in Flosculis Verb. Græci. num.* 7.

Quartum tandem Dubium est, An validum sit Matrimonium contractum inter Catholicos, sed coram Parocho Græco Schismatico, & more Schismaticorum, præsentibus dumtaxat Musicis canentibus in honorem Matrimonii, more suo, non autem Testibus particulariter rogatis? Respondet esse 27 validum Pignatellus *tom.* 7. *consult.* 62. quia quoad Parochum Schismaticum, donec iste non fuerit privatus officio, validè assistit ex Sanchez *d. libr.* 3. *disp.* 21. & Basilio Pontio *d. libr.* 5. *cap.* 17. §. *Unic. num.* 6. quo verò ad Musicos, dummodò advertant ad contractum, sunt testes sufficientes; & possunt semper testificari de consensu præstito à contrahentibus. Sanchez *d. libr.* 3. *disp.* 39. *num.* 11. nec opus est absolutè, ut sint rogati. Idem Sanchez *eod. libr.* 3. *disp.* 41. *num.* 7. & diximus supra *num.* 20.

DECISIO XXXVI.

ARGUMENTUM.

Præter quatuordecim Impedimenta, Matrimonium dirimentia, omnibus nota, ostenditur, duo alia reperiri: Unum in Ecclesia Latina, quod est Interdictum Judicis cum Decreto irritante ob aliquam urgentem causam, qualis est defloratio Sponsæ: Aliud in Ecclesia Græca, si conjugium quarta vice ineatur. Canones, Rationes, ac Doctores allegantur circa facultatem Judicis prohibendi Matrimonium sub pœna nullitatis ante expeditionem litis. Jura contraria resolvuntur, & Doctores circa hoc discrepantes concordantur.

SUMMARIUM.

1 *Impedimentum dirimens Interdictum Judicis.*

2 *Cap.* Tua Fraternitas. De Sponsa duor. *dispositio.*

3 *Interdictum Judicis reddit Matrimonium*

um illicitum, non invalidum. & num. 4. & num. 7. *ubi DD.* & num. 4.

5 *Inferiores Prælati non faciunt Impedimenta dirimentia.*

6 *Judex non potest Sacramenta irrita reddere.*

8 *Interdictum Judicis irritat Matrimonium.* & num. 9. & 10.

11 *Legis secundum dispositionem est judicandum.*

12 Amodò *Dictio quid significet?*

13 *Interdicti Impedimentum dirimens est ab Ecclesia approbatum.*

14 *Attentata contra Decretum Judicis sunt retractanda.*

15 *Interdictum Judicis irritare Matrimonium, qui DD. dixerint?*

16 *Interdictum Judicis sine clausula irritante non irritat Matrimonium.*

17 *Judex est Minister, ac Executor Legis.*

18 *Contractus Matrimonii si irritetur, etiam Sacramentum est nullum.*

19 *Christus an indixerit Impedimenta Matrimonii?*

20 *Concordantia DD. circa Judicis Interdictum dirimens Matrimonium.*

21 *Causam ob urgentem Judex prohibere potest Matrimonium sub pœna nullitatis. Secùs si non adsit causa urgens. Et quæ sit?*

22 *Defloratio Sponsæ est causa interdicendi Matrimonium sub pœna nullitatis cum alia.*

23 *Causa perpetua interdicendi Matrimonium est Sponsæ defloratio.*

24 *Cessante causa cessat effectus.*

25 *Græci non admittunt Matrimonium quarta vice.*

26 *Abbas Panormitanus laudatus.*

EXplicitis hucusque Impedimentis quatuordecim dirimentibus Matrimonium, de quibus communiter omnes Scholastici, ac Moralistæ agunt, restat inquirendum, an ultra prædicta reperiatur aliquod aliud Impedimentum dirimens? Et respondendum videtur, alia duo reperiri, Unum in Ecclesia Latina, quod vocatur Interdictum Judicis sub pœna nullitatis: Aliud in Ecclesia Græca, quod dicitur, in quarto Voto contractum Matrimonium.

Quo ad Primum; præmittere oportet, quòd Alexander Papa III. consultus ab Archiepiscopo Genuensi, quid agendum de illis, qui litigantes in causis Matrimonialibus super executione Sponsalium, & interposita appellatione, non expectata sententia definitiva, contrahunt de facto Matrimonium per verba de præsenti cum alia persona, in præjudicium causæ, & alterius partis collitigantis? Ita ei respondit, ut legitur *in cap. Tua Fraternitas. 4. De Sponsa duorum.* Videlicet: *Hoc arbitramur agendum, ut si amodò in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè interdicas, ne ante definitionem causæ aliud contrahant Matrimonium. Et si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare.* Qua Decretali attenta disputant Canonistæ, an Judex Ecclesiasticus, coram quo pendet causa super Sponsalibus initis per verba de futuro, quorum executionem unus Sponsus postulat; alter verò negat, & eam impugnat; An, inquam, ipse Judex interdicere possit parti neganti se Sponsalia de futuro contraxisse, seu ad ea exequenda obligatam esse, ne pendente causa audeat cum quacunque alia persona Matrimonium inire sub pœna nullitatis; & casu quo, inobediens sit, & contrahat cum alia per Verba de præsenti, Matrimonium hoc sit nullum, irritum, & inane; & tanquam tale ab eodem Judice possit declarari? Alii negant, & alii affirmant. Negantium fundamenta sunt ista.

Primò, textus *in cap. 1. De Matrim. contracto contra Interd. Eccl.* ubi pendente lite super validitate Sponsalium, à muliere cum duobus successivè fratribus initorum, Judex inhibuit eidem mulieri, ne alicui nuberet, donec Lis expediretur. Mulier non obedivit, sed tertio cuidam Viro nupsit; undè Papa respondit: *Mandamus quatenus si ita est, præfatam mulierem, ne mandatum tuum contemptibile videatur, ad domum matris redire compellas; & impositâ sibi de tanto excessu pœnitentia condigna, postquàm in domo materna per mensem steterit, ad tertium reverti permittas.* 3 Ergo Matrimonium contractum cum tertio, contra Interdictum, ac prohibitionem Judicis, fuit validum; nec Interdictum prædictum potuit irritare, aut dirimere Matrimonium.

Secundò, textus in *cap. 2. eod. tit.* in quo pariter contra prohibitionem Judicis, ne ante definitionem causæ conjugium iniretur, fuit initum; & delata appellatione ad Papam respondit: *Mandamus, quatenus si nihil constiterit, quod impediat, præter consensum de futuro, qui inter præfatos R. & M. asseritur præcessisse, secunda Matrimonia inviolabiliter observanda, sublato appellationis obstaculo, judicetis: licèt enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii dissolvatur; aliqua tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* 4 Ergo Judicis prohibitio non est impedimentum dirimens Matrimonium.

Tertiò facit, quia introducere Impedimenta dirimentia Matrimonium reservatum est soli Summo Pontifici, seu Concilio Generali, de ejus licentia congregato, cùm res sit maximè ardua, ac difficilis, nec ab inferioribus pertractanda. Suarez *tom. 5. in 3. part. D. Thomæ disp 7. sect. 4. n. 5.* DD. quos cumulat Diana *part. 8. tract. 1. resol. 76.* existente in Coordinato ejus opere *tom. 3. tract. 1. resol. 88.* & nos diximus supra *Decis. XVIII. n. 22.* Sed quatenus ex Interdicto Judicis Matrimonium irritaretur, posset omnis Judex Ecclesiasticus pro sui libito Impedimenta dirimentia facere, 5

cere, inconsulto Romano Pontifice. Ergo dicendum, quòd Interdictum Judicis non habeat vim dirimendi Matrimonia, quamvis sub pœna nullitatis relaxatum.

Quartò; non potest Judex per suam prohibitionem irritare Sacramenta, quando per debitam materiam, formam, ac consensum conficiuntur. Sed Matrimonium est Sacramentum. 6 Ergo quando contrahentes Materiam, Formam, ac consensum tanquam Ministri in illud conferunt, validè conficiunt non obstante Judicis interdicto, seu prohibitione, sub pœna nullitatis eis intimata.

Quintò; quia sic tenuerunt Glossa, ac Præpositus in *d. cap.* 1. & 2. *De Matrim. contr. interd. Eccl.* nec non *ibid.* Card. Zabarella, & Ancharanus. Prout etiam Abbas, & 7 Ant. de Butrio *in cap. Ad dissolvendum. n.* 9. *De Sponsalib.* Mandosius *in tract. de Inhibitionib. quæst.* 90 *post. num.* 2 Lancellotus *de Attent. part.* 2. *cap.* 20. *limit.* 18. *num.* 1. Covaruvias *in* 4. *libr. Decret. part.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. Rota *Decis.* 1. *De Despons. Impub. in novis.* Vivaldus *in Candelabro Eccl. in tit. de Matrim. num.* 82. Emin. Card. Toletus *in Summ. libr.* 7. *cap.* 14. *n* 2. & alii plurimi, quos citat Sanchez *de Matrim. libr.* 7. *disp.* 1. *n.* 9. & Chartarius, qui hanc opinionem negativam amplectitur, *Decision. Criminal. XXII. num* 10. & 11.

Affirmantium verò, & docentium, Interdictum Judicis cum decreto irritante, & sub pœna nullitatis dirimere Matrimonium, ac esse numerandum inter impedimenta dirimentia, rationes, ac auctoritates sunt sequentes:

8 Primò textus *in cap. Contradicimus* 35. *q.* 2. & 3. ubi in fine dicitur: *Ubi autem post interdictum factum fuerit inventum, separetur.*

Secundò textus in *cap. Videtur nobis.* 35. *q.* 6. in quo Cælestinus Papa, in casu, de quo agimus, sic Archiepiscopo Florentino respon- 9 dit: *Videtur nobis, quòd secunda, quam contra prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit Uxor, etiamsi primam non haberet desponsatam. Nam quod contra interdictum, & Ordinem Ecclesiæ factum est, tanquam inordinatum, ratum non haberi tam divinæ, quàm humanæ legis proclamat auctoritas. Quia igitur ea, quam inordinatè superduxit, prohibitione renitente, Uxor non est, cogendus est eam recipere, quam juravit, & desponsavit; & ex ea prolem genuit; ut juramenti religio non vilipendatur, & fides adinvicem promissa servetur, & proles in cultu Dei nutriatur, & educetur; & alti exinde pejerandi occasionem, & aliàs decipiendi assumere non valeant.* Ecce hic Lis erat super executione Sponsalium initorum sub juramento, & cum defloratione Sponsæ; ideò Judex Sponso detrectanti eam in Uxorem ducere interdixerat, ne cum alia iniret conjugium; ipse tamen spreta prohibitione duxit aliam in Uxorem; & Papa declarat, nullum, ac irritum hoc secundum Matrimonium; & ait, cogendum esse Sponsum ducere primam. Ergo Interdictum, ac prohibitio Judicis facit impedimentum dirimens.

Tertiò facit supra relatum *cap. Tua Fraternitas.* 4. *De Sponsa duorum*, in illis verbis: *Et si contra Interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tam* 10 *præsumptuosè contractum poteris irritare.* Per quæ Verba Summus Pontifex concedit facultatem Judicibus Ecclesiasticis irritandi conjugia contra eorum interdictum, ac prohibitionem inita. At Judex potest, quidquid sibi per Sacros Canones facere conceditur. Vinc. de Justis *de Dispensat. Matrim. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 41. etiam ubi agitur de Sacramentis. Emin. Cardin. de Lauræa *de Matrim. disp.* 18. *num.* 51. Ergo Interdictum Judicis est numerandum inter Impedimenta dirimentia.

Quartò: Quando habemus legem aliquid ordinantem, vel disponentem, secundùm ejus ordinationem, ac dispositionem est judicandum. *cap. Porrò. De Privileg.* Gratian. *Discept. Fo-* 11 *rens. cap.* 420. *num.* 17. & *cap.* 867. *num.* 24. & Rota *part.* 4. *recent. Decis.* 617. & ibi Adden. *num.* 101. *tom.* 3. Sed textus in *d. cap. Tua Fraternitas*, est Lex generalis, disponens super Interdictis, ac prohibitionibus Judicum, futuris temporibus, circa causas Matrimoniales faciendis; ut patet ex illis Verbis Papæ, *Ut si* 12 *amodò*, quæ significant *posthac*, seu *in posterùm*, ac *perpetuis futuris temporibus*, ex Calepino, & ex Laurentio *in Amalthea Onomastica in Verb. Amodò.* Ergo vigore prædictæ Legis Canonicæ, ac Pontificiæ potest Judex relaxare Interdictum irritans, ac dirimens Matrimonium.

Quintò: Episcopi non possunt instituere Impedimenta dirimentia Matrimonium, quæ nova sint, & ab Ecclesia Universali, vel ab ipso Ecclesiæ Capite, nempè Summo Pontifice, non approbata. Ex Diana Coordinato *d. tom.* 3. *tract.* 1. *resol.* 88. existente in veteri *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 76. Sed Impedimentum Inter- 13 dicti facti à Judice cum clausula irritante, ne Matrimonium fiat sub pœna nullitatis, non est Impedimentum novum, sed in Ecclesia usitatum, & à Papa, ut supra, approbatum. Ergo ab Episcopis, ac eorum Vicariis, & Ministris, Deputatis ad causas Matrimoniales judicandas, potest relaxari, ac intimari; relaxatumque, & intimatum est Impedimentum Canonicum, dirimens Matrimonium.

Sextò; quia nullitas Matrimonii ob præcedentem prohibitionem Judicis cum decreto irritante, est conformis toti Juri Canonico, imò & Juri Civili, præcipientibus attentata contra 14 Interdictum Judicis esse irritanda, ac retractanda. *cap. Non solum. De Appellat. in* 6. *l. fin. Ne quid in loco publ. l. Qui vetante. ff. De Re judic.* Gratianus *cap.* 795. *num.* 15. & Rota *part.* 2. *rec. Decis.* 735. *num.* 3. Ergo Judex, contra cujus Interdictum initum est conjugium, potest, & debet, illud irritum, ac nullum declarare, ac penitùs revocare.

Septimò: quia sic censuerunt, ac docuerunt Canonistæ, ac Theologi antiqui, ac moderni sequentes, videlicet: Primò Glossa *in Clem.* 1. 15 *in Verb. Inhibentes. De Jure patronatus*, quam Covaruvias *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. vocat insignem. Hæc Glossa *ibid.* ait, actum contra inhibitionem esse nullum in multis casibus, & ex diversis Decretalibus, quas citat, & inter cæteras allegat textum *in d. cap. Tua fraternitas*,

De Sponsa duorum, in quo, ut notatum est supra, Alexander III. ita respondit: *Hoc arbitramur agendum, ut si amodò in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè interdicas, ne ante decisionem causæ, aliud contrahant Matrimonium. Et, si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare.* Ergo illa Glossa citans hanc Decretalem sentit, quòd Interdictum Judicis, ne Matrimonium contrahatur, est Impedimentum dirimens ipsum Matrimonium. *Secundò* ita sentiebat Cardinalis Parisius, qui *in libr. 4. cons. 59. num 35* respondit: *Matrimonium secundum valere, etsi contractum pendente lite super primo, quia nulla præcessit Judicis inhibitio*: Ergo denotat per hæc verba, quòd si præcessisset Judicis inhibitio, ipsius opinio, ac sensus erat, secundum Matrimonium fuisse irritum, & nullum. *Tertiò* concors erat mens, & sensus Hieronymi Gigantis, in præterito sæculo eximii Advocati Veneti, qui in *consil. 41. num. 4* consulens super secundo Matrimonio contracto per Nobilem Virum Petrum Maurocenum, pendente lite super primo, inito cum Nobili muliere Paula Zane, concludit, secundum Matrimonium non posse dici invalidum, quia inhibitio Illustrissimi Judicis Patriarchæ Venetiarum fuerat intimata eidem Nobili Viro Mauroceno per duos dies postquam contraxerat dictum secundum Matrimonium. Igitur à contrario infert, quòd si inhibitio præcessisset contractum, ipsum irritum reddidisset, ac nullum, tanquam Impedimentum dirimens. *Quarto* hoc pariter docent Basilius Pontius *de Matrimon libr. 6. cap. 7.* atque Petrus Franciscus Tondut *in tract. de Pensionibus cap. 75. num. 39.* ubi citat, & sequitur eundem Pontium ita scribens: *Verum quidem est, quòd absque discussione validitatis, vel invaliditatis Matrimonii, primo loco celebrati, procedi posset ad cassationem, & annullationem secundi in præjudicium litis pendentis contracti, quando præcessisset prohibitio cum decreto irritante, ut probatur per textum in cap. Tua fraternitas. De Sponsa duor. & per alia Jura, quæ bene deducit Basilius Pontius de Matrim. libr. 6. cap. 7. num. 5. & seqq. & probat etiam Abbas in d. cap. Tua fraternitas.* *Quintò* facit doctrina doctissimi Caramuelis, qui in sua *Theologia Fundam. num. 924.* ait: *Cùm quid prohibetur, nimirùm prohibitione dirimente, & ex nullitate, prohibentur, annullanturque omnia, quæ necessariò sequuntur ex illo.* Deindè *num. 938.* loquens de prohibitione Matrimonii subdit: *Ut rem intelligas adnotato: duas dari prohibitiones, alteram interdicentem, alteram annullantem. Hanc veritatem sæpius debui notare, est enim valdè necessaria; cujus, ut video, ignorantia, aut neglectu multi errores committuntur interdum. Porrò ex actione interdicta, non semper quod sequitur interdictum est. Ex nulla tamen semper est nullum. Prioris generis sunt multa Matrimonia illicita; sed valida. Posterioris, invalida, & illicita.* Ergo sentit Auctor iste, Matrimonium esse irritum, & nullum, quando præcessit Judicis prohibitio, ne fieret sub pœna nullitatis; & per consequens Interdictum Judicis Ecclesiastici cum clausula irritante esse Impedimentum dirimens Matrimonium.

Ad argumenta verò contrariæ opinionis respondent, qui hanc affirmativam amplectuntur; quòd *cap. 1. & 2. De Matrim. contra Interd. Eccles.* ideò determinant, Matrimonia illa contra interdictum celebrata non fuisse irrita; quia in 16
ipso Interdicto prohibitorio non aderat Clausula irritans, neque prohibitio facta fuerat sub pœna nullitatis, undè, ut ait Caramuel, conjugia fuerunt illicita, non autem invalida. Ad Tertium argumentum respondent, verum esse, quòd ad solum Papam, vel Generale Concilium spectat introducere nova impedimenta Matrimonium dirimentia, non autem ad Episcopos; at in casu litigii Matrimonialis, Judex Ecclesiasticus interdicens, ac prohibens uni ex litigantibus, ne interim audeat, conjugium inire cum alia persona sub pœna nullitatis, non introducit novum Impedimentum dirimens, à se excogitatum, seu inventum, sed objicit impedimentum à Summo Pontifice, & à Jure Canonico ordinatum, ac præscriptum *in d. cap. Tua Fraternitas. 4. De Sponsa duor.* Judex enim est minister, ac executor Legis. Sperell. *Decis. 105. num. 2.* qui 17
tenetur operari secundùm ea, quæ per Legem scripta sunt. Rota coram Merlino *Decis. 567. num. 59. & part. 16. recent. Decis. 273. num. 11.* præcipuè ubi agitur de resistendo malitiis hominum. Decian. *vol. 2. resp. 66. num. 10. & vol. 3 resp. 128. num. 11.* atque de obviando scandalis, quæ sunt inevitabilia, & quidem pessima ob odia, inimicitias, ac vindictas inter familias, quando contigerit inter duos inita esse Sponsalia, Sponsamque fuisse defloratam; & deindè Sponsus recusat sub frivolis prætextibus eam ducere in Uxorem, ad ejus honorem resarciendum, ut bene dixerit de prædicta Judicis obligatione Scaccia *de Judiciis libr. 2. cap. 2. num. 184.* & ibi Nevizan. *cons. 81.* Ad Quartum respondent, Judicis interdictum non dirigi principaliter, ac immediatè ad irritandum Matrimonii Sacramentum; sed ad annullandum contractum Matrimonialem; quo nullo evadente, in conse- 18
quentiam Sacramentum Matrimonii, cui contractui innititur, remanet invalidum. Ideò Judex interdicendo sub pœna nullitatis parti litiganti, ne cum alia persona conjugium ineat, inhabilitat eandem ad contractum ineundum; & ex hac inhabilitate, si de facto contrahat, contractus est nullus, & Sacramentum est inane; quia corruente fundamento, nempè contractu, corruit & Sacramentum, ut demonstrant Sanchez *de Matrimon. libr. 3. disp. 4. num. 4* Aversa *eod. tract. quæst. 10. sect. 2.* Salmanticenses *tract. 9. cap. 3. num. 43* & Mastrius *in 4. sent. disp. 7. num. 340.* & in sua Theologia Morali *disp. 20. num. 88.* advertens ex Scoto *in 4. dist. 35.* Christum Dominum noluisse indicere Impe- 19
dimenta Matrimonii neque impedientia tantùm, neque dirimentia; sed facultatem ea indicendi reliquisse Ecclesiæ, ut ab ejusdem Prælatis, ac Judicibus juxta ejusdem Ecclesiæ ordinationem adhibeantur, prout occasio tulerit, ad removenda scandala. Ad Quintum, in quo relati sunt plures Canonistæ, ac Theologi contrarium docentes, respondent, eos posse simul conciliare aliquas ex sequentibus distinctionibus, quas considerat Gonzalez *in Comment. ad cap. De muliere. De Matrim contra interd. Eccl. celebrato*; videlicet: I. Quòd qui affirmant, Interdictum 20
Judicis

Judicis dirimere, intelligendi sint, si inter litigantem, qui spernit interdictum, & tertiam personam, cum qua Matrimonium contrahit, existat aliquod aliud impedimentum dirimens, puta cognationis, affinitatis, aut alterius similis; Doctores verò, qui negant, loquantur, ubi nullum aliud intercedit impedimentum. At hæc concordantia est penitùs inutilis, quia Papa in *d. cap. Tua fraternitas. De Sponsa duor.* non distinguit, sed generaliter loquitur: ideò intellexit, & voluit, quòd Interdictum dirimat Matrimonium, etiamsi inter contrahentes in spretum illius nullum aliud sit Impedimentum dirimens; Lex enim generaliter loquens, generaliter est intelligenda. Barbosa *Axiom.* 136. Menoch. *cons.* 74. *num.* 21. II. Alii dicunt, quòd qui negant vim dirimendi in Interdicto Judicis, intelligant de Interdicto sine clausulâ irritante; qui verò affirmant, loquantur, ubi est clausula irritans; idcircò in primo casu versatur *cap.* 1. *&* 2 *De Matrim. contr. Interd. Eccl. Celebr.* in altero casu *d. cap. Tua fraternitas.* & *cap. Contradicimus.* 35 *q.* 2. *cap. Videtur nobis.* 35. *quæst.* 6. de quibus supra. Hæc concordantia bona est, & Legalis, quam amplectitur Basilius Pontius *d. libr.* 6. *cap.* 7. *num.* 5. III. Alii, inter quos Sanchez *libr.* 7. *disp.* 1. *num.* 9. & ibi per eum allegati, volunt, si Interdictum procedat à Papa, in eo esse vim dirimendi, secus si ab Episcopis, seu à Judicibus inferioribus relaxetur. De primo esse intelligendos DD. qui affirmant; de secundo eos, qui negant. Sed hæc concordantia discordat à *d. cap. Videtur nobis* 35 *qu.* 6. *&* *cap. Tua Fraternitas. De Sponsa duor.* in quibus conceditur inferioribus Judicibus facultas interdicendi conjugia sub pœna nullitatis. IV. Quare ultrà prædictos modos dicendi, verus modus concordandi eosdem DD. ad hanc distinctionem reducitur; nempè, vel inter collitigantes in causa Matrimoniali urget importantissimum aliquod motivum, ne interim unus ex collitigantibus cum alia persona contrahat, puta quia defloraverit Sponsam collitigantem quam nisi in Uxorem ducat, magna ei damna immineant, & scandala sint oritura, præcipuè si personæ sint nobiles, ac forsan susceptа sit proles, de cujus legitimitate facienda agatur, quæ fieri non possit, nisi cum illa conjugium
21 ineat? & in hoc casu Interdictum Judicis cum decreto irritante factum collitiganti defloratori est impedimentum dirimens, itaut si spreto Interdicto contrahat Matrimonium cum alia persona, hoc sit irritum, nullum, & invalidum, & ut tale possit à Judice declarari. Secus autem cessante urgenti motivo, & ubi non agitur de notabili alterius partis præjudicio, ac cessat timor scandalorum, hostilitatum, seu vindictarum, prout si lis esset inter egenos, ac plebejos. In hoc secundo casu loquuntur DD. negantes, interdictum Judicis dirimere Matrimonium; in primo verò casu intelligendi sunt affirmantes, quod dirimat, ut notat Abbas *in d. cap. Tua fraternitas. in fin. De Sponsa duor.* Jordanus *libr.* 3. *tit.* 7. *num.* 172. & Felinus *in cap.* 2. *De Præscriptionib. num.* 2. *Vers. Decimò octavo.*

Quapropter dicendum est, Interdictum Judicis relaxatum cum decreto irritante, & sub pœna nullitatis, ne collitigans interim ineat conjugium cum tertia persona, esse impedimentum dirimens, habens vim reddendi irritum, ac invalidum ipsum conjugium, quando Judex illud 22
relaxavit ob aliquam urgentissimam causam; qualis est præcedens defloratio Sponsæ nobilis, cum qua ortum est litigium; cujus honor aliter reparari non potest, nisi ipsam in Uxorem accipiat, præsertim si ex ea genuisset prolem; & talis casus, ac talis causa habetur expressa *in cit. cap. Videtur nobis.* 35. *q.* 6. in quo Cælestinus Papa respondit, Matrimonium contra Interdictum Judicis celebratum esse invalidum declarandum; quia ibi Sponsa defforata fuerat, & de prolis susceptæ bona educatione agebatur; & talis causa est illius qualitatis, quam requirit Glossa. *in d. cap. Tua fraternitas, Verb. Poteris irritare. De Sponsa duor.* nempè quòd sit perpetua; 23
siquidem defloratio Sponsæ nobilis, nisi sponsus eam in Uxorem accipiat, gignit perpetuas inimicitias, hostilitates, ac odia inter familias illustres; Tiraquell. *in tract. de Pœnis num.* 68 Giurba *cons.* 85. *num.* 19. Farinacius *q* 125. *num.* 41. atque indesinens, ac perpetuum est præjudicium, quod patitur ipsa Sponsa nobilis defforata; nam illud reparari non potest, nisi per Matrimonium cum ipsa per defloratorem ineundum. Quare, tali urgentissima causa concurrente, poterit Judex prohibere Sponso, ne aliam mulierem in Uxorem ducat sub pœna nullitatis; & talis prohibitio erit impedimentum dirimens, itaut si ea spreta Matrimonium cum alia ineat, sit irritum, & nullum, & tanquam tale sit declarandum ab eodem Judice, vigore Sacrorum Canonum in *d. cap. Contradicimus.* 35. *q.* 2. *&* 3. in *cap. Videtur nobis.* 35. *q.* 6. & in *cap. Tua fraternitas. De Sponsa duor.* & juxta probabilissimam opinionem Glossæ, ac Doctorum, quos *supra num.* 15. allegavimus.

Ex his multò magis resultat, nihil officere potestati Judicis interdicendi sub pœna nullitatis Matrimonium, (quando agitur de Sponsæ defloratione, ac de ejus honore reparando) Tex- 24
tus, & Canones Alexandri III. *in tit. de Matrimon. contra Interd. Eccles. celebr.* in quibus respondit, Matrimonium esse validum, non obstante Judicis Interdicto, ut consideratum fuit supra *num.* 3. *&* 4. Nam in illis canonibus, ultrà quod supponitur, Interdictum fuisse sine clausula irritante, non agebatur de hac gravissima causa deflorationis Sponsæ, & de perpetuo ejus præjudicio ob amissum honorem; nec de scandalis irruentibus ob inimicitias, & odia inter familias; siquidem ex lectura eorumdem Canonum constat, quòd ipsæ Sponsæ collitigantes, spreto interdicto, aliis viris nupserunt. Igitur cùm causa interdicendi illa Matrimonia non esset urgens, gravis, ac perpetua, meritò non fuerunt invalida, sed illicita tantùm; cessante enim causa, cessat effectus. *cap. Cum cessante. De Appellat. l. Si pater. ff. De Hæred. Instit.* Barbosa *Axiom.* 40. *num.* 4. Hæc de Impedimento dirimente ex Interdicto Judicis in Ecclesia Latina.

In Ecclesia Græca aliud est Impedimentum dirimens, nempè si Matrimonium quarto loco contrahatur, idest, si quis defuncta prima, secunda, ac tertia Uxore, quartam ducere velit; 25
aut si mulier, tribus prioribus successivis maritis morte extinctis, quarto nubere tentet; hoc enim apud Græcos non solùm est illicitum, sed etiam invalidum; ut testatur Illustrissimus Nicolaus Comnenus Abbas Papadopoli, (in hac nostrâ

Academia

Academia Patavina Sacrorum Canonum Inter-
26 pres, Splendor, ac decus ejusdem, ob incomparabilem in legendo, ac scribendo ipsius eruditionem) *in suis Prænotionibus Mystagogicis Respons. 2. sect. 2. sub num.* 12. his verbis: *Matrimonium penes Nostros tamen quarto initum nullum erit, ut Græcis notissimum est*; & allegat sic docentes Arcudium *libr. 7. cap. 27. 28. 29.* & Goarium *ad cap. De Bigamis in Euchologio not. 4.* Hoc impedimentum dirimere censent ex auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ sic indulsit severitati morum Græcorum, hi enim pudicitiæ, ac continentiæ valdè addicti indignum putarunt ultra tres vices conjugia iterare. At hujus prohibitionis cùm nullus Canon Apostolicus, seu Conciliaris reperiatur, dicendum potiùs videtur à consuetudine longæva, ac universali inter Græcos hoc impedimentum dirimens esse statutum; juxta ea, quæ scripsimus supra *Decis. XVIII.* de vi consuetudinis in impedimentis dirimentibus inducendis. Cæterùm in Ecclesia Latina non admittitur tale impedimentum, in ea enim Matrimonium ex libito centies iterari potest, dicente S. Hieronymo *In Apologia ad Pammachium pro libro adversus Jovinian. Non damno Bigamos, imò & Trigamos, &, si dici potest, Octogamos.* Et Eugenio IV. in concordia Armenorum *Constit. 29. Incipien. Exultate Deo. §. 9.* definiente, quòd quatuor Sacramenta, quæ characterem non imprimunt, nempè Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, ac Matrimonium, *reiterationem admittunt.*

DECISIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

Explicantur duodecim Impedimenta, quæ impediunt, sed non dirimunt Matrimonium. Eorum prima quinque in Religionis Christianæ obsequium; alia septem in pœnam gravissimorum criminum introducta fuisse ostenditur. Plura dubia circa eorum intelligentiam, obligationem, ac dispensationem à Doctoribus excitata, & scitu omninò necessaria, resolvuntur.

SUMMARIUM.

1 *Impedimenta impedientia tantùm alia ex delicto, alia non.*
2 *Interdictum Judicis impedit Matrimonium.*
3 *Et quando etiam dirimat?*
4 *Adventus, ac Quadragesimæ tempore Matrimonia non contrahuntur.*
5 *Dies naturalis variæ computationes.*
6 *Noctis in medio ante Adventum, & Quadragesimam incipit prohibitio Nuptiarum. Et cessat in media nocte post.*
7 *Calendarii Patavini declaratio.*
8 *Mensis Apostolicus, & Mensis Ordinarius quæ hora incipiat?*
9 *Dies Ecclesiasticus incipit in Vesperis.*
10 *Dies Civilis modò brevior, modò longior.*
11 *Parochus Adventus tempore, vel Quadragesimæ an assistere possit Matrimoniorum celebrationi?* & num. 13.
12 *Solemnitates Nuptiarum quænam sint prohibitæ in Adventu, & Quadragesima?*
14 *Catechismi impedimentum quale sit? & an nunc duret?*
15 *Sponsalia cum uno inita impediunt Matrimonia cum alio.*
16 *Votum simplex Castitatis cur, quomodo, & quando impediat Matrimonium?*
17 *Votum castitatis habens an inscio altero conjuge, possit ei nubere, cum animo ingrediendi Religionem?*
18 *Votum castitatis emissum post Sponsalia an ea solvat?*
19 *Incestus quomodo, & quando impediat Matrimonium?*
20 *Sponsus incestum committens contrahit Impedimenta duo. Et quæ?*
21 *Incestus ob copulam cum consanguineis incestuosi an impediat Matrimonium?*
22 *Incestus commissus post mortem conjugis, an impediat?*
23 *Incestus occultus an in conscientia impediat?*
24 *Raptus Sponsæ alienæ repellit Raptorem à quocunque Matrimonio.*
25 *Uxoricidium ob iram impedit Matrimonium: ut contrahat cum alia, dirimit.*
26 *Uxorem in adulterio deprehensam non licet occidere.*
27 *Viricidium an impediat Matrimonium?*
28 *Susceptio propriæ Prolis in Baptismo, seu Confirmatione causat Impedimentum impediens.*
29 *Presbyteri occisor nuptias inire non valet.*
30 *Pœnitentia Publica impediebat contrahere Matrimonium.*
31 *Monialem qui ducit in uxorem repellitur ab omni conjugio.*
32 *Crimina impedientia Matrimonium an privent Maritum jure petendi debitum?*
33 *Impedimenta impedientia tantùm an hodie sint in usu?*
34 *Dispensare quis possit in Impedimentis impedientibus?*
35 *Votum castitatis quando possit ab Episcopo dispensari?*

POst explicationem omnium Impedimentorum dirimentium Matrimonia, opus est, ut ex professo agamus etiam de illis, quæ impediunt tantummodò; licèt enim summatim ea retulerimus supra *Decis. XVIII. num.* 11. nihilominùs hic fusè veniunt examinanda, sunt enim scitu necessaria; siquidem etsi Matrimonium non reddant irritum, & nullum, tamen faciunt ipsum illicitum; & qui contrahunt cum aliquo ex impedimentis impedientibus tantùm, peccant mortaliter ex magis communi, & approbatâ Theologorum Sententia, de qua *infra num.* 33. ut docent, ac tenent Rebellius *libr. 3. q.* 18. Eminentiss. Card. Toletus *libr. 7. cap.* 19. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *de Matrimon. disp.* 36. *à num.* 280. *& seqq.* & Mastrius *in 4. sent. disp. 7. num.* 366. Igitur sciendum, quòd Impedimenta, quæ impediunt, sed non dirimunt, sunt in duplici differentia; etenim alia sunt; quæ non proveniunt ex delicto, alia verò quæ

ex delicto proveniunt: Prima sunt quinque, & continentur in his versibus.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Primum Impedimentum vocatur *Ecclesiæ vetitum;* & est prohibitio, quam facit Episcopus, seu ejus Vicarius, aut alius Officialis, vel Judex ab Episcopo, vel à Papa deputatus, ne Matrimonium contrahatur pro tali tempore; 2 puta donec lis introducta super validitate Sponsalium terminetur; vel si dubium sit, an aliquod impedimentum inter contrahentes vigeat? veritas reperiatur; sivè si aliquis ex consanguineis, vel affinibus reclamet contra tale conjugium, forsan ob disparem conditionem Sponsorum, & periculum sit alicujus scandali, Episcopus præcipiat supersederi, nec deveniri ad contractum, ut interim qui contradicit, placari possit, ac suaderi, ne ulteriùs se opponat. Hæc itaque prohibitio est impedimentum impediens, qua durante, non licet Matrimonium celebrare absque peccato, quamvis si de facto celebretur, conjugium sit validum, at gravibus pœnis contrahentes sint plectendi. *cap.* 1. *De Matrim. contracto contra Interd. Eccl.* Quam prohibitionem impedire tantummodò, & non dirimere intelligendum est, 3 si facta fuerit absque decreto irritante, & sine clausula sub pœna nullitatis, urgente aliquo gravissimo motivo scandalorum, vel concurrente causa perpetui præjudicii, vel damni, velut si Sponsa, quam Sponsus detrectat in Uxorem ducere, esset nobilis, & ab eo fuisset deflorata, seu prolem ab ea suscepisset, ut disseruimus supra *in præced. Decis. XXXVI.* per *texx. in cap. Videtur nobis.* 35. *q.* 6. *& in cap. Tua fraternitas.* 4. *de Sponsa duor.* Siquidem ubi causæ urgentes sunt, & prohibetur, Matrimonium fieri sub pœna nullitatis; si fiat est irritum, & nullum ut in *dd. texx.* Quòd si prohibitio fiat ab Episcopo, seu etiam à Parocho ob venerationem alicujus solemnitatis, vel dici jejunii, publicarum Orationum, vel alterius motivi ex pietate; contrahere contra illam non esse peccatum opinantur Sanchez *de Matrimon. libr.* 7. *disp.* 15. *num.* 4. Basilius Pontius *eod. tract. libr.* 6. *cap.* 7. *num.* 8. & Salmanticenses *tract.* 9. *cap.* 13. *num.* 1.

Secundum Impedimentum impediens est *Tempus feriatum*, videlicet tempus Adventus, ac tempus Quadragesimæ, quibus temporibus durantibus prohibitum est ab Ecclesia contrahere Matrimonia, ad hoc ut fideles jejuniis, & 4 orationibus possint se præparare ad devotè communicandum, ut docent S. Thomas *in* 4. *dist.* 32. *q. Unica. art.* 5. & ibidem S Bonaventura *art.* 4. *qu.* 1. Sponsi autem, qui per verba de præsenti in Adventu, vel Quadragesima Matrimonium contrahunt, difficillimè se applicant actibus jejuniorum, ac pœnitentiæ, ut observant Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 7. *num.* 1. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 36 *num.* 8.

Porrò circa hoc *tempus Feriatum* duæ sunt examinandæ, ac resolvendæ Quæstiones. *Una* est, *Qua hora incipiat prohibitio Nuptiarum* adveniente Adventu, vel Quadragesima? Et qua hora cesset eadem prohibitio, Adventu, ac Quadragesima recedentibus? Pro resolutione scire oportet, quòd dies naturalis (qui simul cum nocte expletur spatio vigintiquatuor horarum) variè à variis populis computatur. Persæ sumunt diei principium ab ortu Solis, & durare faciunt usque ad sussequentem Solis ortum. Athenienses, ac Marcomani ab occasu Solis, usque ad alium occasum. Galli, Hispani, & ferè omnes Germani ab uno meridie usque ad alium meridiem, ut ex Aulo Gellio, Tiraquello, ac aliis ostendit Antonellus *de Tempore Legali libr.* 1. *cap.* 3. *num.* 30. At secundùm morem Romanum, quo utitur Ecclesia Catholica respectu jejuniorum, ac festivitatum, dies naturalis incipit à media nocte præcedente, & finitur media nocte subsequente. *l. More Romano.* ubi Glossa, & DD. *de Feriis.* 6 Decius *in cap. Consuluit. num.* 40. *De Offic. Deleg.* Riccius *in praxi part.* 4. *resol.* 568 & tali pacto est computandus dies pro non celebrandis, vel celebrandis Matrimoniis, adveniente, vel recedente Adventu Domini, & Quadragesima, videlicet à media nocte ante primam Dominicam Adventus, quia tunc incipit prohibitio, usque ad mediam noctem post festum Epiphaniæ, in qua eadem cessat: & à media nocte ante feriam 4. Cinerum, usque ad mediam noctem post Dominicam in Albis; & juxta hanc præfixionem temporis veniti incipientis, ac definentis in medietate noctis intelligendum est Calendarium Patavinum, quando dicit: *Hodie in sero claudumtur Nuptiæ,* & *Hodie in manè aperiuntur Nuptiæ,* nempè 7 ly *in sero*, idest in media nocte subsequente, & ly *in manè* in media nocte antecedente, juxta computationem diei naturalis more Romano jam dicto; verba enim sunt semper accipienda secundùm terminos habiles, ac juxta dispositionem Juris. Rota *coram Durano Decis.* 228. *num.* 9. & Barbosa *in Votis Decisivis libr.* 3. *Vot.* 97. *num.* 76. Nec est omittendum, quòd juxta hanc computationem diei naturalis à media nocte ante, usque ad mediam noctem subsequentem incipiunt Menses Apostolici, & Menses Ordinarii, pro conferendis beneficiis, quæ vacant vel in fine, vel in 8 principio Mensis, ubi Episcopi habent alternativam cum Apostolica Sede, ut differt Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellar. glossa* 11. *num.* 9. *&* 10. Jordanus *libr.* 10. *tit.* 12. *num.* 43. & Antonellus *de Tempore legal. libr.* 1. *cap.* 3. *num.* 28. Est tamen verum, quòd dies Ecclesiasticus pro mutatione officii, seu Horarum Canonicarum, atque pro recipiendis Indulgentiis in visitatione Ecclesiæ aliquo die festo, incipit, ac numeratur à primis Vesperis diei antecedentis, & durat usque ad Vesperas diei sub- 9 sequentis, quarum nomine venit tota dies usque ad occasum Solis *cap.* 1. *Extr. de Feriis. Clem.* 1. *in fin. de Reliq. & Vener. Sanct.* Antonellus *d. libr.* 1. *cap.* 3. *num.* 31. *&* 38. ubi ulteriùs notat, quòd dies civilis habet suam propriam numerationem, nempè ab ortu Solis, usque ad occasum, exclusa nocte; ideòque aliquando est longior, aliquando est brevior, 10

vior, juxta varietatem signorum, quæ Sol scandit in Zodiaco, ascendendo, vel descendendo, ut latè tradunt Ludovicus Passeronus *de Sphera Artific. ac Natur. cap.* 8. & D. Guarinus de Guarinis Clericus Regularis *in Compendio Sphera cælestis cap.* 6.

Altera difficultas est, an Parochus, tempore Adventus, & Quadragesimæ possit assistere Matrimoniis absque licentia, seu dispensatione Episcopali, omissa Sponsorum benedictione? 11 Pro resolutione difficultatis sciendum est, Theologos morales communiter dicere, *tempore feriato*, idest in Adventu, & in Quadragesima, prohibitas esse ab Ecclesia solemnitates Nuptiarum, non etiam ipsas Nuptias. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 7. *num.* 12. ubi DD. qui appellatione solemnitatum intelligunt tum convivia, cantus, choreas, traductionem Sponsæ de domo paterna ad domum Sponsi cum pompa, ut antiquitùs erat in usu; de quibus pompis, ac so- 12 lemnitatibus fusè agit Sherlogus in *Cantic. tom.* 1. *Anteloq.* 3. *sect.* 3. *à num.* 86. *& seqq.* ubi Historiæ, ac eruditiones plures: tum benedictionem à Missali Romano, *in Missa pro Sponso, ac Sponsa* præscriptam, quam Parochus Sacrificium celebrans bis conversus ad Sponsos adstantes, super eis effundit. Igitur quæritur, An his solemnitatibus sacris, ac profanis omissis licitum sit Parocho assistere Matrimoniis in Adventu, ac Quadragesima absque Episcopali licentia? Et respondetur Negativè, si contraria sit consuetudo Diœcesis, vel id ve- 13 tent Synodales Constitutiones. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 7. *num.* 13. Bonacina *de Matrim. q.* 3. *punct.* 14. *n.* 4. & Pax Jordanus. *libr.* 3. *tit.* 7. *num.* 135. Ratio est manifesta, quia tam Synodus Diœcesana, quàm consuetudo Diœcesis habent vim legis. *cap. fin. de consuetudin.* & derogant *cap. Capellanus. De Feriis*, ac Rituali Romano dicentibus, Matrimonium quocunque tempore celebrari posse. Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 36. *num.* 51. *& 55.* Propterea, si Parochus absque licentia Episcopali assisteret Matrimonio in hac Diœcesi Patavina, tempore Adventus, vel Quadragesimæ, in qua contraria est consuetudo, peccaret mortaliter. Fagnanus *in cap. Si quis. num.* 42. *De Regular. tom.* 5. & esset de Jure punibilis. Bellettus *de Pœnis Cleric. part.* 2. §. 53. *num.* 4. prout punitus fuit quidam Archipresbyter, qui ausus fuit in Quadragesima conjungere in Matrimonium Sponsos, absque mea licentia, dum essem Vicarius Generalis.

Tertium Impedimentum impediens tantùm vocatur *Catechismus.* Est autem Catechismus instructio fidei, quæ fit ante januam Ecclesiæ super baptizando, per Parochi baptizantis in- 14 terrogationes, quibus respondet Patrinus, tenens ad ipsam januam puerum baptizandum; & per hanc Sacram cæremoniam Patrinus de Jure antiquo contrahebat Spiritualem Cognationem cum baptizato, ac ejus parentibus, quæ cum illis impediebat Matrimonium, *cap. Contracto. De Cognat. Spirit. & cap.* 2. *eod. tit. in* 6. & dicebatur Impedimentum impediens Catechismi. Modò disputant Theologi, an post Concilium Tridentinum hoc Impedimentum sit ab eo sublatum? vel adhuc duret? & adhuc durare asserunt Palaus, Ugolinus, Navarrus, Vega, & alii, quos sequitur Emin. Card de Lauræa *d. disp.* 36. *toto art.* 2. ubi acutissimis rationibus conatur probare, hoc *Catechismi* Impedimentum non esse à Concilio Tridentino sublatum; sed durare, & impedire conjugium inter illas personas, inter quas contrahitur Cognatio Spiritualis Matrimonium dirimens per susceptionem baptizati de fonte. Contrarium tamen docent communiter DD. affirmantes, à Concilio Tridentino hoc Impedimentum Catechismi esse sublatum, ea ratione quia *in sess.* 24. *de ref. Matrim. cap.* 2. cùm restrinxisset Cognationem Spiritualem ad Baptizantem, Patrem, & Matrem baptizati, ipsumque baptizatum, ac Patrinos designatos eum de fonte levantes; idemque statuisset pro Sacramento Confirmationis, subdit: *omnibus inter alias personas hujus Spiritualis Cognationis impedimentis omninò sublatis.* Ergo etiam istud Catechismi, ut ajunt DD. quos citat, & sequitur Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 10. *num.* 12. quibus adhærent Salmanticenses, alios etiam moderniores allegantes *d. tract.* 9. *cap.* 13. *num.* 3. Aversa *de Matrim. quæst.* 10. *sect.* 3. *in fine.* Basilius Pontius *d. libr.* 6. *cap.* 11. ubi *num.* 3. ponit declarationem Sacræ Congregationis ex Farinacio desumptam, quam in libris originalibus se vidisse testatur Nicolius *in Lucubrat. Civilib. libr.* 1. *tit.* 10. *num.* 37. *& 76. in fine.* & hoc idem novissimè docet Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 350. addens, non esse necessarium super hoc Impedimento Catechismi petere dispensationem sivè à Papa, sivè ab Episcopo, quia ex universali consuetudine non est ampliùs in usu, & censetur verè à Tridentino Concilio sublatum.

Quartum Impedimentum impediens sunt *Sponsalia* cum altera persona priùs contracta. Idcircò qui uni spopondit, non potest cum alio Matrimonium contrahere, quia est contra fidelitatem, & contra Justitiam, rem uni promissam alteri tradere: idcircò qui spretis primis 15 Sponsalibus cum alio Matrimonium contrahit, illicitè agit, & mortaliter peccat, quamvis validus sit contractus. Durat autem hoc Impedimentum, donec Sponsalia priora dissolvantur vel per consensum illius, cum quo fuerunt inita; sivè per aliquam ex causis, per nos supra relatis in *Decis XVII.* nec aliud suggerunt DD. circa hoc Impedimentum, ut ajunt Salmanticenses *d. cap.* 13. *num.* 4. & Mastrius *d. disp.* 7. *numer.* 356.

Quintum Impedimentum impediens est *Votum simplex castitatis*, quod qui emisit, non potest licitè contrahere Matrimonium. *cap. Si quis votum* 27 *q.* 1 *cap. Unico. De Voto in* 6. ea ratione, quia Matrimonium repugnat adim- 16 pletioni hujusmodi Voti, & qui eo adstrictus Matrimonium contrahit, graviter peccat, nec licitè potest petere debitum, quamvis reddere teneatur. S. Thomas *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1 *art.* 3. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 351. Cæterùm circa hoc Impedimentum tria dubia à DD. exagitantur. *Unum est*, an qui fecit Votum simplex perpetuæ castitatis, possit absque peccato nubere, animo tamen non consummandi Matrimonium? & communis responsio est, quòd possit, consentiente tamen altero Sponso, priùs de prædicta Voti obligatione certificato. Ita Mastrius *d. disp.* 6. *num.* 352.

num. 352. ubi ait, ita fecisse Sanctissimam DEIPARAM, ac Sanctum JOSEPH, ut nos probavimus *supra Decis. III. num.* 21. *Alterum* dubium est, An quis possit vovere Castitatem, deindè contrahere Matrimonium animo non consummandi, sed intra bimestre ingrediendi Religionem ? Ad hoc respondent DD. quòd licèt hic non peccet contra Votum, peccat tamen contra justitiam, si inscio Sponso de sua intentione contrahat; facit enim ei injuriam; & ponit in necessitate expectandi non solùm per bimestre, antequam ingrediatur Religionem, sed per annum, & ultra antequam in ea profiteatur; ex qua dilatione ei evenire possunt multa incommoda; quare dicendum est illicitum esse hoc modo inire conjugium; sed esse, ante illius contractum, aperienda omnia alteri Sponso, ut deliberet, an velit, vel non, cum habente tale votum, ac talem obligationem contrahere. Ita Aversa *d. q.* 10. *sect.* 4. & Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 353. & 354. *Tertium* dubium est, An votum castitatis simplex impediat Matrimonium, etiamsi emissum sit post contracta Sponsalia ? Discordes sunt in responsione DD. Nam alii volunt, votum post Sponsalia emissum illa non solvere, 18 sed teneri Sponsum voventem petere dispensationem, & adimplere Sponsalia. Alii è contra tenent, Sponsalia solvi, & voventem Sponsum teneri adimplere votum, quia est de meliori bono. Ita Aversa *d. q.* 10. *sect.* 4. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 304. Et Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 36. *art.* 3. §. 2. & §. 3. ubi hoc idem esse à vovente faciendum affirmat, etiamsi Sponsam defloraisset; quamvis in hoc casu Aversa *d. q.* 10. *sect.* 4. dissentiat, putans, teneri, ad reparandum honorem Sponsæ, petere dispensationem voti, & cum illa Matrimonium contrahere, sed de hoc dubio videantur quæ à nobis dicta sunt supra *in d. Decis. XVII. num.* 16. Et hæc de Impedimentis impedientibus, quæ sine delicto, & à solo Jure proveniunt.

Impedimenta verò Impedientia, quæ oriuntur ex delicto, sunt septem, & in his versibus continentur:

Incestus, Raptus Sponsatæ, Mors Mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, Mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc Conjugium sociandum.

Hæc omnia appellantur crimina, quæ reddunt inhabilem ea committentem ad quodcunque Matrimonium de cætero contrahendum in pœnam gravissimæ injuriæ, quam intulit Sacramento Matrimonii, dum unum aliquod ex iisdem criminibus perpetravit; ut constat ex sequentibus eorundem explanationibus.

Incestus itaque est Impedimentum impediens; & per tale crimen intelligitur Fornicatio cum Affine in gradu prohibito; scilicet quando Vir habet copulam cum consanguinea Uxoris suæ usque ad quartum gradum: vel è contra 19 Uxor copulam habuit cum consanguineo Viri sui, pariter usque ad quartum gradum; talis enim copula incestuosa facit Impedimentum impediens, adeò ut Vir post mortem Uxoris non possit ampliùs contrahere Matrimonium cum alia quacunque; & è contra neque Uxor cum quocunque, si ipsa commisisset incestum, dummodò tamen scienter, ac sponte illud commiserit. *cap.* 1. & *cap. Transmissa De eo, qui cognov. consanguin. Uxor.* Sanchez *libr.* 7. *disp.* 15. Mastrius *disp.* 7. *num.* 357. Eminent. Card. de Lauræa *d. disp.* 36. *num.* 216. & 217. ubi plures Canones allegat; & Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 13. *num.* 6. qui advertunt, quòd hodie hoc Impedimentum non extenditur ultra secundum gradum, quia usque ad illum restricta est Affinitas ex illicita copula à Concilio Tridentino *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 4. & ob eandem rationem Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 15. *num.* 5. opinatur, quòd incestus commissus à Sponso per copulam illicitam cum consanguinea Sponsæ suæ de futuro, non causet hoc Impedimentum impediens in eodem Sponso, nisi incestus sit in primo gradu, quia ex Concilio Tridentino Publica Honestas proveniens ex Sponsalibus de futuro non extenditur ultra primum gradum.

Hæc autem dicta ita intelligenda sunt, ut ex incestu prædicto non insurgat hoc crimen Incestus impediens tantùm, ne Sponsus incestuosus possit cum alia quacunque muliere novas Nuptias inire; non autem ut possit ducere in Uxorem Sponsam suam de futuro post commissum incestum cum consanguinea ejudem Sponsæ extra primum gradum; quia si habuerit co- 20
pulam illicitam cum prædictæ Sponsæ suæ consanguinea in secundo gradu, ex tali copula insurgit Impedimentum Affinitatis, quod dirimit Matrimonium; & ideò absque dispensatione non potest ampliùs ducere in Uxorem per Verba de præsenti Sponsam ipsam, cum qua contraxerat Sponsalia de futuro, ut latè docuimus *in Decis. XXXI. à num.* 11. *& seqq.* & sic ex incestu duo proveniunt Impedimenta: *Unum* dirimens ob Affinitatem, si nondum Matrimonium sit initum, ut incestuosus non possit petere debitum: *Aliud* impediens tantùm, nempè crimen istud incestus, de quo agimus; à quo inhabilitatur incestuosus ad quodcunque conjugium cum quavis alia muliere licitè contrahendum. Ratio est, quia peccavit graviter contrà Matrimonium, fornicando cum consanguinea Uxoris vel Sponsæ suæ; &, in pœnam hujus peccati, repellitur deinceps, tanquam indignus, à Sacramento Matrimonii. Eminent. Card. de Lauræa *d. disp.* 36. *art.* 4. & Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 357. Dubia autem tria pariter promovent DD. circa hoc incestus Impedimentum. *Unum* est, an oriatur, si Maritus ipsum committat non cum consanguineis Uxoris 21
suæ, sed cum mulieribus consanguineis sui ipsius ? Et magis communis responsio est negativa; quia licèt sit grave peccatum, non est tamen adeò injuriosum alteri conjugi, prout est, rem carnalem habere cum consanguineis ejusdem conjugis. Ita Armilla *Verb. Matrimonium. num.* 57. Candidus *Disquisit.* 28. *art.* 16. *dub.* 1. & alii apud Salmanticenses *d. cap.* 13. *num.* 7. & apud Mastrium, quibus & ipse adhæret *d. disp.* 7. *num.* 357. Contrarium tamen mordicùs tenent Basilius Pontius *lib.* 6. *cap.* 13. & Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 36. *à num.* 224. *& seqq.*

ubi

ubi Canones citat, quibus nulla dari potest contraria responsio; nam expressè prohibent, incestuosos, qui polluerunt proprias consanguineas suas, posse amplius contrahere Matrimonia. *Alterum* dubium est, an hoc Impedimentum criminis Incestus impediens insurgat, si commissum sit, non vivente conjuge; sed post ejus mortem? Et pariter DD. communiter respondent negativè
22 quia cessante Matrimonio per mortem conjugis, cessat injuria ejus, ac Sacramenti. Salmanticenses, qui alios DD. citant *d. cap.* 13. *num.* 7. Sed contrarium tenent alii plurimi, quos allegat Mastrius *d. num.* 357. quibus adstipulatur Eminent. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 36. *à num.* 235. *& seqq.* ubi Jura, & rationes ponit pro sua affirmativa opinione. Pro concordia harum opinionum dicerem, quòd de Jure antiquo, quando disciplina Ecclesiastica vigebat, & incestuosæ carnalitates debita severitate puniebantur, incestus commissus etiam post mortem conjugis faciebat incestuosum indignum Matrimonio; at novissimis temporibus, in quibus Prælati Ecclesiarum parum, aut nihil curant de delictis carnis, etsi gravissimis, cessat hoc
23 Impedimentum. *Tertium* dubium est, Utrùm oriatur hujusmodi Impedimentum, si incestus sit occultus? Quod est dicere, An obliget in foro poli? Plurimi negant, per textum in *Concil. Lateranens.* 3. *tit. De eo, qui consanguineam &c. cap.* 1. Sed constanter affirmat Eminent. Card. de Lauræa *d. disp.* 36. *num.* 239. *& seqq.* usque *ad num.* 245. ubi allegat Glossam sic tenentem *in cap. Qui dormierit. Verb. Neutram.* 32. *quæst.* 7. & textui Concilii Lateranensis respondet, ibi nominari incestum publicum quod ad alias pœnas incestuosis infligendas, non quo ad eos repellendos à novo contractu Matrimoniali.

Raptus Sponsæ alterius est crimen, ex quo pariter provenit Impedimentum impediens, nam in pœnam hujus facinoris Raptor prohibetur Matrimonium contrahere cum quacunque alia mu-
24 liere *cap. Statutum.* 27. *qu.* 2. & ibi DD. à Barbosa collecti. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 12. *num.* 43. & nos diximus supra *Decis. XXXIII. num.* 8. ubi hanc rationem notavimus, videlicet: ut qui alienum Matrimonium perturbare ausus fuit, jure contrahendi proprium Matrimonium privetur, & in eo, in quo deliquit, puniatur. Utrùm autem Raptus hoc Impedimentum generans debeat esse de Uxorata, vel de Desponsata tantùm per verba de futuro? Etsi de Uxorata tantùm asserat Sanchez *d. disp.* 12. *num.* 45. nos *d. num.* 8. verius esse diximus, si rapta sit etiam Sponsa de futuro, quia supradictus textus *in cap. Statutum.* 27. *q.* 2. nominat Sponsam in genere, & in utroque casu infertur gravissima injuria Sponso ipsius.

Uxorcidium quoque est crimen producens impedimentum impediens, quando scilicet Maritus ob iram, dissensiones, ac altercationes cum sua Uxore, eam occidit; in pœnam enim tanti flagitii,
25 prohibitus est amplius contrahere. *cap. Interfectores. cap. Admonere. cap. Quicunque.* 32. *quæst.* 2. Unde Lector studiosus advertere debet, hoc crimen Uxoricidii impediens tantùm esse diversum à crimine dirimente, quod oritur per occisionem propriæ Uxoris, ad effectum contrahendi cum altera; istud enim Uxoricidium non fit ad hunc finem, sed ex ira, vel indignatione tantùm. Salmanticenses *d. cap.* 13. *de Matrim. num.* 9. At petet aliquis, quid Juris, si Maritus occidat Uxorem deprehensam in adulterio? Respondetur, affici hoc impedimento impediente, quia ei non licet propria auctoritate Uxorem adulteram occi-26 dere; sed eam Judici deferre, à quo si servatis servandis morte plectatur, non insurget hoc impedimentum. Sanchez *d. libr.* 7. *disp.* 16. *num.* 2. Basilius Pontius *d. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 2. & Salmanticenses *eod. cap.* 13. *num.* 9. At quid Juris, si Uxor occidat Maritum? Ex ejus Viricidio oritne ipsa prohibita in perpetuum alteri nubere? Negat Sanchez *d. disp.* 16. *num.* 6. & alii DD. 27 quos citant, & approbant Salmanticenses *d. cap.* 13. *num.* 9. *in fine*, ea ratione, quia hoc impedimentum statutum est à Jure Canonico ad reprimendam audaciam Maritorum, quæ non reperitur in Uxoribus de sui natura timidis, & minimè assuetis talia facinora perpetrare. Contrarium tamen docet Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 36. *num.* 252. *& seqq.* per textum *in cap.* 1. *De Divortiis*, in quo expressè dicitur, quòd ipsa Uxor, quæ vitæ mariti sui fuerat insidiatrix, *pœnitentiæ, absque spe conjugii, stet subjecta.*

Susceptio propriæ sobolis in Sacramento Baptismi, seu Confirmationis parit impedimentum impediens; eò quia qui absque necessitate tenet ad fontem, & suscipit, dum baptizatur sivè con-28 firmatur proprius filius, contrahit cognationem spiritualem cum suo conjuge, à quo amplius petere debitum maritale non potest; cùmque id censeatur facere ad injuriam inurendam Sacramento Matrimonii, eo in perpetuum carere vult Ecclesia in pœnam hujusmodi irreverentiæ, ut legitur *in cap. De eo.* 30. *quæst.* 1. ubi relato hoc casu susceptionis propriæ prolis ad fontem, sic est statutum: *Si prævaricator conjugii supervixerit, acerrima Pœnitentia mulctetur, & sine spe conjugii maneat.* Hoc idem docet Glossa *ibidem*; Salmanticenses *d. cap.* 13. *num.* 10. & Eminen. Card. de Lauræa *d. disp.* 36. *num.* 270.

Mors Presbyteralis, idest occisio Presbyteri impedit Sacrilegum occisorem, ne possit Matrimonium contrahere in pœnam hujus gravissimi facinoris, quando tamen de eo est convictus, *cap.* 29 *2. de Pœnitent. & Remission.* ubi sic: *Qui Presbyterum occiderit &c. convictus usque ad ultimum vitæ suæ militiæ cingulo careat; & absque spe conjugii maneat.* Quod latiùs explicant Glossa *ibidem.* Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 16. *n.* 9. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 360. & Emin. Card. de Lauræa *disp.* 36. *num.* 255.

Pœnitentia solemnis pariter causabat Impedimentum, quod impediebat, ne pœnitens Matrimonium contraheret, tum in pœnam criminum, quorum causa publicè pœnitebat, tum ob in-30 congruentiam Status pœnitentialis, qui erat lacrymosus, cum Nuptiis, ac conjugiis, quæ statum lætitiæ præferunt, *cap. De his verò. cap. Admonere. cap. In adolescentia. & in cap. Si quis cum duabus.* 33. *quæst.* 2. De hoc impedimento præter Sanchezium *d. libr.* 7. *disp.* 16. Mastrium *d. disp.* 7. *num.* 361. & Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 36. *à num.* 259. *& seqq.* latè differit Morinus *De Administr. Sacram. Pœnit. libr.* 5. *cap.* 21. *& cap.* 22. ubi de Publicarum Pœnitentiarum usu usque ad sæculum duodecimum.

Monialem tandem professam si quis præsumat in Uxorem sibi copulare, præter alias pœnas, qui-

bus coercetur, etiam spe futuri conjugii cum quacunque alia muliere privatur. *cap. Hi ergo.* 31 27. *quæst.* 1. cujus hæc sunt verba: *Hi ergo, qui Sanctimonialibus scienter Matrimonio, ad injuriam Christi, copulati sunt, juxta censuram zeli Christiani separentur; & nunquam eis concedatur conjugali vinculo colligari.* Rationem hujus impedimenti impedientis reddit Aversa *de Matrim. quæst.* 10. *sect.* 5. *Vers. Septimum crimen* ita scribens: *Et meritò, quia sic contrahens delinquebat in Matrimonium carnale, tentans quod non poterat; & in Matrimonium spirituale, volens sibi usurpare Sponsam Christi, Deo dicatam.* Deindè advertit, hoc impedimentum afficere etiam Mulierem Laicam, quæ causa esset nubere scienter Viro Religioso, quod quoque notat Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 363.

Cæterùm etiam circa hæc septem recensita Impedimenta, ex crimine provenientia, ac impedientia Matrimonium, dubia tria excitant Theologi, à studioso Lectore non ignoranda. 32 *Unum* est, Utrum conjugatus privetur jure petendi debitum, si aliquod ex supradictis criminibus committat; prout privaretur spe ineundi Matrimonii, si non esset conjugatus? Respondent DD. negativè, præterquvàm in duobus, nempe in Voto castitatis, & Incestu; hæc enim duo impedimenta impedientia si conjugatum afficiant, eum Jure petendi debitum privant. Salmanticenses *d. cap.* 13. *n.* 14. & ibi textus *in cap.* 1. *De eo, qui cognovit consanguin.* subdunt tamen, quòd quamvis petere non possit, nisi dispensetur, reddere tamen est obligatus. In reliquis verò impedimentis, si incurrens in illa sit conjugatus, non solùm reddere, 33 sed petere debitum potest, quia nulla datur lex, quæ tali jure illum spoliet. *Alterum* dubium est, an supradicta omnia duodecim impedimenta impedientia sint in suo robore, itaut sit peccatum cum illis contrahere Matrimonium? Duæ sunt opiniones. *Prima* tenet, non esse amplius in suo robore, neque nunc obligare, tribus exceptis, videlicet *Interdicto*, *Voto*, & *Sponsalibus*; & ideò reliqua omnia tanquam ab usu, & consuetudine abrogaa, scientibus, ac consentientibus Ecclesiarum Prælatis, non amplius impedire, & eorum aliquo irretitum contrahentem Nuptias non peccare. Navarrus *in Summ. cap.* 22. *num.* 75. Sanchez *libr.* 7. *disp.* 17. *num.* 9. Basilius Pontius *libr.* 6. *cap.* 14. &, aliis pluribus citatis, Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrimon. cap.* 12. *n.* 15. *Secunda* opinio tenet, ea etiam nunc esse in suo robore, impedire, ac obligare; & per consequens peccare mortaliter illum, qui aliquo ex prædictis impedimentis affectus de facto conjugium iniret; quia Sacri Canones semper valent, & vivunt; consuetudo autem contraria est abusus, ac corruptela, si fortè alicubi reperiatur, quæ tamen negatur ubique invaluisse, ut fortiter demonstrat Emin. Cardin. de Lauræa, qui hanc opinionem tenet, ac rationibus roborat *in cit. disp.* 36. *art.* 5. *à num.* 372. *usque in finem.* prout etiam antea fecêre Emin. Card. Toletus *lib.* 7. *cap.* 19. & Rebellius *libr.* 3. *cap.* 18. Concordare conatus has duas discrepantes opiniones novissimè Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 365. distinguens: Vel crimina suprarelata, ex quibus proveniunt ipsa impedientia impedimenta, sunt ad forum contentiosum delata, atque in eo probata? Et in hoc casu procedit opinio affirmans, ea esse in suo robore, qua tales criminosi præter alias pœnas, debent etiam spe futuri conjugii privari. Vel sunt occulta, & de eis notitia non habetur, nisi in foro poli? Et in tali casu non obligant, ac absolutus à criminis culpa in foro Sacramentali potest absque peccato, si velit, Matrimonium contrahere. *Tertium* dubium est, quis possit dispensare in supradictis omnibus Impedimentis impedientibus? Respondent concorditer Theologi, ac Canonistæ, quòd Episcopus potest dispensare, quia talis est universalis approbata consuetudo, exceptis tamen Impedimentis Sponsalium, ac Voto absoluto Castitatis seu Religionis. Siquidem in Sponsalibus non potest Episcopus dispensare, ut unus ex Sponsis, altero invito, contrahat Matrimonium cum alio; sed agere debet tanquam Judex, & cognoscere, an sit causa justa resiliendi à Sponsalibus, vel non? & secundùm justitiam causæ pronunciare, vel pro dissolutione Sponsalium, vel pro eorum executione. In Voto autem Castitatis, seu Religionis absoluto, solus Papa dispensat. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 17. Navarrus *d. cap.* 22. *n.* 85. & Salmanticenses, qui alios DD. cumulant *d. cap.* 13. *num.* 16. & 17. ubi inferunt, quòd si Votum Castitatis non fuerit absolutum, sed conditionatum, Episcopus potest in illo dispensare, etiam conditione adimpleta; & idem dicunt de Voto pœnali, nec non de Voto non 35 perpetuo, sed ad tempus limitatum facto; prout quoque de Voto servandæ Virginitatis, quia ea per primum carnis lapsum amissa, non amplius obligat, nisi intellexisset nomine Virginitatis perpetuam castitatem; item si quis vovisset tantùm castitatem conjugalem, vel non ducere Uxorem, aut non tangere mulierem libidinis causa, seu de sumendis Ordinibus Sacris; in his enim omnibus casibus Episcopum posse dispensare amplè probat Jordanus *tom.* 2. *libr.* 9. *tit.* 1. *à num.* 271. & *seqq.* in contingentia facti legendus, ac iidem Salmanticenses *de num.* 17. concludentes, etiam in Voto Castitatis absoluto, ac perpetuo posse Episcopum dispensare, si periculum sit in mora alicujus gravis scandali, vel ob paupertatem voventis difficilis sit aditus ad Papam.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

De Usu Matrimonii quinque Quæstiones proponuntur, & examinantur, ad cognoscendum, An sit Actus bonus? cadatque sub præcepto? Quatuor circumstantiæ recensentur à Conjugibus in copula maritali servandæ; idest Finis, Temporis, Loci, ac Modi, circa quas, aliosque actus inhonestos, Uxoratis permissos, strictim, ob ruborem, docetur quidquid latè à Moralistis de iisdem tractatur. S. Francisci Salesii, atque S. Ephrem effata pia, sed energetica.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Usus conjugalis an sit actus bonus?* & num. 6.
2 *Eucharistiam sumpturi debent ab Uxoribus abstinere.* & num. 15.
3 *Græci uxorati per totam Quadragesimam Uxorem non tangunt.*
4 *Copula maritalis an sit actus meritorius?*
5 *Hæretici damnantes copulam conjugalem.*
6 *Communionem recepturi ob reverentiam ejus abstinent ab Uxore.*
7 *Copula maritalis cum recta intentione facta meretur gratiam.*
8 *Gloria accidentalis dabitur exercentibus Matrimonium intentione recta.*
9 *Aqua benedicta cur stet in januis Ecclesiarum?*
10 *Copula maritalis ad evitandam incontinentiam est finis secundarius.*
11 *Voluptatis causa conjuges coeuntes an peccent?*
12 *Copula maritalis an cadat sub præcepto?*
13 *Copulam conjux denegare potest in novem casibus. Et qui sint?*
14 *Circumstantiæ quatuor servandæ in usu Matrimonii, & quæ?*
16 *S. Francisci Salesii doctrina circa copulam die Cummunionis.*
17 *Copula maritalis nec in loco publico, nec in loco Sacro exercenda.*
18 *S. Ephrem Syri gratiosa responsio ad meretricem.*
19 *Ecclesia polluitur; si semen humanum in in ea effundatur.*
20 *Loco in sacro quando conjuges possint coire?*
21 *Modus naturalis coeundi à conjugibus servandus.*
22 *Medici Zacchiæ doctrina de illo.*
23 *Copula non completa an conjuges possint ab ea desistere?*
24 *Actus inhonesti an sint liciti inter conjuges?*

COmpleta omnium Impedimentorum Matrimonii explicatione, supereſt, ut de ejus Usu disseramus; circa quem Quæstiones quatuor sunt resolvendæ.

Prima est, Utrùm Matrimonii usus sit actus bonus? Et videtur respondendum negativè. I. Quia copula carnalis conjugatorum eos dividit à Deo; idcircò *Exod* 19. præcipitur Judæis, qui erant visuri Majestatem Domini in Monte Sinai, ubi in igne erat descensurus, ne ad uxores accederent. Et 1. *Reg.* 21. Abimelech antequam Panes Propositionis David daret, & servis ejus, interrogavit, an mundi essent à mulieribus? idest an ab Uxoribus abstinuissent; & *in cap. sciatis.* 33. *q.* 4. nec non *in cap. Omnis homo. cap. Quotiescunque. cap. Si causa.* & *cap. Christiano. De Consecrat. dist.* 2. præcipitur, ut qui sumpturi sunt Eucharistiam, abstineant ab actu conjugii per aliquot dies; prout etiam in festis solemnibus, & in diebus jejuniorum. In Ecclesia quoque Orientali mos est apud Græcos, ut Uxorati à copula conjugali per totam Quadragesimam abstineant; aliàs in Paschate à Sacra Communione arcentur, ut ex Balsamone demonstrat Morinus *de Sacram. Pœnitentiæ libr.* 6. *cap.* 26. *num.* 12. II. Quia S. Hieronymus ajebat *in Comment. super* 5. *Matth.* & habetur *in cap. Connubia.* 32. *quæst.* 2. *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur.* Ergo usus Matrimonii non est actus bonus. III. Etiam S Jo: Chrysostomus *Homil.* 1. *Operis Imperf.* inquit: *Matrimonium etsi utentibus pœnam non inferat, mercedem tamen non præstat.* IV. S. Gregorius quoque ait, ut legitur *in cap. Vir.* De *Consecr. dist.* 2. *Vir cum propria dormiens conjuge, nisi lotus aqua intrare non debet Ecclesiam.* Ergo non est actus bonus.

His tamen minimè obstantibus, dicendum est, quòd conjugalis copula secundùm se est actus bonus, ut ex SS. Thoma, Bonaventura, & Scoto ostendit Emin. Card. de Lauræa *de Matrim. disp.* 39. *art.* 1. licèt enim usque ab initio Ecclesiæ non defuerint Hæretici, qui hoc negarent, inter quos Saturninus *Anno* 120. qui asserebat, contractum Matrimonii esse inventum diaboli, & quòd ad procreationem sufficiebat vaga conjunctio; quod postea docebat Marcion Anno 146. dicens, uxoratos non posse salvari; nec non Manichæi, Hieracitæ, Albigenses, & alii, quos refert Salelles, & ex eo idem Emin. de Lauræa *d. art.* 1. *num.* 2. nihilominùs veritas stat in contrarium; siquidem Matrimonii usus à Deo ordinatus est, cùm dixisset *Genes.* 2. *Adhærebit homo Uxori suæ, & erunt duo in carne una;* scilicet per conjugalem copulam, ut explicat Benedictus Papa I. *in cap. Lex divina.* 27. *q.* 2. Et Apostolus Paulus 1. *Cor.* 7. ajebat: *Vir uxori debitum reddat, & Uxor viro.* Et confimatur, nam finis Dei in operando non potest esse malus: sed prolificatio fuit Dei finis, quæ per copulam Matrimonialem fieret; & tandem quia actus justitiæ est intrinsecè bonus: at copula carnalis inter conjuges est actus justitiæ, atque charitatis; ipsi enim per contractum Matrimonii permutant sua corpora ad hunc usum tum ob prolem suscipiendam, tum ad fornicationem evitandam; quapropter quandocunque hunc usum exercent, faciunt actum justitiæ, & charitatis. Ergo est actus bonus, ut ratiocinantur Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 39. *num.* 10. & *num.* 32. doctissimus Mastrius *in* 4. *sent. disp.* 7. *num.* 529. & Salmantticenses *tract.* 6. *de Matrim. cap.* 15. *num.* 3.

Ad contraria autem argumenta, & primò ad *Primum* respondetur, abstinentiam illam ab Uxoribus commendatam fuisse ob majorum reverentiam in suscipienda Eucharistia; & in spirituali reflexione ad Deum, quam facit homo orationis tempore, cujus figura fuit Visio Majestatis Divinæ Judæis ostensa per ignem in Monte Sinai, & panes propositionis ab Abimelech Sacerdote Davidi elargiti. Videtur autem quodammodo efficere reverentiæ prædictæ voluptas, ac delectatio, quam copula maritalis unitam habet, sine qua nullus ad illam induceretur; ea tamen non est mala in se, nisi per excessum,

cessum, aut tanquam finis principalis assumatur, ut latiùs differit Emin. Card. de Lauræa *disp.* 12. *eod. tract. de Matrimon. à num.* 92. *& seqq.* Ad *Secundum* respondetur, S. Hieronymum per ea verba dicere voluisse; quòd non est opus gratia speciali Spiritus Sancti in usu illo, quia sufficit gratia universalis ad quodcunque bonum opus agendum; ut declarat idem Eminentiss Cardin.
7 de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 96. subdens, quòd, si conjuges in actu illo ordinent intentionem suam ad finem supernaturalem, & ad Dei gloriam in prole suscipienda, tunc obtinent specialia gratiæ auxilia; prout credendum est obtinuisse S. Joachim, S. Zachariam Præcursoris genitorem, S. Ludovicum Regem Francorum, & alios Sanctos utriusque testamenti, qui sanctissimè usi sunt Matrimonio. Ad Tertium respondetur, S. Jo. Chrysostomum intellexisse de mercede substantiali gloriæ; non autem de accidentali, quæ potest mereri à conjugatis, cum recto fine Matrimonii usum exercentibus, ut
8 explicat ipse Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 12. *num.* 100. Ad Quartum dicendum, quia ut plurimum conjugati excessum committunt in usu illo, ideò antiquitus fideles adhibebant lotionem aquæ benedictæ; quæ deindè apposita est ad januas Ecclesiæ, ut ea se signantes, à maculis culparum venialium emundentur, ut latiùs
9 demonstravimus in nostris Decisionibus *de Baptismo Decis. XXXIX. num.* 5. *& seqq.* ubi quatuor præcipuos effectus posuimus Aquæ benedictæ, nempè. 1. Venialia peccata remittere. 2. Fugare dæmones. 3. Sanare infirmos. 4. Depellere adversitates, quos ibi studiosus Lector percurrere potest.

Ex supradictis tamen DD. faciunt hanc illationem, quòd licèt usus Matrimonii non sit malus, si fiat ob solum finem evitandi incontinen-
10 tiam, etenim quamvis hic non sit finis primarius Matrimonii, est tamen secundarius, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 7. *Qui non potest continere, nubat in Domino*: & illud: *Propter fornicationem autem* (idest evitandam) *unusquisque Uxorem suam habeat, & unaquæque suum Virum*; & ideò conjux, qui cum tali fine coit, neque venialiter peccat. Mastrius alios DD. cumulans *d. disp.* 7. *n.* 530. Aversa *quæst.* 21. *sect.* 4. Salmanticenses *d. cap.* 15. *num.* 56. nihilominùs si usus conjugalis fiat solius voluptatis, ac dele-
11 ctationis causa, ut plurimum est cum culpa veniali, non quia ipsa voluptas moderata sit peccatum, cùm insita sit à natura eidem usui, sicut delectatio in edendo, ac bibendo; & ut diximus supra, si voluptas in copula non esset, nullus eam exerceret: sed propter excessum in voluptate, ac delectatione, quem committit, qui ex hoc solo fine utitur Matrimonio; ut latè differunt Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 39. *num.* 50. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 532. & Salmanticenses *d. cap.* 15. *num.* 57.

Secunda Quæstio est, Utrùm copula conjugalis cadat sub obligatione? Circa quam omnes DD. respondent affirmativè, adeò ut con-
12 jux, altero petente copulam rationabiliter, teneatur illam ei reddere, & in eam consentire, juxta præceptum Apostoli *d.* 1. *Cor.* 7. *Vir Uxori debitum reddat, & Uxor viro*; quòd si absque legitima causa detrectet, gravem culpam committat *cap. Si. dicat Vir.* 33. *q.* 5. Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 39. *num.* 19. Salmanticenses *d. cap.* 15. *num.* 3. ubi notant, quòd hæc obligatio non solum urget, quando conjux expressè petit, sed etiamsi tacitè, per aliquod signum, vel indicium, ut sæpè accidit in Uxoribus, quæ ob rubórem, vel verecundiam non audent debitum à Marito expressè postulare. Ratio obligationis prædictæ sub pœna peccati est, quia conjuges ex vi contractus Matrimonii obligantur ad talem mutuam redditionem debiti; quia ex vi illius uterque tradi alteri potestatem sui corporis in ordine ad usum conjugii, & sic ex justitia ad tale debitum solvendum reciprocè obligantur. Sicut autem in aliis contractibus qui recusat rem tradere, ad quam tradendam ex justitia est obligatus, graviter peccat; ita conjux qui negat debitum alteri conjugi petenti. Hinc sequitur, quòd conjuges, qui se impotentes ad hoc debitum solvendum reddunt per nimias abstinentias, jejunia, ac austeritates vitæ, gravi culpa se aggravant, ut differunt DD. apud Sanchez *libr.* 9. *disp.* 3. *n.* 5. & Salmanticenses *d. cap.* 15. *num.* 6. & 7. addentes, peccare etiam mulieres, quæ nimis pœnitentiis se deformes reddunt, & pulchritudinem amittunt, cum periculo, ut Viri earum in adulterium cum aliis mulieribus cadant. Sed hunc casum in praxi à Confessoribus rarò audiri puto.

Porrò plures dantur casus, in quibus conjuges absque peccato solutionem debiti recusare possunt. I. Si imminèat periculum vitæ, aut gravis infirmitatis; siquidem ordo naturæ postulat, ut priùs consulatur incolumitati propri individui, quàm attendatur generationi prolis. Secùs autem si levis esset infirmitas, ut dolor dentium, capitis, aut parvæ febris. Sanchez *d. libr.* 9. *disp.* 24. Salmanticenses *d. cap.* 15. *n.* 9. & 10. ubi alios citant. II. Non tenetur Uxor debitum reddere, si Maritus sit Leprosus, morbo gallico graviter affectus; vel alia contagiosa infirmitate detentus. *cap.* 1. *De Conjugio Leprof.* Sanchez, ac Salmanticenses *ubi supra.* III. Si conjuges paupertate laborent, & cùm plures filios habeant, quos alere difficulter possunt, unus ex conjugibus velit à copula abstinere. Reginaldus *libr.* 31. *num.* 298. Aversa *quæst.* 29. *sect.* 7. Senchez *d. libr.* 9. *disp.* 25. & Salmanticenses *d. cap.* 15. *n.* 11. aliique ibi allegati. IV. Si mulier solita sit ex aliqua sui corporis imperfectione filios mortuos edere; quamvis in hoc casu plures DD. contrarium doceant. Sanchez *libr.* 7. *disp.* 102. *num.* 9. Reginaldus *d. libr.* 31. *num.* 287. & 288. Salmanticenses, alios allegantes *d. cap.* 15. *num.* 12. V. Si conjux injustè, vel illicitè petat; puta quia vel adulterium cum alia commisit, vel affinitatem contraxit per copulam habitam cum consanguinea Uxoris in primo, aut secundo gradu, vel est voto castitatis adstrictus; vel petit intra bimestre à die contractus Matrimonii; vel si cognationem spiritualem elevando filium de fonte baptismali iniisset. Salmanticenses *d. cap.* 15. *à num.* 13. *& seqq.* novissimè Mastrius *d. disp.* 7. *à num.* 537. VI. Si Uxor sit gravida, & per copulam timeat de occisione fœtus in utero, vel de abortu, nam tunc potest debitum marito negare. *cap. Origo* 32. *quæst.* 4. ubi Glossa *in fin.* hanc reddit rationem: *quia ex concussione perit partus*; nec non *cap. Non solum.* 32. *q.* 7. VII. Si mater nondum puerum natum ablactaverit,

ctaverit, recusare enim potest redditionem debiti Marito per *cap. fin. dist.* 5. ubi S. Gregorius Papa sic inquit: *Ad ejus verò* (matris) *concubitum Vir ejus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur.* VIII. Item si Uxor reperiatur suis purgationibus, ac menstruis obstricta. *d. cap. fin.* Eminent. Card. de Lauræa *d. disp.* 39. *n.* 96. *& seqq.* Et Salmanticenses *d. cap.* 15. *n.* 76. ubi tamen ajunt, esse tantùm peccatum veniale, Uxorem menstruatam carnaliter cognoscere. IX. Si conjux sit dubius, & habeat probabilem opinionem de invaliditate Matrimonii. Sanchez *libr.* 2. *disp.* 39. *num.* 5. Bonacina *de Matrim. quæst.* 4 *punct.* 4. *à num.* 16. Aversa *quæst.* 17. *sect.* 3. Diana Coordinatus, alios DD. cumulans *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 176. quæ in veteri reperitur *part.* 4. *trct.* 4. *resol.* 48. noviſſimè Salmanticenses, qui fusè hunc casum examinant, & circa eundem plures limitationes, ac declarationes faciunt *in d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 15. *punct.* 4. *per totum.*, ibidem à Studiosis videndas.

Tertia Quæstio est: Quot circumstantiæ sint servandæ à conjugibus in usu Matrimonii, ne peccatum committant? Respondent DD. quatuor circumstantias esse ab eis observandas. 14 *Prima* est, ut moveantur ad illum usum ob bonum finem; talis autem erit, si intendant, fidem sibi servare, significationem Sacramenti perficere, incontinentiam fugere, ac prolem ad Dei gloriam generare. Sanchez *libr.* 9. *disp.* 11. *num.* 4. Basilius Pontius *libr.* 10. *cap.* 8. *num.* 5. Aversa *qu.* 21. *sect.* 4. & Salmanticenses *d. cap.* 15. *num.* 56. quo loco tamen dicunt, quòd erit peccatum veniale, si prolem generare intendant solo desiderio successionis, & propagationis familiæ. *Secunda* circumstantia erit respectu temporis, nempè Festorum solemnium, Quadragesimæ, Jejuniorum, ac publicarum Orationum juxta illud Apostoli 1 *Cor.* 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Quamvis autem hæc circumstantia temporis secundùm communem Theologorum opinionem sit ex consilio, non autem ex præcepto. Sanchez *d. libr.* 9. *disp.* 12. *num.* 5 Basilius Pontius 15 *libr.* 10. *cap.* 9. & Aversa *quæst.* 2. *sect.* 6. tamen quo die conjuges recepturi sunt Sacram Eucharistiam, debent à copula abstinere *cap.* 1. *cum quatuor sequentibus* 33. *quæst.* 4. quia non possunt excusari à culpa veniali, si tali die ex nimia carnis concupiscentia, vel voluptatis capiendæ gratia coeant, nam ex ea magna oritur distractio, & mentis hebetudo. S. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 7. *ad.* 2. Sanchez *libr.* 9. *disp.* 13. *num.* 8. & Salmanticenses *d. cap.* 15. *num.* 59. qui idem statuunt de copula post Communionem eadem die, nisi gravis causa urgeat, quæ ab irriverentia excuset, Pium, ac studiosum Lectorem ne pigeat audire Sanctum Franciscum Salesium de hac circumstantia sic ad suam *Filotheam*, idest Animam devotam, *p.* 2. *cap.* 20. loquentem:

Bisogna, che to dica questa parola per le persone maritate. A Dio non piaceva nell' antica Leg- 16 *ge, che li creditori volessero esigere ciò, che era loro dovuto ne' giorni di Festa. Mà non vietò mai, che i debitori non pagassero, e rendessero il loro debito à quelli, che lo dimandavano. Questa è cosa indecente, se bene non è grán peccato, il solecitare il pagamento del debito Matrimoniale il giorno, che uno si è communicato: mà non stà male, anzi è cosa meritoria il pagarlo. Quindi è, che per rendere questo debito. non deve alcuno essere privato della communione, se per altro la sua devotione lo spinge à desiderarla. Certo nella primitiva Chiesa i Christiani si Communicavano ogni giorno, ancorche fossero maritati, & havessero la benedizione della generazione de' Figli. Per questo hò detto, che la frequente Communione non recava scommodità alcuna, nè à Padri, nè à Mariti, purche l' anima, che si communica, sia prudente, e discreta.* Notent Confessarii discrimen inter exigentem in die Communionis debitum conjugale; & inter illud reddentem. Hic vacat semper à culpa; non etiam ille.

Tertiâ circumstantia à conjugibus in usu Matrimonii servanda respicit *Locum*: videlicet ne coeant in loco publico, nec in loco Sacro. Non in loco publico, seu in præsentia alterius, quia talis 17 publicitas esset scandalosa, & mortalis; actus enim conjugales post Adæ peccatum in abditis locis exercentur ob verecundiam, quæ oritur ex eo, quòd homo erubescit cognoscens se subjectum carnali concupiscentiæ, & hanc ob causam Adam, quando cognovit se nudum, consuevit folia ficus, ad cooperiendum corpus, & abscondit se in Paradiso audiens vocem Dei; expereibatur enim motus concupiscentiæ in venereis, & ruborem maximum sentiebat, ut ait S. Augustinus *in libr.* 11. *Genes. ad Litt. cap.* 31. quem refert Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 39. *num.* 64. subdens, quòd copula carnalis, aliis videntibus exercita, peccaminosa est, indigna, ac horrenda ob turpitudinem; & videtur difficile creditu, quòd fuerint Hæretici sivè Nicoalitæ, sivè Gnostici, aut alii, qui asserebant, eam licitam esse coram omnibus, & exercebant illam in vicis, ac plateis. S. Ephrem 18 Syrus requisitus à meretrice, ut secum coiret, respondit se paratum, sed in publica platea. Illa dixit: *Heu!* quid dicis? In platea coram omnibus? *Horreo.* Tunc S. Ephrem: Horres conspectum hominum, & non horres præsentiam Dei, qui in omni loco actus hominum videt? Ita P. Segalla Capucinus *in Catena Aurea part.* 1. *in Vita S. Ephrem. pag.* 337.

Neque in loco Sacro est habenda, ideſt in Ecclesia; quæ de Jure polluitur per humani sanguinis, vel seminis effusionem in ea factam. *cap. Ecclesiis dist.* 38. & *de Consecrat. dist.* 1. *cap. fin. de Consecr. Eccl. cap. Unico. eod. tit. in* 6. *& cap. Significasti. De Adulteriis*; in quibus Juribus præcipitur, Ecclesiam esse rebenedicendam, ac reconciliandam, si in ea semen humanum fuerit 19 effusum, ut latè demonstrat Passerinus *de Pollut. Eccles. disp.* 7. *cap.* 1. ubi DD. cumulat. Quamvis autem discordes sint DD. disputantes, an hæc seminis effusio, ut Ecclesiam polluat, debeat esse illicita, nempè fornicaria, vel ex alia specie Luxuriæ? ac etiam an debeat esse publica, & notoria? ut examinant Salmanticenses *d. cap.* 15. *à num.* 62. *& seqq.* tamen concorditer docent, quòd non sit Ecclesiæ pollutiva, neque peccaminosa copula maritalis, si facta sit in Ecclesia ex necessitate; ut si Maritus, vel Uxor, aut uterque clausi teneantur in Ecclesia longo 20 tempore, nec ex loco Sacro ipsi possint exire; tunc enim stimulis carnis vexati absque culpa possunt ibi usum Matrimonii habere. Sanchez *d. libr.* 9. *disp.* 15. *num.* 12. Sylvester *Verb. Debitum. num.* 5. Basilius Pontius *libr.* 10. *cap.* 10. *num.* 13. Passerinus *d. disp.* 7. *cap.* 18. Salman-

ticenses *d. cap. 15. num. 67.* Mastrius *in 4. sent. d. disp. 7. num. 543.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 39. num. 71.* Appellatione autem Ecclesiæ non venire Cæmeterium, neque claustra Religiosorum, neque Sacristiam, nec Turrim Campanariam, neque Oratoria privata non benedicta, advertunt Salmanticenses *d. cap. 15. num. 70.* & ibi Sanchez *libr. 9. tota disp. 15.*

Circumstantia *Quarta* respicit modum; ut scilicet Conjuges in usu Matrimonii modum
21 naturalem servent, qui modus requirit mulierem succubam, Virum autem incubum; & per consequens, ne conjuges coeuntes sint stantes, vel sedentes, nec præposterè more pecudum congrediantur, & multò minus ne Vir sit succubus, mulier autem incuba; quia in his omnibus modis, si periculum sit, quòd extra vas naturale semen effundatur, erit mortale peccatum; & hoc periculo remoto, saltem erit culpa venialis, nisi aliqua honesta causa excuset, puta timor abortus, si Uxor sit gravida, vel Maritus nimia pinguedine sit affectus; ut latè differunt D. Antonius 3. *part. tit. 10. cap. 20. §. 3.* Sanchez *d. libr. 9. disp. 16.* Bonacina *q. 4. punct. 13.* Basilius Pontius *libr. 10. cap. 11.* Aversa *qu. 12. sect. 5.* Mastrius *d. disp. 7. n. 555.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 39. art. 3. §. 5. per totum*, ubi plura de his modis, qui calamum ob rùborem cogunt restringere; & de iisdem, post plurium DD. citationem differunt Salmanticenses *d. cap. 15. à num. 72. & seqq.* quibus ego addo eruditissimum Zacchiam Medicum Romanum, qui de hoc argumento, seu circumstantia *Modi* latè differit *in QQ. Medicoleg. libr. 7. tit. 3. quæst. 1.* in qua post multa hæc habet *num. 41.*

Nobis autem quærendus est naturalis Modus
22 *exercendi coitum; neque dubium est, illum esse magis naturalem, qui magis facit ad conceptionem, cum sint à Natura intento consequendo magis adjumento sit. Hunc ergo modum post Hippocratem, aliosque vetustiores, tradunt nonnulli recentiorum, ut Mercator lib. 3. de Mulier. & Prægnan. affect. cap. 6. Rodericus à Castro libr. 2. de Nat. mulier. cap. 5. & alii: Est autem hujusmodi, ut Mulier in dorsum jaceat, divaricatis, acclivibusque cruribus, capite tantisper demisso, & Vir illam sic jacentem superineat; hoc enim pacto, modicè elevato uteri osculo, ipse uterus promptius ad se virile semen allicere potest, & Vir etiam facilius propè ipsum Uteri osculum internum semen effundere; undè facilius succedit conceptio. Quæcunque ergò alia coeundi ratio, aut in totum, aut ex parte impedire potest conceptionem, impediendo aut ne facilè virile semen excipiat, aut ne virile membrum tam de facili ad uteri interiora pervenire possit, aut alia quadam ratione, recedet à naturali ratione, & habebit semper ob id in se delictum. D. Thom. in 4. sent. dist. 31. Sylvester Verb. debitum conjugale. num. 7. Summa Angel. eod. Verb. num. 11.* Hæc omnia Medicus Zacchias, Theologus æquè ac Canonista

Quarta Quæstio est, an conjuges aliquando peccent in ipsa actuali copula, quam habent? Circa quam tres casus sunt distinguendi, *Primus*
23 est, quando Vir seminavit, non autem mulier; & in hoc casu ajunt DD. posse Virum à copula recedere absque ulla culpa, tum quia semen mulieris non censetur necessarium ad generationem juxta opinionem Theologorum, (à quibus tamen Medici discordant,) tum etiam quia mulier post recessum viri potest se tangendo seminare; cùm talis tactus sit complementum copulæ conjugalis. Sanchez *d. libr. 9. disp. 17. num. 10. & disp. 19. num. 5.* Basilius Pontius *lib. 10. cap. 11. num. 2. & 3.* ac aliis citatis Salmanticenses *d. tract. 9. de Matrim. cap. 15. num. 80.* Secundus casus est, quando Uxor seminavit, non autem Vir, & in hoc casu, ipse Vir non potest desistere à copula, sed debet eam complere seminando, nisi aliqua urgens causa eum recedere cogat; puta si in cubiculum aliqua persona intraret; vel aliquod periculum domus, vel vicinorum irrueret, aut inimici supervenirent. Salmanticenses *d. cap. 15. num. 81.* *Tertius* casus, quando fuit incœpta copula, & neque Vir, neque Mulier seminavit; & tunc de communi consensu possunt à copula desistere absque seminatione, nisi sit periculum effusionis seminis extra Vas, ut differunt Basilius Pontius *d. libr. 10. cap. 11. num. 8. & 9.* ac alii DD. quos citant, & sequuntur Salmanticenses *d. cap. 15. num. 82.* & Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 6. resol. 187.* nec non *resol. 215.* quæ in Veteri habentur *part. 3. tract. 4. resol. 203. & part. 10. tract. 13. resol. 42.* Sed Lector nares custodiat, quia non bene olent.

Quinta tandem Quæstio requirit, quid sit permissum conjugibus, absque peccato circa tactus, amplexus, aspectus, ac verba amatoria cum honestatis offensa? & in his DD. distinguunt: Vel ordinantur ad copulam sine pericu-24 lo pollutionis; & supradicta omnia licent. Vel non diriguntur ad copulam, sed ad solam voluptatem, & carnalem delectationem; & tunc sunt venialia peccata; ac etiam mortalia, si sit periculum pollutionis, & multò magis, si altero conjuge absente, tactus fiant in propriis membris inhonestis; & cum reflexione ad actus copulæ præteritos, ex quibus excitatur titillatio carnis, ut latè differunt Bonacina *de Matrim. q. 4. punct. 8.* Sanchez *libr. 9. disp. 45.* Aversa *q. 21. sect. 8.* Basilius Pontius *libr. 10. cap. 16* Salmanticenses *d. cap. 15. à num. 84. & seqq.* & cæteris copiosiùs ipse Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 6. resol. 191. resol. 192. resol. 193. & resol. 194.* in quibus ad rùborem, ac ultra satietatem de hac putida Quæstione scribit.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Divortii Etymologia, Definitione, ac Divisione præmissa, agitur de causis, quibus Divortium inter conjuges fieri potest quoad Thorum, & Habitationem. Omnes causæ reducuntur ad quatuor genera, nempè ad Devotionem, ad Contagionem, ad sævam

Tracta-

Tractationem ; & ad spiritualem, ac corporalem Fornicationem. Explicantur in specie causæ omnes, quæ sub his generibus continentur: & ostenditur, Qua Auctoritate fieri debeat Divortium ? Et quibus pœnis Conjuges eidem causam dantes afficiantur?

SUMMARIUM.

1 *Divortii Etymologia.*
2 *Diesion quid sit?*
3 *Divortii definitio.*
4 *Abbates nullius Diœcesis judicant causas Matrimoniales.*
5 *Divortium est Triplex; & quale?*
6 *Dagoberti Regis Francorum, ac aliorum divortia.*
7 *Divortium ex legitima causa est licitum.*
8 *Divortii causæ ex quadruplici genere.*
9 *Devotionis causa quomodo fieri possit Divortium.*
10 *Exempla Divortiorum ob devotionem.*
11 *Maritus si fiat Religiosus, Uxor quid facere debeat?*
12 *Morbi contagiosi quatuor, ex quibus fieri potest Divortium.*
13 *Lepra est causa sufficiens Divortii.*
14 *Phthisis dat Divortii causam.*
15 *Morbum ob Gallicum fieri Divortium potest.*
16 *Dementia cum furore causare valet Divortium.*
17 *Sævitia Viri dat Uxoris motivum divertendi.*
18 *Alimentorum dificientia dat causam Uxori ut Divortium faciat.*
19 *Dilapidatio bonorum, quam facit Maritus, est causa Divortii.*
20 *Hæresis est divortii causa, atque Apostasia à fide.*
21 *Fornicatio spiritualis quid sit?*
22 *Hæretico Marito emendato an Uxor adhærere debeat?*
23 *Adulterium est causa Divortii ex triplici Jure.*
24 *Adulterii nomine an alia peccata carnalia veniant?*
25 *Divortium an de præcepto faciendum ex adulterio?*
26 *Adulterium in sex casibus excusatur, ne fiat Divortium,*
27 *Adulter emendatus requisitus à conjuge suo debet ei adhærere.*
28 *Carnalia peccata attentata à Marito cum Uxore dant causam Divortii.*
29 *Ebrietas est causa Divortii.*
30 *Divortium quando sit perpetuum, & quando ad tempus?*
31 *Divortium quando auctoritate Judicis sit faciendum, & quando non?*
32 *Pœna illius, qui dat causam Divortio.*
33 *Adulter facto divortio an possit Religionem ingredi?*
34 *Conjugati post divortium luxuriis vacantes pœna mortis puniuntur ex Bulla 46. Sixti V.*

AD complementum hujus tractatus de Matrimonio restat, ut loquamur de Divortio ; sæpè enim accidit, ut conjuges ritè, ac rectè simul copulari ex aliqua infra dicendarum causarum cogantur divertere, & ab invicem quo ad thorum, & habitationem separari ; cùmque talis separatio conjugum communi vocabulo *Divortium* appelletur, de Divortio hic agendum venit ; & pro totius materiæ explicatione quatuor sunt examinanda.

1. *Quid, & Quotuplex sit Divortium?*
2. *Quibus de causis fiat?*
3. *Qua auctoritate?*
4. *Ad quid teneatur qui dat causam Divortii?*

Quò ad Primum. Divortium ita dicitur, vel à diversitate mentium, eo quia conjuges rupta cordium charitate, maritalem affectum à seipsis divertunt. *l. 2. ff. de Divortiis* ; vel quia distra- 1
hentes se à statu Matrimoniali in diversas partes eunt ; propriè enim divortium significat divisionem, juxta illud Ciceronis *libr. 3. de Oratore ad Atticum: ibi Amanus Syriam à Cilicia aquarum divortio divisit.* Nec non illa Taciti *lib. 12. Annal. Arctissimo inter Europam, Asiamque Divortio Byzantium in extrema Europæ posuere Græci.* Ac etiam Tertulliani *de Anima*, qui dixit, *Mortem nihil aliud esse, nisi Animæ, & Corporis divortium*; & de hac Divortii Etymologia differunt Mastrius *in 4. Sent. disp. 7. num. 561.* & ibi Astesanus *libr. 3. tit. 36.* & Gonzalez *in Commentar. ad cap. 1. de Divortiis* ubi *num. 5.* notat ulteriùs hanc perpulchram eruditionem; scilicet, quòd Græci vocant *Divortium* Διαστον *Diesion* ; est autem *Diesion* sonus Musicus, qui diapason, & harmoniam se- 2
parat ; idcircò cùm Conjuges unius perfectæ harmoniæ inter se locum obtineant, si divortium faciant inter se, & ab invicem separentur, dicuntur facere *Diesion*; ideſt interrumpere illam perfectissimam Symphoniam, quæ auditur inter conjugatos mutuo amore seipsos prosequentes, & tam in prosperis, quàm in adversis in eodem amore constantes. *l. Si cum dotem 22. ff. Soluto Matrim.* undè de Uxore, constantis amoris harmoniam erga maritum in quocunque successu se servaturam profitente, Lucanus *libr. 2.* cecinit:

Non me lætorum sociam, rebusque secundis
Accipis : in curas venio, partemque laborum.

Definitur autem Divortium, ut sit *legitima Viri ab Uxore, vel Uxoris à marito separatio. l 1. ff. de Divortiis.* Mastrius *d. disp. 7. num. 561.* vel latiùs, ut scribit Nicolius *in Lucubrat. Civilib. libr.* 3
1. tit. 10. num. 88. Divortium est legitima separatio Viri, & Uxoris apud competentem Ecclesiasticum Judicem, cum causæ cognitione facta, quo ad thorum, & habitationem, sivè ad tempus, sivè

sivè in perpetuum. Dicitur *separatio legitima*, ideſt cum juſta cauſa, & quæ ſit à Judice cognita, & approbata. Dicitur *Viri, & Uxoris*, quia uterque conjux poteſt divortium petere, ſi habeat cauſam, videlicet tam Vir adverſus Uxorem, quàm Uxor contra Virum. Dicitur *apud competentem Eccleſiaſticum Judicem*, ideſt Epiſcopum, ſeu ejus Vicarium, ad excluſionem tum Judicis Laici, qui non poteſt ſe ingerere in his cauſis ex Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de Matrimon. can. 12.* tum alterius Judicis Eccleſiaſtici inferioris Epiſcopo, quales ſunt Archidiaconi, aut alii Juſdicentes, prout declaraſſe Sacram Congregationem Concilii teſtatur Nicolius *d. libr. 1. tit. 10. num. 89.* ubi tamen excipit Abbates, & alios Prælatos inferiores Nullius Diœceſis, habentes proprium, ac ſeparatum
4 Territorium; hi enim poſſunt cauſas Matrimoniales judicare, nec non criminales, atque Sacerdotes ad confeſſiones approbare, aliaque facere, quæ ad Juriſdictionem ſpectant Epiſcopalem. Dicitur, *cum cauſæ cognitione*, quia regulariter Divortium quo ad habitationem fieri non poteſt, niſi cauſa prius cognita per Judicem, ut infra *num. 31.* demonſtrabitur; etſi quo ad thorum tantùm poſſint ipſi conjuges ex mutuo conſenſu divortium facere, ſecluſo incontinentiæ periculo. Maſtrius *d. diſp. 7 num. 561.* Dicitur *sivè ad tempus, sivè in perpetuum*; nam quando cauſa non provenit ex aliquo gravi delicto, ſed ſolùm ex diſcordiis domeſticis, Divortium fit ad tempus, itaut iis ſopitis revertantur conjuges in unum.

Triplex autem eſt Divortium. *Unum*, quo ad vinculum Matrimonii, ad effectum ut conjuges aliis ſtatim nubere poſſint; & talia erant Divortia Hebræorum, de quibus actum eſt ſupra
5 *Deciſ. IX.* nec non Divortia Romanorum, qui poſt ſexcentos circiter annos ab Urbe condita cœperunt divortia exercere, dimittendo Uxores, ut alias ducerent, de quibus differit Gonzalez *ad d. cap. 1. De Divortiis*, ubi ſub *num. 7.* ait, quòd primus fuit Spurius Carvilus, qui repudiavit Uxorem, ſterilitatis cauſa, cujus exemplum ſequuti ſunt Sulpitius Gallus, Quintus Antiſtius Verus, Emilius Paulus, Cajus Cæſar, Sempronius Sophus, & alii, qui omnes repudiarunt Uxores ex frivolis prætextibus, ut alias ſibi copularent; contra quos invehens Juvenalis *Satyr. 6.* inquit:

Cur deſiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non Uxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet;
Fiantque obſcuri dentes, oculique minores;
Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi:
Jam gravis es nobis, & ſæpè emunxeris: exi
Ocyus, & propera: ſicco venit altera naſo.

Hujuſmodi Divortia in uſum deducere tentarunt etiam Reges, ac Principes Chriſtiani, quos retulimus *Deciſ. X.* ejicientes primas Uxores, ut ſecundas ſibi adjungerent; quibus addi poteſt Da-
6 gobertus Rex Francorum, qui divortium fecit à ſua Uxore ex motivo ſterilitatis, & Monialem ſibi in conjugem aſſumpſit, ut narrat Bollandus in Vita S. Sulpitii *die 17. Januarii cap. 6.* & Ludovicus XII. in eodem Regno Succeſſor, qui Joanna de Valois Uxore legitima per divortium dimiſſa Annam Comitiſſam Ducatus Britanniæ, ut illum ſuæ Coronæ adjungeret, ſibi copulavit, teſte eodem Bollando in Vita ejuſdem B. Joannæ fundatricis Monialium Annunciationis DEIPARÆ *die 4. Februarii.* Sed Divortia illa, ac eorum auctores repreſſerunt, ac anathematizarunt Pontifices Romani, ut oſtendit idem Gonzalez *in d. cap. 1. num. 12. de Divortiis*, cùm in Eccleſia Catholica Matrimonium conſummatum ſit indiſſolubile; neque in ea fieri poſſit Divortium quo ad Vinculum, ut latè probavimus *Deciſ. VII. & præcit. Deciſ. X.* per totam. *Alterum* Divortium eſt, quod fit de Matrimonio Rato non conſummato, vel per Profeſſionem Religioſam, vel per Pontificiam diſpenſationem ex urgenti cauſa, ut egimus ſupra *Deciſ. XIII. XIV. & XV.* quo in Divortio ſolvitur, ex ſpeciali Privilegio, Eccleſiæ ſuæ à Chriſto conceſſo, Matrimonium etiam quo ad vinculum, ut, *ibidem*, Juribus, rationibus, auctoritatibus, ac exemplis firmavimus. *Tertium* Divortium eſt illud, per quod conjuges ſeparantur non quo ad Vinculum, ſed vel quo ad thorum tantummodò, vel quo ad thorum, & cohabitationem ſimul, eodem Vinculo integro permanente, itaut minimè liceat conjugibus ſic per divortium ſeparatis ad alias nuptias tranſire, niſi eorum uno per mortem ſublato; & de hoc divortio in præſenti agimus, quod licitum eſſe, cauſa legitima interveniente, dubitare non poſſumus, attento decreto S. Tridentini Concilii *d. ſeſſ. 24. de Matrim. can. 8.* ſic ſtatuente: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quo ad thorum, & cohabitationem ad certum, incertumvè tempus fieri poſſe decernit. Anathema ſit.* Et hoc idem notant Maſtrius *d. diſp. 7. num. 561.* Eminent. Card. de Lauræa *de Matrim. diſp. 42. num. 5.*

Quo ad Secundum: Si quærimus, Quibus de cauſis fieri poſſit Divortium vel quo ad thorum tantùm, vel quo ad thorum, ac cohabitationem ſimul? Cùm hæ ſint multiplices, reducuntur omnes ad quatuor capita; ſeu ad quatuor genera cauſarum, ita ut Divortium fiat:

1. *Ex cauſa devotionis.*
2. *Ex timore contagionis.*
3. *Ex motivo ſevæ tractationis.*
4. *Ex impulſu ſpiritualis, vel corporalis fornicationis.*

Primum genus continet cauſam devotionis. Idcircò quando conjuges ex devotione erga
7 Deum moventur ad continentiam ſervandam, ex
8 hoc motivo poſſunt Divortium facere, vel quo ad thorum tantùm, vivendo caſtè in eadem domo; ſed dormiendo ſeparatim in diverſis lectis; vel
9 quo ad thorum, & cohabitationem ſimul, ingredientes Religionem tam Vir, quàm Uxor; ſivè eorum alter; illo tamen, qui manet in ſæculo, ſi ſit ætate provectus, ſimplex votum caſtitatis emittente. De primo Divortio quo ad thorum tantùm eſt textus *in cap. Sunt, qui dicunt. 27. q. 2.* ubi S. Gregorius Magnus ſic ait: *Si verò utriſque conveniat con-*

continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Quando certum est, quòd omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit. Et quidem multos Sanctorum novimus, cum suis conjugibus, priùs continentem vitam duxisse, & postmodum ad Sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse. Idem legitur, & commendatur in *cap. Quod Deo. 33. q. 5.* Exempla SS. Conjugum, qui Divortium quo ad thorum tantùm fecerunt, & simul cohabitantes Virginitatem, ac Castitatem illibatam usque ad mortem servarunt, posuimus in initio hujus tactatus *de Matrim. Decis. II.* De secundo Divortio quo ad thorum, ac cohabitationem simul plurimi habentur Canones, videlicet *in cap. Agathosa. cap. Si quis causa. 27. q. 2. cap. Qui Uxorem. 33. q. 5. cap. Uxoratus. De Convers. Conjugat. cap. Cum sis. eod. tit. & cap. Veniens. De Regular.* cum aliis multis. Nec de his desunt exempla; siquidem S. Angilbertus Abbas

10 Divortio facto cum Uxore sua Berta, filia Caroli Magni Imperatoris, Monasticam vitam professus fuit; atque Berta inter Moniales Sacrum velamen accepit, ut scribit Hieronymus à Basilica Petri, Presbyter Congregationis Oratorii Neapolitanæ *in suis Ephemerid. Sacris die 18. Februarii.* Idem fecerunt S. Idulphus, ac S. Aja conjuges, Comites in Flandria, de quibus peædictus Auctor *die 18. Aprilis. num. 3.* ita scripsit: *Idolfo con il consenso di Aja si ritirò tra Monaci Benedettini nel Monastero Lobiense, nel quale professò, e fù Abbate, e poi anco fù promosso alla Sede Episcopale, come si dirà, quando di esso doverà trattarsi. Si crede, che morisse l' anno 747. e premorisse alia Santa moglie Aja. Questa, entrato che fu il marito in Monastero, fece una raccolta di quanto le era rimasto di stabile, di stati, di mobili, di ragion, e tutto in un fascio donò alle Monache fondate da S. Vualdetrude sua cugina; e poi diede se stessa à Dio in un Collegio di Canonichesse all' esercizio di tutte le Virtù.* Consimile Divortium devotionis causa fecerunt B. Anfridus, & Ilsuinde conjuges, Comites Brabantiæ, hæc Monialis Benedictina evasit, ille Episcopus Ultrajectensis, teste eodem Auctore *die 3. Maii* in eorum Vita. Qui pariter scribit talia Divortia Sancta opere completa à SS. Amatore, & Marta conjugibus *die 8. Maii.* à S. Sylvestro Episcopo Vesontii *die 10. Maii.* A. B. Bernardo Ordinis Prædicatorum *die 8. Maii*, & ab aliis multis. Hæc exempla præteritorum sæculorum referre volui, quia olim erant frequentia, nunc rarissima. Unum vidi Comitem Caimum Forojulienſem Eremitam Camaldulenſem, *vulgò de PP. di Rua*, qui relicta uxore, vitam Regularem professus erat. Nec est omittendum

11 circa hæc Divortia, quòd Marito in Religione profiteri volente de consensu Uxoris, si hæc juvenis sit, debet Monialium ascterium ingredi, & ibi professionem religiosam facere: si senex, potest manere in sæculo, emisso tamen simplici castitatis Voto. *cap. 1. cap. Cùm sis. & cap. Uxoratus. De Convers. Conjugat.* Et è contra unus conjugum divertere ad Religiosam vitam non potest, altero dissentiente. *cap. Agathosa. & cap. Si quis. 27. q. 2. cap. Qui Uxorem. 35. q. 5. cap. Uxoratus. De Convers. Conjug. & cap. Cum causam. De Raptorib.* de quibus latè Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disp. 42. art. 2.* per totum.

Secundum causarum genus continet timorem contagionis, & ideò si alter conjugum morbo contagioso sit affectus, ille qui sanus est, potest Divortium facere, ne & ipse inficiatur. Quatuor morbos contagiosos, ac ad Divortium quo ad Thorum, & Cohabitationem faciendum potentes, recensct Zacchias *in QQ. Medicolegal. libr. 9. tit. 10. q. 4.* nempè *Lepram, Phthisim, Morbum Gallicum, & malignam Febrem.* Lepra est causa sufficiens pro Divortio faciendo: rationemque reddit d. Auctor *num. 5.* dicens, *Quia non modò ex prava exspiratione infecti conjugis sanus currit periculum infectionis;* 13 *sed etiam ex inquinatione ipsius habitationis, quippè cùm putridæ exhalationes indesinenter ab ægrotantis corpore emanantes, ipsis parietibus domus hærere soleant, ut de ipsa Lepra testantur non solùm Medici omnes, sed Sacer Levitici textus cap. 13. plenissimè comprobat, qui ipsos parietes emundari præcipiebat; ne indè postmodum sani homines inficerentur.* Et ideò ob periculum infectionis conjux sanus divertere potest. Idem ob eandem rationem dicendum est, si conjux factus sit Phthisicus, nam ex Galeno, Fracastor. & aliis subdit *ibidem num. 7.* Zacchias: *Phthisici ipsas domos, in quibus commorantur, putrido halitu, &* 14 *abominabili evaporatione ita coinquinant, ut sanis neque simul habitare, neque eorum habitationes frequentare tutum sit: & tanta est ejus contagii vis, ut aliquando visa sit hæreditaria, ac tanta malignitate insignis, ut interdum usque ad quintam generationem sese propagaverit, personas omnes eodem morbo, iisdemque symptomatibus associato, eadem ætate, quod multò admirabilius est absumens, ut narrat Fracastorius libr. 2. de contag. cap. 8.* Undè concludit *num. 8. Tam Lepra igitur, quàm Phthisis, prædictis conditionibus associatæ, causæ gravissimæ cùm sint ad Divortium faciendum erunt sufficientissimæ: etsi Lepra ac Phthisis non adeò graves, nec eadem pravitate insignes Thori solummodò separationi causam præstabunt.* His addere licet Rotæ Romanæ auctoritatem, quæ *part. 18. recent. Decis. 801. num. 8.* firmat, quòd propter morbum *Phthisicum* conjux potest divertere ab infecto, ne & ipse ab illo inficiatur.

Idem asserendum est de *Morbo Gallico*, seu *Lue Venera*, qua maritus sit oppressus; nam sequitur Zacchias *d. libr. 9. tit. 10. q. 4. num. 9.* ita scribens: *Eadem consideratio fieri potest circa Morbum Gallicum, qui ubi ad eam magnitudinem* 15 *pervenerit, ut totum corpus putridis ulceribus, ac maximè guttur, fauces, & palatum exedentibus ob multam ejus malitiam scateat, ubi æger febri lenta, ac nocturna detineatur, artuumque doloribus indesinenter affligatur, aliisque sævissimis symptomatibus molestetur, justissimam omninò causam præbebit Divortio.* Sed ultra hujus Medici auctorizabilem doctrinam potest studiosus Lector, si casus occurrat ad consulendum, vel judicandum, videre optimum Consilium Nattæ *cons. 24. per totum*, & Rotam ipsam Romanam *Decis. 49. à num. 3. & seqq. part. 4. recent. tom. 1. Febris* quoque *maligna*, quæ pestilentialis censeatur, eandem vim divortii faciendi habet; sed quia hæc parùm durat, & citò ea infectum extinguit, non est, ut multùm de ipsa discurramus, ut inquit Zacchias *ubi ante num 11.* Bene ex eodem

notare

16 notare possumus alium morbum, nempè *dementiam* continuam cum furore, ex quo si periculum vitæ emergat in conjuge sano, habebit justum motivum divertendi, ut *in d. q. num.* 3. & 4. idem Zacchias demonstrat.

Tertium genus, continet causam sævæ Tractationis, ob faciendum Divortium, idest sævitiam Viri in Uxorem; undè conclusio est certa apud Theologos, & Canonistas, quòd propter 17 Mariti sævitiam Uxor potest ab eo divertere, tum quo ad thorum, tum quo ad habitationem. *cap. Litteras. cap. Ex transmissa De Restit. spoliat. cap.* 1. *Ut lite non contest.* Guttierez *libr.* 2. *Canonic. cap.* 64. Valenzuela *cons.* 144. & Gonzalez *ad d. cap.* 1. *de Divort. num.* 12. ubi reddit rationem dicens, quòd vir debet tractare Uxorem affectione maritali, ut præcipit Apostolus *ad Ephes.* 5. & *ad Colossens.* 3. non autem illi imperare ut dominus rei possessæ; quare Uxor, quæ Divortium petit ob sævitiam viri, debet deponi in aliquo Monasterio, aut penes honestas Matronas, donec causa terminetur. *d. cap. Litteras. De Rest. Spol.* Et quoniam sævitia Viri, ut plurimum, oritur ex verberibus, disputant DD. quomodo, & quando Vir verberans Uxorem dicatur sævire, itaut ipsa possit ab eo divertere? Circa quod quæsitum discordes sunt DD. præcipuè Baldus *cons.* 176. Rolandus *cons.* 27. Tiraquell. *ad Leg. Connub. libr.* 1. *gloss.* 1. *num.* 21. Alex. *cons.* 115. *vol.* 4. & Valenzuela *cons.* 41. Cæterùm prævalere videtur doctrina Menochii *de Arbitr. Judic. casu* 138. *num.* 8. scribentis, pendere ab arbitrio Judicis, quæ sit sævitia magna, & quæ lævis? itaut percussio cum baculo, vel cum sanguinis effusione sit gravis sævitia sufficiens ad Divortium; secus si alapis, aut alia moderatione discreta, ut latiùs differit Sanchez *de Matrim. libr.* 10. *disp.* 18. Basilius Pontius *libr.* 9. *cap.* 23. & Rota *part.* 1. *rec. Decis.* 441. quæ tenet, Divortium esse faciendum, quando Uxor habitare non potest cum Marito nisi cum gravi damno, & periculo vitæ; & in praxi videndus est Ferentillus *in addit. ad Buratum Decis.* 815. *num.* 20. & 21. ubi innumeros DD. numerat: nec non Rota *part.* 6. *recent. Decis.* 155. & *Decis.* 324. quæ in hac materia, & circa hanc causam sævitiæ doctissimæ sunt, ac magistrales, ut notat Antonius de Possentibus *Singular.* 151. & *Singular.* 367.

Crudelis autem sævitia Viri in Uxorem censetur etiam privatio alimentorum, per quam ipsa Uxor patitur famem, & non recipit à Marito cibum sufficientem ad vivendum; nam, ut ex Luca de Penna, & ex Quintiliano transcribit Mo- 18 naldus *vol.* 2. *cons.* 20. *num.* 18. *Felix pestilentia, felix præliorum strages, denique omnis mors facilis; fames aspera vitalia hausit, præcordia carpit, est animi tormentum, corporis tabes, magistra peccandi, dirissima necessitatum, deformissima malorum.* Quare cùm Maritus omni jure sit obligatus alimenta præstare Uxori suæ, idest victum, ac vestitum juxta ejus conditionem præbere. Surdus *de Alimentis tit.* 1. *q.* 32. *num.* 1. & *seqq.* ubi jura, & DD. si in hac obligatione deficiat, neque alimenta præstet Uxori, eamque fame cruciari permittat, dicitur gravissimè in eam sævire, & ex hac causa potest ipsa Uxor Divortium facere, ut in puncto scribit idem Monaldus *vol.* 1. *cons.* 44. ubi *num.* 1. notat, probatum esse sævitiam ex alimentis subtractis, ita scribens: *Et insuper etiam Domina Apollonia secunda testis in ordine deponit super quarto articulo; & Domina Michaela tertia testis, che detto Alessandro non dava nè da mangiare, nè da bere, nè da vestire à detta sua moglie* Undè subdit *num.* 2. *Quibus stantibus dubitandum non est, apertè constare de sævitiis, & malis portamentis dicti sui Viri, cùm illam absque legitima causa verberaverit, & verbis injuriosis affecerit, odio prosequatur, conatus fuerit illam interficere, & interficere velle dixerit; ac alimenta, & alia necessaria ad vitam ducendam non præstiterit, cùm alimenta non dare, nihil aliud sit, quàm eam necare velle, & in eam sævire. l. Necare. & ibi Bartolus ff. de liberis agnoscen. & Gigas in cons.* 130. *num.* 5. Denegatio itaque alimentorum est crudelissima sævitia, & ex ea proceditur ad faciendum Divortium. De hac, & aliis sævitiæ speciebus videndi sunt Sanchez *de Matrim. lib.* 10. *disp.* 18. Basilius Pontius *libr.* 9. *cap.* 23. à *num.* 4. Aversa *quæst.* 33. *sect.* 10. Salmanticenses *d. tract.* 9. *de Matrim. cap.* 16. *num.* 37. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 584. & Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 41. *num.* 259. & *seqq.* in quibus de pluribus sævitiæ actibus differit, inter quos includit dilapidationem, ac dissipationem bonorum, sub 19 dens *num.* 272. *Quarto reduci posse ad sævitiam, si conjux bona omnia, vel majorem partem dissipare, & profundere velit; & de facto id exequi incœperit, hoc enim grave est innocentis onus, non facilè tolerandum.* Quod notari à Studiosis debet, quia apud alios DD. talis sævitiæ species non invenitur, quamvis frequentissima sit in praxi.

Quartum genus causarum, influentium in Divortium, continet illas, quæ proveniunt ex impulsu spiritualis, vel corporalis Fornicationis. Appellatione Fornicationis spiritualis in 20 telligitur *Hæresis*, & omnis *Apostasia* à Fide; idcircò si unus conjux cadat vel in *Hæresim*, vel in *Apostasiam*; alter conjux potest Divortium facere, & se ab eo separare: imò tenetur ab illo divertere, tum ad evitandam perversionem, tum ad fugiendum scandalum, ne particeps illius criminis judicetur. *cap. ult. de Convers. Conjug. cap. quæsivit. cap. De illa. cap. Quanto.* De Divortiis. Nec non *cap. Non solùm. & cap. Idololatria.* 28. *q.* 1. & hanc Divortii causam admittunt omnes DD. Sanchez *d. libr.* 10. *disp.* 19. Aversa *q.* 23. *sect.* 10. Basilius Pontius *libr.* 9. *cap.* 22. Salmanticenses, qui alios allegant, *d. cap.* 16. *num.* 28. & cæteris meliùs Eminent. Card. de Lauræa *de Matrim. d. disp.* 42. *art.* 7. *per tot.* ubi *num.* 213. cum auctoritatibus Scripturæ Sacræ, probat, Hæresim, ac Apostasiam à Fide vocari Fornicationem Spiritualem, & subinde demonstrat, Divortium ex hac causa esse 21 concessum & à Jure Ecclesiastico, & à Jure naturali; & esse faciendum non solùm quo ad Thorum, sed etiam quo ad cohabitationem: sivè conjux hæreticus tentet pervertere alterum catholicum, sivè non; quia cùm insit perversionis periculum, sollicitè est ab eo declinandum; & tale Divortium catholicus conjux facere potest

propria

propria auctoritate, sivè hæresis sit publica, sivè occulta; ut tradunt etiam DD. supracitati, atque Salmanticenses *d. cap. 16. num. 29.* qui tandem *num. 32.* disputant, an ipse Conjux fidelis teneatur adhærere eidem conjugi hæretico, abjurata
22 per eum hæresi, & ad gremium Ecclesiæ reversso? In qua disputatione cùm alii DD. negent, alii affirment; concordantur sub hac distinctione, quòd si Divortium fecerit propria auctoritate, teneatur ad conjugem emendatum reverti. *cap. De illa. De Divortiis*, at, si Divortium sequutum fuerit Judicis auctoritate, minimè teneatur, ut *in cap. fin De Convers. Conjugat. & in cit. cap. De illa. De Divortiis*, in quo hi duo casus distinguuntur, ut observant etiam Sanchez *d. lib. 10. disp. 15. num. 19.* Basilius Pontius *d. lib. 9. cap. 21. num. 3.* & Aversa *d. q. 23. sect. 9. Vers. Concedendum.*

Fornicatio verò Corporalis, ob quam licitum est, Divortium facere, continet in primis Adulterium Conjugis; deindè alia peccata carnalia
23 per unum ex conjugibus sivè cum suo Conjuge, sivè cum aliis patrata. Quo ad Adulterium, conveniunt omnes Theologi, & Canonistæ, quòd per illud licitum est Divortium quo ad Thorum, & cohabitationem triplici Jure; *Naturali*, quia cùm conjux adulter violaverit fidem alteri conjugi innocenti, hic non tenetur ampliùs servare promissam vitæ consuetudinem cum illo. *Divino*, quia expresse hanc causam indicavit Christus Dominus dicens *Matth. 5. & 19. Omnis, qui dimiserit Uxorem suam, excepta fornicationis causa, &c.* quæ verba exposuimus supra *Decis. X. à num. 74.* Et jure *Ecclesiastico*, quia tale Divortium ob adulterium unius ex conjugibus concessum est *in cap. Significasti. cap. Gaudemus. cap. Ex Litteris. De Divortiis*; & in aliis pluribus *texx.* quos refert Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 42. art. 3. per totum.* Concordant S. Thomas *in 4. dist. 35. quæst. Unic. art. 1.* & *3. part. quæst. 62. art. 1.* Sanchez *lib. 10. disp. 3.* Basilius Pontius *lib 9 cap. 16.* Bonacina *quæst. 4. punct. 5.* Aversa *q. 23. sect. 1.* & alii plurimi apud Salmanticenses *d. cap. 16. num. 2.* qui omnes hanc facultatem divortium faciendi concedunt tam Viro, si Uxor adulteretur, quàm Uxori, si Maritus adulterium committat, ut etiam scribit Mastrius *d. disp. 7. num. 562.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 42. art. 4.*

Porrò plures sunt Quæstiones, quas excitant Theologi circa Divortium factum, seu faciendum ex causa Adulterii, quas non me piget hic summatim referre, non ut illas discutiam, sed tantummodò ut eas notas faciam Studiosis Decisionum harum, qui poterunt, si voluerint, easdem apud infra citatos DD. commodiùs in-
24 tueri. *Prima* est, Utrum appellatione Adulterii pro faciendo Divortio veniant etiam alia peccata carnalia ab uno conjuge commissa cum tertia persona, nempè pollutio, sodomia, bestialitas? Alii affirmat, quia his enormitatibus dividitur propria caro cum injuria Matrimonii, ac conjugis innocentis. Alii negant, quia cum hæc Lex Divortii sit pœnalis, strictè est intelligenda de solo adulterio, cujus causa lata est. Mastrius *d. disp. 7. num. 563. & 564.* Basilius Pontius *lib. 9. cap. 17.* Aversa *q. 23. sect. 1.* Sanchez. *lib. 10. disp. 5.* & alii plurimi, quos congerunt Salmanticenses *d. cap 16. à num. 8. & seqq.* Iterum Mastrius *d. disp. 7. num. 569.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 42. à num. 44* qui adhæret affirmativæ opinioni. *Secunda* Quæstio est, An conjux innocens, dum scit alterius conjugis adulterium, non solum possit, sed etiam teneatur, 25
& obligatus sit Divortium facere? Et licèt plures affirment, tamen communior est opinio negativa, adeò ut possit, si velit, conjux innocens cedere juri suo, parcere conjugi adultero, & cum eo cohabitare, quia Divortium inditum est non ex præcepto, sed ex indulgentia, & in conjugis innocentis favorem, cui ipse potest renunciare. Sanchez *d. libr. 10. disp. 13. à num. 6.* Aversa *quæst. 22. sect. 5.* Basilius Pontius *lib. 9. cap. 17.* & aliis citatis Salmanticenses *d. cap. 16. à num. 4. & seqq. Tertia* Quæstio est, an dentur casus, in quibus licèt à conjuge commissum sit adulterium, tamen fieri non possit Divortium? Respondent DD. dari sex casus. I. Si Uxor ab aliquo per vim sit cognita, cui resistere non potuit absque gravi periculo vitæ. *l. Vim passa. C. Ad leg. Jul. de Adulter. cap. Re vera. & cap. Ita* 26
tamen. 32. quæst. 5. Talis fuit casus Nobilis Cæciliæ Baoniæ Uxoris Ezzellini, quam vi stupravit Gerardus Camposanperius, ut diximus *in Decis. XXXIII. num. 28.* undè injustè idem Ezzellinus cum ea divortium fecit. II. Si ambo conjuges adulterium commiserint, nam compensatur adinvicem injuria, & jus Divortii cessat. *cap. Significasti. De Divort.* III. Si ipse Maritus sit causa, ut Uxor adulteretur, spontè eam prostituens, vel lenocinium exercens. *cap. Discretionem. De eo, qui cognovit consanguin.* IV. Si post adulterium mulier reconciliata est Marito suo. *cap. Si quis. cap. De benedicto. cap. Quod autem. 32. q. 1.* V. Si Uxor per ignorantiam cum alio viro concubuerit, credens se à Marito suo cognosci. *cap. In lectum. 34. quæst. 1.* vel putans Maritum absentem mortuum esse, cum alio Matrimonium contrahat *cap. Cum per bellicam. 34. quæst. 1.* VI. Si facto divortio ob adulterium unius conjugis, alter conjux innocens cadat & ipse in idem crimen; tunc enim altero petente, ac parcente, debent ambo ad se reverti. *cap. Ex Litteris. De Divortiis*, & Divortium retractare. Ita Gonzalez *in Comment. ad d. cap. Ex Litteris. n. 3.* Sanchez *d. libr. 10. disp. 5. & seqq.* Aversa *d. quæst 23. sect. 4.* Reginaldus *libr. 31. num. 321.* & pluribus aliis congestis Salmanticenses *d. cap. 16. àn. 13. & seqq.* Mastrius *d. disp. 7. a. n. 573.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 42. art. 7. per quatuor integros §§.* in quibus latissimè differit de supradictis sex casibus; nec non Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 6. resol. 231.* desumpta ex Antiquo inordinato *p. 11. tract. 5. resol. 47. Quarta* Quæstio est, Utrum post factum divortium si conjux adulter emendetur, teneatur conjux innocens eum ad sui consortium assumere? Respondent DD. conjugem innocentem non teneri ex justitia emendatum conjugem recipere; sed utique ex charitate. *cap. Quod autem. 32. quæst. 1. cap. Si Vir. De Adulter.* Salmanticenses *d. cap. 16. num. 21. Quinta* Quæstio est, an facto Divortio, conjux adulter emendatus teneatur redire ad conjugem innocentem, si ab isto requiratur, ac postuletur? Et DD. res-

27 pondent affirmativè, nisi mutasset statum, puta quia fuisset post Divortium professus in Religione, vel ad Ordines Sacros assumptus. Sanchez *d. lib.* 10. *disp.* 10. *n.* 4. Reginaldus *d. libr.* 31. *num.* 322. Bonacina *quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 16. Basilius Pontius *libr.* 9. *cap.* 19. Aversa *d. quæst.* 23. *quæst.* 6. *Vers. Asserendum.* iidem Salmanticenses *d. cap.* 16. *num.* 22. & Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 271. & 572. ubi aliæ quæstiones, etsi minùs importantes, tanguntur; quas etiam discutit Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 227. desumpta ex Veteri *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 39.

Ex aliis etiam carnalibus peccatis, & actibus inhonestis, ac turpibus, ab uno conjuge cum ipso suo conjuge attentatis potest fieri Divortium; prout advertunt Salmanticenses *d. cap.*
28 16. *n.* 35. ita scribentes: *Si Vir Uxorem suam ad peccatum aliquod inducat, illam prostituat, vel prostituere conetur: si deducat in locum, ubi solam cum Viris, à quibus possit sollicitari, relinquat: Si Viros in domum introducat, à quibus in lapsum inducatur: Si Vir eandem Uxorem suam ad sodomiticam copulam cum ipso habendam compellat, vel ipsa invita sodomiticè eam cognoscat, vel alio modo pollutionem extra Vas debitum procuret: si timeat ob Viri furtum, vel homicidium à justitia tanquam delicti participem malè pertractari: si scandalum ex consortio cum illo sequatur, quo judicetur, eam delictis Viri cooperari. In omnibus his casibus potest, & tenetur ab eo separari, si admonitus non se emendaverit, quia unusquisque salutem spiritualem propriam omnibus anteponere debet, secundùm illud Matth.* 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Ita Salmanticenses, qui citant, hoc idem docentes Hurtadum *disp.* 11. *Diffic.* 5. Sanchezium *libr.* 10. *disp.* 17. *num.* 5. Bonacinam *quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 25. Averam *quæst.* 10. *sect.* 10. Basilium Pontium *libr.* 7. *cap.* 22. & alios, quibus addendus est Gobatus *in Theolog. Ex-*
29 *perim. tract.* 10. *num.* 731. qui ultra prædicta facinora ponit etiam ebrietatem tanquam causam sufficientem ad faciendum Divortium, ut decisum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur etiam Riccius *part.* 2. *Decis.* 165. Tandem omnes DD. advertunt, quòd Divortium ob adulterium factum est perpetuum, nisi conjux innocens velit Juri suo cedere, & conjugem adulterum emendatum recipere: at Divortium ex supradictis aliis defectibus, ac enormitatibus intelligitur factum ad tempus,
30 nempè donec conjux culpabilis se emendet; idcircò emendatione facta, & cautione præstita de non relabendo, tenetur conjux innocens ad eum redire, & cum illo habitare. Layman *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 16. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 585. & Antonius de Possentibus *singular.* 151. *num.* 8. ubi sic judicasse ait in Tribunali Ecclesiastico, in quo tanquam Vicarius Episcopalis præsidebat Fabriani.

Quo ad Tertium: Si quærimus, Qua auctoritate sit faciendum Divortium? DD. distinguunt quinque sequentes casus. *Primus* est,
31 quo ad Thorum tantùm: & in hoc casu, si conjux innocens certus sit de adulterio alterius conjugis, potest propria auctoritate ab ejus Thoro se separare, & ei debitum conjugale subtrahere, licèt occultum sit adulterium. S. Thomas *in* 4. *dist.* 35. *q. Unic. art.* 3. *in corp.* & 3. *part. quæst.* 62. *art.* 3. Salmanticenses *d. cap.* 16. *num.* 42. hanc rationem reddentes, quia talis negatio debiti est actio privata, & sic privata auctoritate fieri potest; prout etiam quia Matrimonium est obligatio ad reddendum debitum sub tacita conditione, quòd alter non frangat fidem conjugii. Ergo fide non servata, non tenetur reddere debitum. Sanchez *d. libr.* 10. *disp.* 12. *num.* 6. Aversa *quæst.* 23. *sect.* 2. *Vers. Attamen ille.* Basilius Pontius *lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 6. *Secundus* casus est, quando conjux innocens certus de adulterio alterius conjugis vult se separare ab illo non solum quo ad Thorum, sed etiam quo ad habitationem: & in hoc casu, si conjux adulter non reclamat, potest propria auctoritate conjux innocens se separare. Salmanticenses *d. cap.* 16. *num.* 44. Mastrius *disp.* 7. *num.* 566. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp.* 42. *art.* 9. §. 2. *Tertius* casus est, quando conjux reus ex adulterio reclamat, negando delictum: Et in hoc casu duæ sunt opiniones. *Una* asserit, conjugem innocentem, certum de adulterio, posse propria auctoritate divertere per *text. in cap.* De *benedicto.* 32. *quæst.* 1. & *in cap. Dixit Dominus.* 32. *quæst.* 2. *Altera* negat, quia *in cap. Porrò.* De *Divortiis* ad dimissionem Uxoris dicitur expetendum esse, ac expectandum judicium Ecclesiæ; & suadet ratio, quia tale Divortium est actio publica, externam concernens gubernationem, cui Ecclesia, idest Prælatus præsidet. Concordantur hæ duæ opiniones, ut *prima* procedat, si adulterium sit notorium, publicum, & cuicunque manifestum; *secunda* prævaleat, si agatur de adulterio occulto, nam spectat ad Ecclesiam super illo probationes facere. *cap. Ex parte. De Sponsalib.* & *cap. Significasti. De Divortiis.* Salmanticenses *d. cap.* 16. *num.* 47. & 48. ubi DD. cumulant, & rationem reddunt, scilicet quia quando delictum est occultum, separatio quo ad habitationem fieri non potest absque scandalo. At quando est publicum, cessat omne periculum scandali. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 565. *num.* 566. noviss. Pignatellus *tom.* 8. *consult.* 133. *num* 1. & 2. *Quartus* casus est, si conjux innocens velit se separare à conjuge in hæresim lapso; & tunc propria auctoritate id facere potest, cùm agatur de fugiendo periculo subversionis à fide juxta textum expressum *in cap. De illa. De Divortiis*, & per alia Jura, quæ refert Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 42. *art.* 9. §. 3. *à num.* 332. & *seqq. Quintus* casus est, si immineat periculum mortis, seu alterius gravis damni conjugi innocenti, quod fugere non possit, nisi celeriter à conjuge suo se separet; & in hoc casu sivè agatur de adulterio, sive de alio quocunque delicto, quod sufficiat ad Divortium faciendum, potest illud exequi, non expectata Judicis sententia. Mastrius *d. disp.* 7. *num.* 567. & Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 42. *num* 318. & *num.* 336. Sanchez *d. libr.* 10. *disp.* 12. Basilius Pontius *d. libr.* 9. *cap.* 23. *num.* 7. & Barbosa in Votis Decisivis *libr.* 1. *Vot.* 9. *num.* 8. ubi addit, quòd si Maritus peteret sibi restitui Uxorem, antequam procedatur in causa, non est exaudiendus; & satis est, si ipsa reponatur vel in Monasterio,

nasterio, vel in loco tuto, donec Judex cognoscat super legitimo motivo Divortii.

Quo ad Ultimum; in quo Quæritur, Ad quid teneatur, qui dat causam Divortii? Respon-
32 detur *Primò*, quòd si Maritus per adulterium, aut alias suas enormitates dedit causam Uxori, ut faceret Divortium, tenetur vel eidem alimenta subministrare. *cap.* 2. *De Divortiis.* Jul. Clarus *in §. Adulterium. Vers. Facta autem.* Antonellus *de Regimine Eccl. lib.* 6. *cap.* 33. *num.* 8. Vinc. de Franchis *Decis.* 244. *num.* 2. *part.* 2. Vel eidem Uxori dotem restituere. Cavalcan. *Decis.* 18. *num.* 30. *part.* 2. *& Decis.* 21. *num.* 27. *part.* 4. Maceraten. *Var. Resol. libr.* 3. *resol.* 46. *num.* 10. Si verò causa Divortii processit ab Uxore, eò quia ab ipsa commissum sit adulterium, propter quod expulsa fuit à Marito; in hoc casu Uxor perdit Dotem, & alimenta petere non valet. *cap. Plerumque, de Donat. inter Vir. & Uxor.* Authentico *Sed hodie. C. De Adulter.* Nicolius *d. libr.* 1. *Instit. Civil. tit.* 10. *num.* 92. Respondetur
33 *Secundò*, quòd sivè Maritus, sivè Uxor dederit causam Divortio per adulterium, eo per Judicis sententiam facto, adulter non potest Religionem intrare, neque Ordines Sacros assumere, nisi de licentia, atque consensu alterius conjugis innocentis, in sæculo remanentis S. Thomas *in* 4. *dist.* 35. *quæst. Unic. art.* 6. *ad* 3. nec non 3. *p. quæst.* 62. *art.* 6. *ad* 3. Salmanticenses *d. cap.* 16. *num.* 53. ea ratione, qui conjux innocens habet potestatem avocandi ad se conjugem reum prævia cujuscumque injuriæ remissione; ut dictum est supra *num.* 27. & tunc tenetur ipse reus redire ad conjugem suum innocentem; & casu quo esset vel ordinatus, vel professus, adhuc potest obligari, ut revertatur ad ipsum. Aversa *d. qu.* 23. *sect.* 8. §. *In tali autem.* Sanchez *lib.* 10. *disp.* 10. *num.* 15. & Bonacina *q.* 4. *punct.* 5. *num.* 14. & alii apud eosdem Salmanticenses *ubi supr. num.* 54. qui bene advertunt, non esse recipiendum conjugem reum ad Ordines, seu ad Professionem Religiosam absque consensu alterius conjugis innocentis, nisi iste mutasset statum Laicalem, & jam vel esset professus in Religione, vel Ordinatus in Sacris.

Corollarii loco notare licet, quòd Sixtus V. Pontifex Maximus indixit pœnam ultimi supplicii contra Conjuges, qui procuraverint sententiam Divortii, & separationem Thori, ac habitationis ad effectum liberius vacandi adulteriis impudicitiis, ac luxuriosè vivendi, si post dictam
34 sententiam reperti fuerint luxuriis, ac impudicitiis vacare; prout etiam si Maritus prostituisset propriam Uxorem, ac circa illam Lenonis Officium feciisset, ut legitur in ejusdem Sixti V. Constitutione 46. *Incipien. Ad compescendam.* Diei 30. *Octobris* 1586. §. 3. & 4. Quæ si esset in usu, minores in Deum committerentur offensæ, neque tanta cogeremur experiri Divinæ Justitiæ flagella ob impunita tot adulteriorum, atque carnalitatum piacula.

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Differitur de Dispensationibus Matrimonialibus super Impedimentis dirimentibus, tam pro Foro externo, quàm pro Foro interno. Circa primas, referuntur duodecim Notabilia, à Vicariis, ac Ministris Episcopalibus omninò scienda, ac observanda pro recta Matrimonialium dispensationum expeditione. Circa secundas, declarantur totidem Clausulæ existentes in Litteris Sacræ Pœnitentiariæ, ut ex earum notitia, ac perfecta intelligentia Confessarii, tam Sæculares, quàm Regulares, ritè, ac rectè valeant dispensare in Impedimentis occultis, atque Litteris S. Pœnitentiariæ punctualem executionem dare.

SUMMARIUM.

1 *Dispensationes Matrimoniales aliæ pro foro externo, aliæ pro interno.*
2 *Lineæ rectæ in nullo gradu datur dispensatio.*
3 *Linea in transversali datur dispensatio etiam in secundo, & primo.*
4 *Quinto in gradu existens contrahere potest etiam cum existente in primo transversali gradu.*
5 *Gradus si sint inæquales, ambo sunt Papæ exponendi.*
6 *Impedimenta in sua specie, & gradu exponenda.*
7 *Error in expressione gradus quando Dispensationi non noceat?*
8 *Error in specie Impedimenti vitiat Dispensationem.*
9 *Duplicitas Impedimenti est exponenda pro Dispensatione.*
10 *Impedimenta plura habens, an super Uno tantùm possit petere Dispensationem?*
11 *Copula inter Sponsos habita an exprimenda in Dispensatione?*
12 *Pœnitentiam à Papa Sponsis impositam Executor mutare non potest.*
13 *Episcopus quando dispenset super Impedimentis dirimentibus?*
14 *Executores dispensationum excommunicantur, si munera accipiant.*
15 *S. Pœnitentiaria Romæ quid sit? Et quid possit?*
16 *Litterarum S. Pœnitentiariæ pro dispensandis Impedimentis occultis exemplum.*
17 *Confessarii scire debent Clausulas Litterarum S. Pœnitentiariæ.*
18 *Doctor esse debet Confessarius expediturus Litteras S. Pœnitentiariæ.*
19 *Regulares ex Privilegio exequentes Litteras prædictas qui sint?*
20 *Confessarius non Doctor quando possit illas exequi?*
21 *Confessarius pro iisdem Litteris exequendis debet esse approbatus ad Confessiones ab Ordinario loci.*

22 *Licentia audiendi Confessiones expirata, eas non exequitur.*
23 *Mulierum Confessiones non audit approbatus ad illas Virorum tantùm.*
24 *Confessarius indoctus an possit exequi Litteras S. Pœnitentiariæ?*
25 *Veritas Impedimenti dispensandi quomodo per Confessarium indaganda.*
26 *Confessio Latoris Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ priùs audienda.*
27 *Confessio invalida ipsius Latoris an invalidet dispensationem?*
28 *Pœnitentia quanta, & qualis eidem Latori injungenda?*
29 *Occultum Impedimentum quodnam dicatur?*
30 *Scandalorum timor, ac Incontinentiæ, movet S. Pœnitentiariam ad dispensandum in occultis.*
31 *Certioratio conjugis innocentis de nullitate Matrimonii quomodo per Confessarium facienda?*
32 *Proles quomodo legitimetur à Confessario?*
33 *S. Pœnitentiariæ dispensatio non juvat in foro externo.*
34 *Confessarius an possit certiorem facere Episcopum, vel Parochum, vel Judicem secretò de dispensatione data?*
35 *Litteræ S. Pœnitentiariæ lacerandæ à Confessario?*
36 *Confessario uno recusante exequi Litteras S. Pœnitentiariæ, an alter adiri poterit?*
37 *Voto Castitatis obstrictus, si dispensatus nubat, an Viduus iterum nubere possit?*
38 *Gratis expediuntur Litteræ S. Pœnitentiariæ.*
39 *Leander Cardinalis Coloredus laudatus.*
40 *Hieronymi de Bertis Officialis S. Pœnitentiariæ pietas.*

AD complementum materiæ de Matrimonio, & harum Decisionum de eodem tractantium, supereſt, ut aliqua de Dispensationibus Matrimonialibus disseramus. Dixi *aliqua*, quia si omnia, quæ ad illas spectant, voluissem exponere, volumen centuplo majus componendum foret, adeò ampla existit tractatio prædicta, ut videre est in ingentibus operibus Pyrrhi Corradi, Vincentii de Justis, & aliorum præclarissimorum Auctorum, qui de iisdem Matrimonialibus Dispensationibus integros tractatus edide-1 runt. Cum igitur Dispensationes Matrimoniales expediantur Romæ vel à Dataria pro foro Fori, vel à Sacra Pœnitentiaria pro foro Poli; de utrisque hæc pauca, scitu digna, imò necessaria, animarum Pastoribus, ac Confessariis proponimus.

Et quidem pro Dispensationibus in foro Fori duodecim sunt notanda. I. Quòd in Linea recta usque in infinitum prohibitum est Matrimonium jure naturali, itaut si Adam viveret, nullam fœminam posset ducere in Uxorem; & ideo inter ascendentes, & descendentes in linea recta, in quocunque gradu sint, sivè proximo, sivè remoto, etiam ultra quartum, & quintum, Dispensatio non datur, ut docent Navarrus *in Summa cap. 22. num. 84.* Sylvester *Verb. Matrimonium. 8. quæst. 6.* Layman *libr. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6. assert 2.* & alii innumeri, quos refert Sanchez *libr. 7. disp. 51. num. 12.* novissimè Vinc. de Justis 2 *de Dispensationib. Matrim. lib. 2. cap. 3. à num. 54. & seqq.* ubi *num. 58.* subdit, quòd usque adhuc nunquam auditum est, in aliquo gradu lineæ rectæ dispensatum fuisse; & tamen satis verisimiliter credi potest, ut pluries, ac ex urgentissimis causis fuerit diversis temporibus petita Dispensatio in hujusmodi Linea recta II. In Linea autem transversali dantur à Papa dispensationes, ubi cau- 3 sa justa, ac urgens intercedat super secundo, tertio, ac quarto gradu, ac etiam in primo, & secundo simul, ut ostendimus supra *in Decis. XXII. num. 35. & 36.* Quando autem unus ex Sponsis est in quinto gradu, quamvis alter sit in quarto, tertio, secundo, ac etiam in primo gradu ejusdem Lineæ transversalis, non est opus dispensatione; & sine illa potest contrahi Matrimonium; quia inter existentes in primo, ac quinto gradu 4 nullum est impedimentum; & sufficit, quòd unus ex Sponsis sit extra quartum gradum, etsi alter sit intra, ac supra illum, ut absque dispensatione possint simul inire conjugium, ut docent Sanch. *libr. 7. dis. 53. num. 5. & lib. 8. disp. 24. num. 35.* Basilius Pontius *lib. 8. cap. 17. §. 5. n. 26.* Corradus *in Praxi dispensat. Apostolic. lib. 7. cap. 1. n. 27.* Vincentius de Justis *d. lib. 2. cap. 3. num. 76.* & Nicolius *Instit. Civil. lib. 1. tit. 10. sub num. 78. §. 2.* ubi testatur, sic etiam respondisse Sacram Congregationem. III. Si Sponsi distent gradu inæquali à communi stipite, veluti si unus sit in tertio, alter in quarto consanguinitatis gra- 5 dibus, debet uterque gradus in supplicatione exprimi, ut diximus in *d. Decis. XXII. num. 11.* quia licet dispensatio detur super gradu remotiori, qui imbibit, & trahit ad se propinquiorem; nihilominùs quia alter collateralis, qui est propinquior communi stipiti, efficit Dispensationem in eo gradu difficiliorem; ideò id totum in eadem supplicatione est Papæ exponendum. Barbosa in Votis Decisivis *lib. 1. Vot. 3.* ubi *num. 16.* ponit Bullam Urbani VIII. declarantis invalidam dispensationem ob non expressum proximiorem gradum; quod etiam notat Vinc. de Justis *lib. 1. cap. 4. à num. 122 & seqq.* subdens, tantò magis exprimendum esse etiam propinquiorem gradum, si is esset primus, quia difficillimè Papa dispensat in eo ob singularem indecentiam, quæ ex hujusmodi conjugiis resultat, nam ut bene advertit Coninch *disp. 33. num. 72.* eadem ferè reverentia debetur consanguineo in primo gradu, quæ parentibus ipsis debita est. IV. Ita sunt exprimenda impedimenta in Dispensatione ad contrahendum petenda, ut singula in propria specie, & gradu, & cum necessariis circumstan- 6 tiis exponantur; nec unum pro alio, nec certum pro dubio, vel è contra supponatur; quia si unum pro alio, nec in sua specie. & existentia proponatur, non valebit Dispensatio. Vinc. de Justis *d. lib. 1 cap. 4. num. 115.* Sanchez *lib. 8 disp. 24. n. 17.* Basilius Pontius *lib. 8. cap. 17. n. 31.* Aversa *q. 19. sect. 5.* & alii, quos congerunt, ac sequuntur Salmanticenses *de Matrimon. tract. 9. cap. 14. n. 44.* V. Si in expressione graduum fieret error; tunc si fuisset expressus major pro minore

nore (dummodò sit in eadem specie) valebit Dis-
7 pensatio, quia eo ipso, quod Papa dispensat su-
per gradu superiori, virtualiter, & formaliter in
illo continetur gradus inferior in eodem ordine,
& in eadem specie. Sanchez *d. libr.* 8. *disp.* 24.
n. 27. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 5.
num. 15. Aversa *d. quæst.* 19. *sect.* 5. *Vers.* 5. Basilius
Pontius *d. lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *num.* 31. & Vinc. de
Justis *d. libr.* 1. *cap.* 4. *n.* 132. subdens *n* 133.
quòd subreptitia esset Dispensatio, si loco majo-
ris impedimenti expressum esset minus; quod
notat etiam Barbosa *d. lib.* 1. *Vot.* 4. *n.* 13. Rota
p. 3. *Divers. Decis.* 117. *num.* 2. & Pyrrhus Corra-
dus *in Praxi Dispens. Apost. libr.* 7. *cap.* 5. *n.* 29.
VI. Quando error contingit circa speciem im-
pedimenti, ut si diceretur, Impedimentum esse
Consanguinitatis, cùm sit Affinitatis; vel è con-
tra, subreptitia pariter est dispensatio, quamvis
8 verus gradus sit expressus; nam Consanguinitas,
& Affinitas sunt Impedimenta diversa, & ex di-
versis non fit illato. *l. Papinianus exul. ff. de Mi-
nor.* Sanchez *d. libr.* 8. *disp.* 24. *num.* 19. Gutti-
rez *de Matrim. cap.* 124. *num.* 10. Pyrrhus Cor-
radus *d. libr.* 7. *cap.* 5. *num.* 71. & 72. ac Vinc. de
Justis *d. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 140. VII. Si impedimen-
tum, super quo petitur Dispensatio ex duplici
causa proveniat, puta quia Sponsi sint consan-
guinei tam respectu Patris, quàm respectu Ma-
tris; vel inter eos sit duplex Affinitas, puta quia
Sponsus cum duabus sororibus Sponsæ copulam
carnalem habuit; sivè duplex cognatio spiritualis
intercedat, quia Sponsus levavit unum filium è
Fonte, alterum in Confirmatione ab ipsa Spon-
sa natos; hæc duplicitas impedimenti est expo-
nenda Papæ; aliàs invalida erit Dispensatio. San-
9 chez *d. libr.* 8. *disp.* 24. *n.* 5. Aversa *d. disp.* 19. *sect.*
5. & Salmanticenses, qui alios plures allegant *d.*
cap. 14. *num.* 51. VIII. Disputant DD. si quis ha-
beat plura impedimenta, puta Consanguinitatis,
Affinitatis, ac Voti Castitatis. Utrum possit se-
paratim petere Dispensationem priùs super uno,
absque mentione aliorum? deindè super altero,
tacitis aliis? Alii affirmant, alii negant, & eos
10 referunt Salmanticenses *d. cap.* 14. *num.* 52. & 53.
sed magis probabilis est opinio negativa ea ra-
tione, quia exprimenda sunt Papæ illa omnia, ex
quibus redditur difficilior in dispensando. At
nemo inficiabitur, quòd Papa magis difficiliter
dispensabit cum Sponso habente tria impedi-
menta, quàm unum solum Sanchez *d. libr.* 8.
disp. 23. *n.* 2. Basilius Pontius *d. libr.* 8. *cap.* 17.
§. 4. Suarez *lib.* 6. *de Legib. cap.* 24. *num.* 2. iidem
Salmanticenses *d. cap.* 14. *num.* 53. & 54. ubi li-
mitant, quando ex his impedimentis aliqua es-
sent occulta, & ex manifestatione sequeretur in-
famia; nam tunc super publico posset peti Di-
spensatio, tacitis aliis, pro quibus liceret recur-
rere ad Sacram Pœnitentiariam pro dispensatione
in foro Poli, quod approbat etiam Aversa *d.*
quæst. 19. *sect.* 5. IX. Si inter Sponsos habentes
impedimentum dirimens Consanguinitatis, vel
Affinitatis, habita fuerit copula carnalis, Utrùm
sit exprimenda Papæ sub pœna subreptitiæ dispen-
sationis? Magna est altercatio DD. quos refe-
11 runt Salmanticenses *d. tract.* 9. *cap.* 14. *n.* 39. &
40. asserentes utramque opinionem esse proba-
bilem; sed negativam prævalere, quam etiam
amplectitur Vinc. de Justis *d. lib.* 1. *cap.* 4. *num.*
250. & *seqq.* ubi appellat hanc Quæstionem ma-
gnam, & difficilem; at *num.* 259. limitat, quan-
do in Bulla dispensationis esset clausula *Dummo-
dò copula non intercesserit*; quam tamen hodiè
non inseri in Bullis dispensationum Matrimo-
nialium dicit *num.* 263. & testatur Pyrrhus Cor-
radus *d. lib* 8. *cap.* 2 *num.* 20. invehens contra
Vicarios Executores earundem dispensationum,
qui interrogant Oratores, an simul habuerint
copulam, cùm id non habeant in mandatis. Ve-
rum tamen est, quòd circa hanc Quæstionem
supponunt DD. dispensationem peti, & obtineri
ex aliqua alia rationabili causa, nempè propter
angustiam loci, vel defectum Dotis Oratricis,
seu sedationem inimicitiarum, aut extinctionem
litium, honoris Oratricis reparationem, scanda-
lorum evitationem, meritorum remuneratio-
nem, ætatis ipsius Sponsæ, ac alias similes cau-
sas; quibus attentis, ac earum aliqua, non est
opus exprimere copulam, quam forsan Sponsi
consanguinei inter se habuissent, ut post longam
disputationem concludit ipse Vinc. de Justis in
fine *d. cap.* 4. *sub num.* 364. Porrò quando con-
sanguinei, vel affines habuerunt simul copulam
ob spem facilioris Dispensationis obtinendæ hæc
est Papæ omninò exprimenda, ut diximus *supra
Decis.* 22. *n.* 40. *Vers. Quintò.* X. Incestuosis, si
ad obtinendam dispensationem in forma paupe-
rum, imposita sit per Papam pœnitentia ad labo-
randum in fabrica, seu servitio alicujus Ecclesiæ
per sex, vel octo menses, aut aliud præscriptum
tempus; & hi dictam pœnitentiam vel ob pau-
pertatem, vel ob infirmitatem adimplere non va-
leant; Episcopus, seu Executor illam mutare, 12
vel restringere non potest: sed opus est rescri-
bere ad Datariam, & ab ea impetrare modera-
tionem, seu commutationem Nicolius *d. lib.* 1.
Instit. Civil. tit. 10. *num.* 78. §. 8. XI. Utrùm Epi-
scopus possit dispensare in aliquo impedimento
dirimente tam pro Matrimonio contrahendo,
quàm pro Matrimonio bona fide nulliter jam
contracto, quando imminet aliquod magnum
scandalum, vel ob paupertatem conjugum non
est facilis aditus ad Papam? Disputant pro utra- 13
que parte DD. quos allegat Diana Coordinatus
tom. 3. *tract.* 2. *resol.* 129. 130. 131. 132. 133.
134. 135. ubi ad satietatem differit. XII. Tan-
dem est advertendum, quòd Ordinariorum Vi-
carii incurrunt excommunicationem Papæ reser-
vatam, si occasione expediendarum Dispensatio-
num Matrimonialium accipiant aliquod munus,
aut pecuniam etiam sponte oblatam à partibus:
id enim in fine diplomatis Pontificii solet eis
expresse prohiberi, sub eadem pœna Excommu-
nicationis ipso facto incurrenda, non obstante 14
quacunque taxa, vel consuetudine etiam imme-
morabili, nec ratione sigilli, nec alterius cujus-
cunque rei, ut notat Nicolius *in Lucubrat. Ca-
nonic. libr.* 5 *tit.* 39. *num.* 203. §. 7 subdens quòd
Notarius pro examine testium quartam partem
Ducati aurei tantummodò recipere potest, ut
declaravit Sacra Congregatio, quam refert etiam
Diana Coordinatus *tom.* 5. *tract.* 7. *resol.* 46. de-
sumpta ex veteri *part* 5. *tract.* 13. *resol.* 71. in
qua leguntur multæ querelæ Romam delatæ
contra ministros Episcoporum non servantes ta-
xam Pontificiam in actibus, quos expediunt in
suis Cancellariis. Et hæc quo ad dispensationes
Matrimoniales pro foro Fori sufficiant.

Elargi-

Elargiuntur autem Matrimoniales Dispensationes etiam à Sacra Pœnitentiaria Urbis Romæ, quando impedimenta sunt occulta, pro foro tamen conscientiæ, & interno tantùm. Quid sit ipsa Sacra Pœnitentiaria? Et quam facultatem
15 habeat? retuli in meis Decisionibus de Virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ *Decis. XLVIII* ubi à *num.* 10. *& seqq* ostendi ex Constitutione novissima Innocentii Papæ XII. Incipien. *Romanus Pontifex* data, *Anno* 1692. *Tertiò Nonas Septembris*, quid possit Summus Pœnitentiarius circa Dispensationem Impedimentorum Matrimonii tam impedientium tantùm, quàm dirimentium, quando sunt occulta, ut in foro interno Matrimonia validè fieri, vel antea nulliter facta possint revalidari. Cæterum quia frequenter evenit, ut Confessariis præsententur Litteræ ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ, dantes iisdem facultatem dispensandi super aliquo impedimento occulto, placet hìc ponere exemplum earundem Litterarum desumptum à Marco Paulo Leone *in Praxi Sacræ Pœnitent. part.* 2. *pag.* 170. & 171. tenoris sequentis:

Discreto Viro Confessori Magistro in Theo-
16 *logia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario. Ex parte Latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, Quòd ipse alias in facie Ecclesiæ Matrimonium contraxit, & successivè consummavit cum muliere, cujus sororem priùs carnaliter cognoverat. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator propter Impedimentum ex præmissis proveniens nequeat in dicto Matrimonio permanere absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; & separatio inter ipsum, & mulierem prædictam fieri non possit absque scandalo, & ad id vitandum, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiat Lator à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolet, per Sacræ Pœnitentiariæ Officium absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicari fecit Nobis humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, supplicationibus hujusmodi inclinati, Authoritate Apostolica Nobis specialiter concessa Discretioni tuæ committimus; Quatenùs si est ita, dictum Latorem, audita priùs ejus Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerit, incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta: Injuncta indè ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari, ac Sacramentali Confessione peccatorum suorum, singulis scilict mensibus, ut minimùm semel, & quoties animæ suæ saluti expedire judicaveris; & aliis, quæ fuerint de jure injungenda. Demùm dummodò Impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum, & separatio inter Latorem, & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò, de incontinentia probabiliter timendum esse, tibi visum fuerit; aliudque Canonicum Impedimentum non obstet cum eodem Latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut Latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo, secretò ad evitandas scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses, Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exindè, legitimam decernendo in foro conscientiæ, & in actu Sacramentalis Confessionis tantùm, & non aliter; ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciario nullatenùs suffragetur; nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis, seu processibus confectis; sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, itaut nullum earum exemplum extet, neque eas Latori restituas; quod si restitueris, nihil ipsi præsentes Litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Sigillo Officii Pœnitentiariæ die &c. Anno &c.*

Circa has litteras, quibus Confessario impertitur facultas dispensandi super aliquo Impedimento, vel impediente tantùm; vel etiam dirimente Matrimonium, dummodò Impedimentum sit occultum, itaut dispensatio valeat pro foro interno, & conscientiæ tantum, opus est 17 explicare clausulas, quæ in iisdem litteris inseruntur, ad hoc ut Confessarii, quibus non rarò pro executione præsentantur, sciant, quomodò sint intelligendæ; ne in materia tam gravi, in qua agitur de Sacramento Matrimonii ritè, ac rectè ineundo, seu revalidando; ac etiam de Oratoris conscientia purganda, dirigenda, ac sananda, eos per inscitiam contingat nulliter, vel peccaminosè operari. Duodecim autem sunt præcipuæ Clausulæ, quæ egent explicatione.

Prima Clausula est ista: *Discretio Viro Confessori, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario.* Hæc verba denotant duas qualitates, quas debet habere Confessarius, ut possit has litteras Sacræ Pœnitentiariæ ad executionem demandare. Una est, quòd sit Doctor vel in Sacra Theologia, vel in 18
Jure Canonico; Altera quòd sit ab Ordinario ad audiendas Confessionns approbatus. Quo ad primam, debet esse Doctor, & non habens prærogativam Doctoratus inhabilis est ad has litteras exequendas, etiamsi Juris Cæsarei Lauream obtinuisset, vel publicè doceret Theologiam, ac Sacros Canones, aut communiter crederetur esse Doctor. Sanchez *de Matrim. libr.* 8. *disp.* 34. *num.* 7. Basilius Pontius *libr.* 8. *cap.* 21. §. 1. *num.* 13. Thomas Tamburinus *de Triplici Jure libr.* 8. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 5. Diana Coordinatus *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 157. desumpta ex veteri *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 71. & Vincent. de Justis *de Dispensat. Matrim. libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 98. *& seqq.* ubi subdit, quòd Regulares, qui juxta suorum Ordinum institutà Magistri appellantur, & Magistrorum Privilegiis fruun-

frauntur, si verè & effectivè. Doctoris Lauream in aliqua publica Academia non sint assequuti, has litteras aperire, & exequi non valent, quod docet etiam Lezana *in Summa tom.* 4. *Verb. Litteræ Apostolicæ num.* 14. Limitatur tamen hæc qualitas Doctoratus in duobus casibus. *Primus* est, in Religiosis, qui ex Privilegio Apostolico deputantur à suo Generali, vel aliis subalternis suis Superioribus ad Litteras Sacræ Pœnitentiariæ aperiendas, & exequendas; & tales sunt Sacerdotes Confessarii Societatis Jesu ex Privilegio Gregorii XIII. ut testatur Pyrrhus Corradus. *in Praxi Dispensat. libr.* 7. 19 *cap.* 4. *num.* 70. & Thomas Tamburinus *d. libr.* 8. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. addens, quòd sunt plures aliorum Ordinum Regulares hujusmodi Privilegio gaudentes; ut ait etiam Sanchez *d. libr.* 8 *disp.* 34. *num.* 11. Vinc. de Justis *d libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 103. & Lezana *ubi supra*, qui *n.* 15. ponit per extensum Privilegium prædictum Gregorii XIII. sed opinatur illud non posse extendi ad alias Religiones per viam communicationis; quamvis contrarium doceat Pellizarius *in Manuali Regular. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 189. *& num.* 193.

Porrò quando Sacra Pœnitentiaria in mansione, seu inscriptione exteriori Litterarum scribit, *Discreto Viro Confessario ex approbatis ab Ordinario*; & non ponit qualitatem 20 illam Doctoratus, vel Magisterii, tunc quilibet Confessarius approbatus ab Episcopo tam Sæcularis, quàm Regularis, potest aperire easdem Litteras, ac eis executionem dare, si sibi præsententur; ut diximus *de Sacram. Pœnitent. d. Decis. XLVIII. num.* 13. *& seqq.* ubi *num.* 17. notavimus ex Thesauro *de Pœnis Eccles. part.* 2. *Verb. Absolutio cap.* 2. *Vers. Limita* 2. quòd aliquando Summus Pœnitentiarius dirigit prædictas Litteras etiam simplici Sacerdoti non approbato per Ordinarium ad Confessiones audiendas, quia ipse tunc eum approbat, ut Latoris earundem Litterarum Confessionem Sacramentalem possit audire, illum absolvere, & secum super Impedimento Matrimonii in iisdem Litteris exposito dispensare.

Altera verò qualitas ejusdem Confessarii, juxta solitum Stylum Sacræ Pœnitentiariæ, ut possit Litteras aperire, & executioni dem ndare, est, ut sit approbatus ab Ordinario ad confessiones audiendas, juxta illa Verba, *Confessario ex approbatis ab Ordinario*, Circa hanc approbationis qualitatem quatuor moventur dubia. 1. A quo Ordinario debeat 21 esse approbatus? Et omnes DD. dicunt, approbatum esse debere ab Ordinario loci, in quo debet audire Confessionem Latoris Litterarum, & cum eo dispensare, ideò non sufficeret, si à quocunque alio Ordinario fuisset ad Confessiones audiendas approbatus. Tamburinus *d. cap.* 13. *num.* 4. Et ratio est manifesta, tùm quia sic pluries declaravit Sacra Congregatio, ut scripsimus *de Sacram. Pœnit. Decis. XXXVII. num.* 20. tùm quia ita definitum est à Clemente Papa X. in sua Constitutione *Incipient. Superna &c. dici* 20. *Maji* 1670. in qua §. 4. decernit, ut approbatus ad Confessiones audiendas in una Diœcesi non censeatur approbatus ad easdem audiendas in alia, nisi ab Episcopo Diœcesano iterum approbetur; & per hanc Clementinam proscriptæ sunt opiniones contrariæ Moralistarum. 2. Dubitatur, an qui fuit ab Ordinario approbatus ad tempus limitatum, possit expirata approbatione Litteras Sacræ Pœnitentiariæ aperire, ac exequi? Et respondetur, quòd non; quia non censetur ampliùs approbatus post expiratum tempus approbationis. Eminent. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. disp.* 20. *num.* 179. Sacra Congregatio Concilii in *una Patavina 7. Januarii* 1654. 22 quam refert Nicolius *Lucubrat. Canonic. libr.* 5. *tit.* 38. *num.* 9. & fuit à me probatum *de Sacram. Pœnitent. Decis. XXXVII. num.* 18. 3. Dubitant DD. an Confessarius approbatus ab Ordinario ad audiendas Confessiones Virorum tantum, possit exequi Litteras S. Pœnitentiariæ datas alicui Mulieri, & per ipsam eidem Confessario præsentatas? Affirmat Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 16. quem citat Tamburinus *d. libr.* 8. *tract.* 2. *cap.* 13 §. 1. *num.* 4. Negat Suarez *tom.* 4. *de Pœnit. disp.* 27. *Sect.* 7. *num.* 3. & alii 23 quos citat, & sequitur Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 103. reposita in ejus Opere Coordinato *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 154. §. 5. eà ratione, quia non approbatus pro audiendis Confessionibus mulierum non potest dici approbatus quo ad illas; & Major Pœnitentiarius non intendit habilitare ipsum Confessarium magis; quàm fecerit Ordinarius; & ita tenet etiam Vinc. de Justis *d. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 117. 4. Quærunt DD. an Confessarius rudis, ignorans, ac indoctus, sed ab Ordinario (seu ab ejus Officialibus negligentibus in examinando) approbatus possit has Litteras aperire, & 24 eas exequi? Respondent affirmativè Trullench. *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10 *dub.* 10. *num.* 2. & Vinc. de Justis *d. cap.* 8. *num.* 118 quia S. Pœnitentiaria supponit, Ordinarium esse attentum in approbandis Confessariis; & non requirit, nisi quòd Confessarius sit actualiter approbatus. De indoctis autem Episcopus Deo rationem reddet.

Secunda Clausula earundem Litterarum; post narrativam Impedimenti, quo Orator detinetur, consistit in illis Verbis: *Si est ita* &c. per quæ verba obligatur Confessarius se informare de veritate narratorum in Litteris, & an tale sit Impedimentum, quale expositum fuit Summo Pœnitentiario; & hæc indagatio, est 25 de forma, qua omissa nulla foret Dispensatio. Tamburinus *d. cap.* 13. §. 2. *num.* 1. Vinc. de Justis *d. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 127. *&* 128. & ibi Lezana *d. tom.* 4 *Verb. Litteræ Apostolicæ n.* 23. Valerus *de Different. Utriusque Fori. Verb. Gratia. Diffic.* 3. ac alii quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *d. tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 161. existente in inordinato *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 108. qui omnes docent, non esse vocandos testes, neque formandum processum; sed ex ore ipsius Oratoris, ac pœnitentis esse indagandam veritatem;

tem, & obſervandum à Confeſſario, an res ita ſe habeat, prout in Litteris eſt enarrata? adeò ut neque opus ſit dare eidem Oratori juramentum, quamvis contrarium ſcribat Baſilius Pontius *lib. 8. cap. 21. num. 16.* imò nec opus eſt alia indagatione veritatis, ſi de illa aliundè Confeſſarius ſit informatus. Sanchez *d. libr. 8. diſp. 34. num. 24.* Vinc. de Juſtis *d. libr. 1. cap. 8. num. 134.* ubi alii DD. idem docentes. Sed quid Juris, ſi Orator aſſerat rem ita ſe habere; Confeſſarius autem aliundè ſciat, hanc aſſertionem eſſe falſam? Reſpondet Sanchez *d. diſp. 34. num. 21.* & Tamburinus *d. cap. 13. §. 2. num. 3.* quòd debet Oratorem dimittere, quia non poteſt Litteras exequi, neque cum eo diſpenſare; nam eatenus S. Pœnitentiaria dat ei facultatem diſpenſandi, quatenus res ſit ita, ut ei fuit expoſitum. Vinc. de Juſtis *d. libr. 1. cap. 8. Num. 129.* Diana Coordinatus *d. reſol. 161.* ubi alios DD. cumulat.

Tertia Clauſula ſtat in illis verbis: *Dictum Latorem, audita priùs ejus Sacramentali Confeſſione, à quibusvis ſententiis, cenſuris &c. abſolvas.* Quæ verba obligant Confeſſarium, ut priùs audiat Confeſſionem Sacramentalem Latoris ejusdem Litterarum, quia,
26 etſi diſpenſatio ſuper Impedimento fieri poſſit extra Sacramentalem Confeſſionem, & ſine illa, tamen Stylus modernus S. Pœnitentiariæ habet, ut priùs Orator faciat ſuam Confeſſionem Sacramentalem coram Confeſſario Executore Litterarum; quæ quidem eſt de forma, itaut ea omiſſa, invalida eſſet diſpenſatio. Pyrrus Corradus *in Praxi Diſpenſ. Apoſt. libr. 8. cap. 10. num. 30.* Barboſa *in Votis Conſultivis lib. 1. Vot. 15. num. 22* Riccius *in Praxi reſol. 22. num. 3.* & aliis citatis Vinc. de Ju-
27 ſtis *d. lib. 1. cap. 8. à num. 105. & ſeqq.* Sed quid Juris, ſi Lator Litterarum faceret Confeſſionem invalidam, vel ob defectum integritatis, vel attritionis aut alterius cauſæ, diſpenſatio eſſet valida? Affirmativè reſpondent DD. quos allegat Diana *d. part. 8. tract. 3. reſol. 106.* collocata in Coordinato *tom. 3. tract. 2. reſol. 159.* quia Confeſſarius, qui eſt Judex, functus eſt officio ſuo juxta præſcriptum Litterarum. Eſcobar tamen *in Theolog. Mor. lib. 1. Exam. 16. cap. 4. num. 124.* excipit, Caſu quo integritas Confeſſionis deeſſet in re, ob quam petitur diſpenſatio; quod eſt dicere, ſi falſum Orator narraret, & læderet antecedentem Clauſulam *Si ita eſt &c.*

Quarta Clauſula habetur in illis verbis. *Injuncta ei gravi pœnitentia ſalutari, ac Sacramentali Confeſſione peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, ut minimùm ſemel, & quoties animæ ſuæ ſaluti expedire judicaveris, & aliis quæ fuerint de jure injungenda.* Circa hanc Clauſulam DD. ſex dicunt. *Unum*, quòd quantitas, & qualitas Pœniten-
28 tiarum injungendarum Latori pœnitenti pendet ab arbitrio Confeſſarii, qui tamen debet operari ſecundùm regulas prudentiæ, ne ſit nimis levis, aut nimis rigidus. Sanch. *d. lib. 8. diſp. 34. à n. 35. & ſeqq.* Baſilius Pontius *d. lib. 8. cap. 21. §. 1. n. 18.* Vinc. de Juſtis *d. lib. 1. cap. 8. num. 143. Alterum*, quòd opera injungenda pœnitenti, ut plurimum, ſunt jejunia, elemoſynæ, diſciplinæ, recitatio Roſarii, Litaniarum, vel Coronæ, auditio Sacri, & ſimilium, habito reſpectu ad pœnitentis conditionem. Sanchez *d. diſp. 34. n. 41.* Vinc. de Juſtis *d. cap. 8. num. 153. Tertium*, quòd Confeſſarius non debet imponere Confeſſionem frequentiorem, quàm menſtruam. Sanchez, Pontius, ac Vinc. de Juſtis *ubi ſupra*; addentes, quòd bene poterit imponere bimeſtrem, aut trimeſtrem tantùm, prout melius ipſe Confeſſarius viderit expedire. *Quartum*, quòd Pœnitens poteſt adimplere menſtruam Confeſſionem quacunque die Menſis, itaut ſi confiteatur. E. G. prima die Maii, ſatisfaciat, ſi deindè Confeſſionem reputat ultima die Junii. Vinc. de Juſtis *d. libr. 1. cap. 8. num. 146. & 147.* ſubdens *num. 148.* quòd ſi pœnitens omittat in menſe Confeſſionem menſtruam, non tenetur eam duplicare in menſe venturo, ſed de hac omiſſione, quæ peccaminoſa eſt, ſe accuſare. *Quintum*, quòd Confeſſarius non debet imponere illa opera, ad quæ pœnitens ex alia cauſa, ſeu ex Voto obligatus eſt; ſed opera nova, & ab illis diſtincta. Sanchez *d. libr. 8. diſp. 34. num. 39.* Baſilius Pontius *d. libr. 8. cap. 21. §. 1. n. 18.* Trullench *d. tom. 3. libr. 7. cap. 10. dub. 10. num. 8.* Et *Sextum*, quod omnia opera pœnitentialia injungenda à Confeſſario debent eſſe ad tempus limitatum, non autem in perpetuum; niſi expreſsè, eſſe ea perpetua debere, Litteræ dicerent, quia in pœnalibus benigniùs interpretatio eſt facienda. *cap. Odia. De Regul. Jur. in 6.* Vincen. de Juſtis *d. libr. 1. cap. 8. num. 158.*

Quinta Clauſula conſiſtit in illis verbis: *Demum dummodò Impedimentum ex præmiſſis proveniens ſit occultum.* Ad cognoscendum quando Impedimentum dicatur occultum, DD. infra citandi dant ſequentes regulas. 1. Quòd illud dicitur occultum, quod non eſt publicum, nec famoſum, nec manifeſtum, nec notorium, etſi per duos, aut tres teſtes poſſet probari. 2. Quòd non eſt occultum, ſi cognitum ſit à majori parte Vicinæ, vel Parochiæ, itaut ſaltem decem perſonæ illud ſciant. 3. Quando Impedimentum deductum eſt ad forum contentioſum; & ſuper eo pars eſt cuata, non poteſt amplius dici occultum. 4. Si Reus fuerit à Judice abſolutus, quamvis ſe defendiſſet per falſos teſtes, ſivè per ſententiam definitivam, ſivè pro nunc, delictum, ſeu Impedimentum dicitur occultum. 5. Occultum dicitur, ſi neſciatur in loco, in quo expedienda eſt diſpenſatio, quamvis in alia diſtanti regione ſit publicum, & ceſſet periculum, ut indè notitia reportetur. 6. Si delictum, ſeu Impedimentum, etſi verum, deductum ad judicium non potuit probari, cenſetur occultum. 7. E contra ſi probatum ſit, & ſententia lata, omninò dicitur notorium, & publicum. 8. Quando in Litteris Pontificiis dicitur, dummodò delictum, ſeu Impedimentum ſit *omninò occultum*;

occultum; tunc si duo sint, qui illud sciant, non est occultum, nam ly *omninò* explicatur *totaliter*, *ac indistinctè*. 9. Quando pauci sunt, qui de Impedimento notitiam habent, vel à multo tempore cessavit ejus memoria, potest ex arbitrio Confessarii judicari occultum, quia in his casibus intrat prudentis arbitrium: ut latè disserunt Thomas Tamburinus *libr.* 9. *in Decalog. cap.* 3. §. 2. *n.* 10. Et de Matrimonio *lib.* 8. *tract.* 1. *cap.* 5. *à num.* 25. *& seqq.* Sanchez *eod. tract. libr.* 8. *disp.* 34. *num.* 55. & idem Auctor. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 20. Thesaurus *d. Pœnit. Eccl. part.* 1. *cap.* 21. *Vers. Advertendum tertiò.* Diana Coordinatus *d. tom.* 3. *tract.* 3. *resol.* 19. *resol.* 20. *& resol.* 21. ubi plurimos DD. cumulat. Vinc. de Justis *d. lib.* 1. *cap.* 8. *à num.* 167. *& seqq.* Novissimè Fagnanus *in cap. Vestra*, *à num.* 106. *De Cohabit. Cleric. & Mulier. tom.* 4. quos omnes Auctores, quatenus opus sit, Confessarii in exequendis Litteris Sacræ Pœnitentiariæ poterunt videre.

Sexta Clausula stat in illis verbis: *Et separatio inter Latorem, & dictam Mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum esse, tibi visum fuerit.* Ex quibus duæ innuuntur causæ impulsivæ ad dispensandum super Impedimento, quo Pœnitens est affectus, sci-
30 licet timor scandali, seu incontinentiæ nisi dispensatio elargiatur. Igitur, quando Confessarius ex circumstantiis loci, temporis, ac ipsorum Sponsorum, seu Conjugum timet, oriunda esse scandala, vel eosdem incontinentes evasuros, potest. & debet cum illis dispensare, ut Matrimonialiter simul vivant. Vinc. de Justis *lib.* 3. *cap.* 17. *à num.* 15. *& seqq.* ubi exemplificando declarat, quæ sint ista scandala; & docet, ea esse tum periculum fornicationis, in quam labantur conjuges, si cum ipsis non dispensetur, & simul vivant; tum murmurationes hominum aliorum, qui viderent eos ab invicem separari, cum jam per longum tempus tanquam veri conjuges habiti sint ab omnibus; tum etiam infamiam, quam incurreret Orator, si ejus occultum delictum, seu impedimentum manifestaretur; ideòque concludit ob hæc, & similia, impertiendam esse dispensationem: Ecclesia enim magnopere satagit evitare scandala, & ne scandala sequantur, recedendum est à regulis Juris. *cap. Duo pueri.* 12. *De Desponsat. Impuber.* Felinus *in cap.* 1. *§. Nihil. De Rescript.* ubi enumerat triginta tres casus inductos contra Juris regulas, scandali vitandi causa, quos summatim repetit ipse Vinc. de Justis *d. libr.* 3. *cap.* 17 *num.* 34. qui *num.* 35. addit alios casus tresdecim, ibi à Studiosis videndos.

Septima Clausula continetur in illis verbis: *Cum eodem Latore* (dispenses,) *ut dicta mulierè de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè ut Latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo, secretè &c. contrahere valeant.* Hic labor, hic angustia Confessarii. Quomodo potest certiorare alium conjugem innocentem de nullitate prioris con- 31
sensus, quando contraxit Matrimonium cum altero conjuge, habente impedimentum dirimens ex delicto, puta ex fornicatione habita cum sorore ipsius Sponsæ; vel si Sponsa deliquit, cum fratre ipsius Mariti; & talè delictum non manifestet? Ego certè non semel sudavi, & alsi in expediendis Litteris Sacræ Pœnitentiariæ, ac revalidando Matrimonio nullo, eò quia ante contractum vel mulier habuerat carnalem copulam cum fratre Viri, vel Vir cognoverat carnaliter Sororem ejusdem mulieris. Plures sunt DD. qui opinantur, hanc Clausulam, de certiorando conjuge innocente de nullitate primi consensus, esse simplicem instructionem, non autem necessariam conditionem; quia, ut plurimùm, Conjux ignarus certior fieri non potest, absque alterius conjugis periculo. Reginaldus *libr.* 11. *num.* 220. Bonacina *de Matrim. quæst.* 2. *punct.* 9. *num.* 7. Aversa *eod. tract. quæst.* 11. *sect.* 4. *Vers. Demum juxta hoc.* Sanchez *d. libr.* 8. *disp.* 34. *num.* 61. & Vinc. de Justis *d. libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 181. *& seqq.* ubi redarguit Guttierezium *de Matrimon. cap.* 128. *num.* 22. dicentem, prædictam certiorationem esse conditionem necessariam; quod non est asserendum, quia ex ea gravia scandala, & forsan vitæ periculum eidem mulieri potest imminere; nec non Viro infamia, & aliis consanguineis ipsius mulieris. Opus est igitur magna prudentia; & suasos reddere conjuges, generali sermone, si forsan Matrimonium ex aliqua causa fuisset invalidum, an sint parati illud per novum consensum validum reddere? cumque responderint, se esse paratos, subdere debet Confessarius: Supponatis itaque illud nulliter contractum fuisse ab initio: nunc novum consensum adinvicem exhibere. Contentus es tu Vir accipere hanc mulierem in Uxorem? Affirmativè Vir respondet. Deindè: Contenta es mulier accipere Virum hunc in Maritum tuum? Utique dicit illa. Tunc Confessarius, eos benedicendo dimittat, dicens: Vivite feliciter veri conjuges, & state in pace.

Octava Clausula illa est: *Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exindè legitimam decernendo in foro conscientiæ, & in actu Sacramentalis Confessionis tantùm.* Facilis est executio hujus Clausulæ, quia completa revalidatione Matrimonii, per novum consensum Conjugum, Confessarius secretò, & Latore Litterarum coram se genuflexo in actu Sacra- 32
mentalis Confessionis constituto, brevi sermone subdit, & *Proles tua sit legitima*, quamvis talis etiam esse censeatur, attenta bona fide unius ex conjugibus, ex doctrina Sanchezii *d. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 46. & Vinc. de Justis *d. libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 165. Ubi tamen ambo conjuges fuissent ab initio conscii impedimenti dirimentis, per quod eorum Matrimonium fuit nullum, proles nata esset illegitima, & hæc legitimatio valeret tantummodò occulto remanente impedimento; sed eo notorio effecto,

fecto, etiam filii evaderent in foro externo illegitimi. Rota *part.* 1. *diverſ. Deciſ.* 606. *num.* 2.

Nona Clauſula verſatur circa illa Verba: *Ita quòd hujusmodi abſolutio, & diſpenſatio in foro judiciario nullatenùs ſuffragetur &c.* Siquidem Summus Pœnitentiarius non ſe ingerit in delictis ad forum contentioſum deductis, nec intendit impedire Judices, ne reos 33
debitis pœnis caſtigent; ſed tantummodò mandat eos abſolvi in foro interno quo ad culpam, & pœnas Cenſurarum coram Deo, ut notant Leo *in Praxi Pœnitentiar. part.* 1. *pag.* 8. & Vinc. de Juſtis *d. libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 205. Sed ecce duas inſtantias. *Una* eſt, Confeſſarius diſpenſavit vigore harum Litterarum S. Pœnitentiariæ cum earum Latore ſuper Impedimento occulto impediente, & dirimente, ad effectum, ut poſſit adimplere Sponſalia, atque Matrimonium contrahere, Epiſcopus, ac Parochus, qui ſecretam notitiam habuerunt de eodem Impedimento, nolunt dare licentiam, ut hoc conjugium ineatur, Parochusque omninò negat ſuam aſſiſtentiam. Po- 34
teritne Confeſſarius certiorem facere tum Epiſcopum, tum Parochum de diſpenſatione ſuper eodem impedimento data vigore earundem Litterarum? *Altera* eſt: agitur de Matrimonio nulliter contracto ob impedimentum dirimens Affinitatis ex copula illicita, cum ſorore Sponſæ antea perpetrata. Judex habuit talem qualem notitiam hujus delicti. Procurat per examen teſtium illud probare, ut puniat delinquentes. Poteritne Confeſſarius eundem Judicem monere de diſpenſatione, ut ſupra, elargita, ad hoc ut deſiſtat ab inquiſitione, & formatione Proceſſus? Affirmativè reſpondent ad utramque inſtantiam Filliucius *de Matrim. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 358. & Thomas Tamburinus *eod. tract. lib* 8 *tract.* 2. *cap.* 13. §. 6. *num.* 2. dummodò Confeſſarius ſecretò moneat Epiſcopum, Parochum, & Judicem; qui omnes acquieſcere debebunt hujusmodi notitiæ, ac certificationi.

Decima Clauſula hæc verba habet: *Præſentibus Litteris laniatis, quas ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ laniare teneatis, itaut nullum earum exemplum extet: neque eas Latori reſtituas; quòd ſi reſtitueris, nihil ipſi præſentes Litteræ ſuffragentur.* Ex hac Clauſula tria colliguntur. *Unum*, quòd ſi Confeſſarius non laceraverit Litteras, earum executione completa, incurret in pœnam excommunicatio- 35
nis, quando hæc eſt inſerta in iisdem Litteris; aliquando enim non inſeritur, ut ego pluries easdem recipiendo, ac exequendo obſervavi; forſan quia cùm in illis non exprimantur nomina Oratorum, etiam non laceratæ ad nihilum valent. *Secundum*, quòd ſi de facto adeò fatuus, aut negligens ſit Confeſſarius, ut easdem Litteras ſinat ab Oratore ſibi auferri, nihil juvabunt ipſum Latorem quo ad abſolutionem, & diſpenſationem obtentam. Sanchez *d. libr.* 8. *diſp.* 34. *num.* 42. Vinc. de Juſtis *d. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 156. *Tertium*, quòd nihilominùs in foro conſcientiæ, ac interno ipſa Diſpenſatio eſt valida. Sanchez *d. num.* 42. & Thomas Tamburinus *d. cap.* 13. §. 7. *in fine.* Sed ecce pulchrum *Dubium.* Confeſſarius receptis Litteris S. Pœnitentiariæ à Latore, eisque lectis, ac conſideratis judicat, non eſſe locum petitæ per eundem Latorem diſpenſationi; eidemque dicit, non poſſe illum diſpenſare. Latori ſubjungit: Veſtra Reverentia aut nimis rigida, aut nimis ſcrupuloſa eſt; ſiquidem 36
Viri doctiſſimi, quos conſului, affirmarunt caſum meum eſſe diſpenſabilem. Dignetur reſtituere mihi Litteras, ut eas alteri Confeſſario exhibere valeam. Eruntne reſtituendæ Litteræ ipſæ? Poteritne Lator eas ſibi reſtitutas alii Confeſſario benigniori præſentare, & ab eo petitam Diſpenſationem obtinere? Reſpondent affirmativè Sanchez *d. lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 40. Bonacina *de Diſpenſat. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *n.* 2. Lezana *in Summa tom.* 4. *d. Verb. Litteræ Apoſtolicæ n.* 19. & aliis citatis Thomas Tamburin. *d. tract.* 2. *de Matrimon. cap.* 13. §. 1. *n.* 8. & 9. ubi reddit rationem, quòd Litteræ prædictæ per aperitionem factam à Confeſſario non perdiderunt ſuum valorem; & cùm agatur de negotio fori interni, ſi unus Executor negat iisdem Litteris executionem dare, adiri poteſt alius executor aut doctior, aut benignior, aut minùs ſcrupuloſus; imò primus Confeſſarius, meliùs examinata cauſa, ſi mutet opinionem, poteſt eundem Latorem vocare, iterùm Litteras ab eo recipere, ac illas exequi; ſubdens etiam idem Tamburinus *ibid. num.* 13. quòd ſi Confeſſarius moreretur, antequam cum eodem Latore diſpenſaret, poteſt iſte Litteras recuperare, & alii Confeſſario pro executione deferre.

Undecima Clauſula eſt illa; quæ ubi agitur de diſpenſando ſuper Voto ſimplici Caſtitatis, ad effectum ut Orator poſſit Uxorem legitimè ducere, inſeritur in Litteris Sacræ Pœnitentiariæ his verbis: *Ita quòd ſi Uxori, cui conjungetur* (Lator) *ſupervixerit, Caſtitatem ſervet, utpotè eodem Voto obligatus, ut priùs.* Ex qua Clauſula deducunt DD. teneri Confeſſarium monitum facere in 37
diſpenſatione Latorem ipſum; quod ſi præmoriatur Uxor, cum qua nunc initurus eſt conjugium, non poterit ad ſecundas Nuptias tranſire abſque nova Apoſtolica diſpenſatione, quia hæc conceſſa ſuper primo Matrimonio non trahitur ad ſecundum. *cap. fin.* 33. *quæſt.* 2. Vinc. de Juſtis *d. libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 185.

Duo-

Duodecima, & ultima Clausula formatur ex illis verbis, quæ à tergo Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ apponuntur, nempè: *Gratis ubique*: quæ Verba denotant pro hujusmodi Commissionum concessione, ac executione nihil peti, aut exigi posse nec à Majori Pœnitentiario, nec ab Officialibus, & Ministris ejus Sacri Prætorii, nec ab ipso Confessario, qui in hoc debet esse fidelis, & ab omni interesse penitùs alienus; adeò ut nihil accipiat à Latoribus, neque spontè oblatum, neque in signum gratitudinis, ut scribit Navarrus *lib. 4. Consilior. tit. De Sponsal. cons. 50. num. 3.* Sanchez *d. libr. 8. disp. 34. num. 64.* & ipse Vinc. de Justis *in cit. libr. 1. cap. 8. num. 190.* siquidem ejus unicum motivum debet esse salus animarum, ad DEI Gloriam; quale motivum ego intimè cognovi, & millies veneratus sum in Eminentissio S. R. E. Leandro Cardinali Colloredo moderno Majori Pœnitentiario, & in Reverendissimo Hieronymo de Bertis ejusdem Sacri Prætorii Officiali, de quo mentionem feci in meis Dicisionibus de Sacramento Pœnitentiæ *Decis. XLVIII. num. 8.* Etenim sæpè EMINENTIÆ SUÆ, ac eidem doctissimo, ac piissimo Viro de BERTIS per Epistolam exposui casus dispensabiles super Impedimentis occultis, ad me pro remedio spirituali delatos; & semper benigna ab UTRISQUE reportavi responsa, cum Litteris in eodem Sacro Tribunali expeditis pro facultate absolvendi, & dispensandi, gratis, ad solius DEI Gloriam, animarum auxilium, & conscientiarum medelam. Et hic præsentibus Decisionibus de Sacramento Matrimonii sit

FINIS.

INDEX VERBORUM,

AC RERUM NOTABILIUM,

In hoc Tractatu de Sacramento Matrimonii.

A.

Abba Hebraicè idem est, ac Pater Latine. Decis. 24. num. 3. Abbas Papadopoli laudatus. Decis. 36. num. 26.

Abbas S. Justinæ de Padua an possit assistere Matrimoniis in Ecclesiis unitis suo Monasterio? Decis. 35. num. 9.

Abraham cur rogavit Saram Uxorem suam, ut diceret esse sororem ejus? Decis. 22. num. 32.

Absentia nimis longa Sponsi, an Sponsalia solvantur? Decis. 17. num. 30.

Aconcii fraus, ut Cydippe se ei Sponsam promitteret. Decis. 16. num. 24.

Actus inhonesti an sint liciti inter Conjugatos? Decis. 38. num. 24.

Adoptio Divina quid homini largiatur? Decis. 24. num. 5.

Adoptio vel Divina, vel Humana. Et quæ utraque? Decis. 24. num. 2. & 6.

Adoptio Humana duplex, alia perfecta, alia imperfecta. Decis. 24. num. 8. A quo Jure procedat? num. 11. Perfectæ, ac imperfectæ qui sint effectus? num. 21. & 22.

Adoptio imperfecta an producat Cognationem Legalem dirimentem Matrimonium? Decis. 24. num. 26.

Adoptari an quis possit in Patrem, vel in Fratrem? Decis. 24. num. 7.

Adoptare, vel Arrogare ut quis possit, novem requisita habere debet; & quæ? Decis. 24. num. 19.

Adoptati an veniant sub nomine Filiorum? Decis. 24. num. 23.

Adoptivi Parentes an contrahant Cognationem Spiritualem cum Patrinis? Decis. 23. num. 26.

Adventus, ac Quadragesimæ tempore Matrimonia an contrahi possint? Decis. 37. num. 4.

Adulter conjux post divortium an teneatur adhærere conjugi innocenti eum requirenti? Decis. 39. num. 27. & 32.

Adulteria an essent tolerata apud Hebræos? Decis. 9. num. 13. & num. 25. Qua pœna ab eis plecterentur? ibid. num. 30. Suspicio sola quomodo purgabatur. num. 31.

Adulterium cum promissione futuri Matrimonii illud dirimit; septem tamen conditionibus concurrentibus; & quæ sint? Decis. 25. num. 13. Est causa divortii Decis. 39. num. 23. & quando excusetur à divortio? num. 24. & 26.

Adulterorum punitiones divinæ. Decis. 25. num. 20. & 21.

Æqualitas an sit semper servanda in contractibus. Decis. 9. num. 40.

Ætas, ac anni S. JOSEPH, quando DEIPARAM Virginem desponsavit? Decis. 3. num. 24.

Ætas quæ requiratur ad contrahendum Matrimonium per verba de præsenti? Decis. 32. num. 37. 38. 39.

Æthiopes non voce, sed nutibus loquentes. Decis. 5. num. 21.

Affines inter seipsos non sunt Affines. Decis. 31. num. 9.

Affinitatis Etymologia, ac definitio. Decis. 31. num. 1. & 2.

Affinitas an oriatur ex copula cum dormiente, ebria, & sine sensibus? ibid. num. 3. Qualis debeat esse copula, ut eam gignat? num. 4.

Affinitas quas personas afficiat? Decis. 31. num. 8. Oritur tàm ex copula licita, quàm illicita. num. 10. Qui sint ejus effectus? num. 11. Quot ejus genera? num. 15. Alia ex Linea recta, alia ex transversali. num. 18. Usque ad quem gradum dirimat Matrimonium à num. 21. & seqq. A quo Jure procedat? num. 30. & seqq.

Affinium gradus quomodo computentur? Decis. 31. num. 19. Eorum Stipes quis sit? num. 20. Inter eosdem Impedimentum semper durat. d. Decis. 31. num. 14.

Africani Concilii Decretum, ne Conjugati aliis nubant de Anno 420. Decis. 10. num. 25.

Agar Uxor Abrahami quomodo ab eo dimissa, & repudiata cum puero Ismaele. Decis. 8. num. 1. num. 21. 22. & 23.

S. Aldegundes fugiens à Sponsa ambulat super aquas, & fit Sanctimonialis. Decis. 14. num. 32.

Alexander Magnus adoptatus in filium à Regina Cariæ. Decis. 24. n. 14.

Alexandri Papæ III. decretum de insolubilitate Matrimonii consummati. Decis. 10. num. 44. Aliud de solutione Matrimonii rati tantùm. Decis. 13. num. 11. & 12.

Alexandri Papæ VIII. Breve dispensationis ad Matrimonium pro Subdiacono. Decis. 28. num. 18.

Alexandrina Virgo, quæ sibi caput à milite fecit abscindere, ne Virginitatem amitteret. Decis. 14. num. 26.

S. Alexius, ac Theonas Abbas Uxores intactas deserunt. Decis. 14. n. 22.

Alimenta filiis præstanda per Parentes de Jure naturali. Decis. 7. num. 31. Et per Maritum Uxori. Decis. 39. n. 18.

Amentes, stulti, ac fatui an possint contrahere Matrimonium. Decis. 19. n. 18.

Amentia, & defectus ætatis Matrimonium irritat. Decis. 19 num. 13.

Amentiæ species est nimius Amor. Decis. 19. num. 19.

Amodò

Amodò Dictio quid significet? Decis. 36. num. 12.
Amor nullus vincit paternum. Decis. 7. n. 30.
Amor species stultitiæ. Decis. 19. num. 19. Quam corporis partem afficiat? num. 20. Nimius vertitur in furorem. num. 21. An reddat Matrimonium nullum. num. 22.
Andreas Erizzo Prætor Paduæ Anno 1691. laudatus. Decis. 33. n. 16.
Angelica attestatio Voti Virginitatis per DEIPARAM emissi ad S. Birgittam. Decis. 3. num. 5.
Angelis, ac Beatis an conveniat raptus in Deum? Decis. 33. num. 4.
Angelotti Anglicani qui sint? Decis. 31. num. 39.
Animalia irrationabilia habent vagum concubitum. Decis. 7. num. 34. Incapacia effectuum Juris naturalis secundarii. ibidem num. 43. Abhorrent copulam cum eorum genitoribus. Decis 22. num. 22.
S. Anna Mater DEIPARÆ an viveret, dum natus est CHRISTUS? Decis. 3. num. 13. Ejus Annulus pronubus ubi sit? Decis. 16. num. 42.
Anna filia Ducis Venetiarum nupsit Nicolao Justiniano Monacho Casinensi ex Papæ dispensatione. Decis. 15. n. 19.
Annos quot haberent DEIPARA, atque S. JOSEPH, quando simul sunt desponsati. Decis. 3. num 15. & 24.
Annus XIV. in masculo; & XII. in fœmina completus requiritur pro contrahendo Matrimonio. Decis 32. n. 37.
Annuli subarratio in Sponsalibus est usus antiquissimus. Decis. 16. n. 41.
Annuli DEIPARÆ, ac S. ANNÆ ubi servantur? Decis. 16. n. 42. & 43.
S. Ansberti Sponsalia dissoluta ob deformitatem Sponsæ ex morbo contractam. Decis. 17. num. 37.
S. Anselmi verba de Matrimonii consummati insolubilitate. Decis. 10. n. 43.
Anthenagoræ dictum de eadem insolubilitate. ibid. num. 34.
S. Antoninus Archiepiscopus Florentiæ quo anno obierit? Decis. 15. n. 22.
S. Apollonia seipsam injecit in ignem. Decis. 14. num. 25.
Apostoli Pauli verba *ad Ephes.* 5. 32. de Matrimonio Christianorum. Decis. 4. num. 12.
Apostoli an emiserint tria Vota solemnia Religionis. Decis. 14. num. 11. & Decis. 21. num. 26.
Apostolorum Canon de insolubilitate Matrimonii consummati. Decis. 10. n. 20.
Apostolica Sedes nunquam erravit. Decis. 13. num. 17.
Appellari an possit à denegata Denunciationum Matrimonialium dispensatione? Decis. 34. num. 18.
Aqua se olim lavabant Conjuges post coitum. Decis. 38. n. 9.
Arbitrium Episcopi attendendum circa cohabitationem conjugis fidelis cum infideli. Decis. 11. num. 44.
Archipresbyter Patavinus an possit assistere Matrimoniis in Ecclesia Cathedrali, & in illa S. Bartholomæi Villæ Farræ. Decis. 35. num. 11.
Arcta Mulier an teneatur pati incisionem? Et quando ejus arctitudo dirimat Matrimonium? Decis. 32. n. 26. 27.
Argumentum valet de facto ad potentiam. Decis. 15. num. 20.
Arrhæ cur dentur à Sponsis in Sponsalibus? Decis. 16. num. 2.
Arrogatio, in quibus conveniat, & in quibus differat ab Adoptione? Decis. 24. num. 9. & 10. Ejus effectus qui sint? ibidem num. 22.
Arvernium est Urbs Galliæ Aquitaniæ. Decis. 2. num. 17.
Assistentia sola Patrini an faciat contrahere Cognationem spiritualem. Decis. 23. num. 18.
Assistentia Parochi, ac duorum saltem Testium necessaria pro validitate Matrimonii. Decis. 35. à num. 1. & seqq.
Assuerus Rex quis fuerit? Ab eo repudiata Regina Vasthi, ducta est Esther. Decis. 8. num. 4. & 5.
Attentata contra Decretum Judicis sunt retractanda. Decis. 36. n. 14.
S. Augustini doctrina de insolubilitate Vinculi Matrimonialis. Decis. 10. n. 40.
Aurelia Urbs ubi sit? Decis. 10. n. 26.
Aureliani Concilii Decretum Anno 533. de insolubilitate Matrimonii, d. Decis. 10. num. 26.

B.

BAptaglini Episcopi Nucerini narratio nullitatis Matrimonii Ducis Aureliæ, vulgò *d'Orleans*. Decis. 18. n. 29.
Baptismo in privato an contrahatur Spiritualis Cognatio? Decis. 23. n. 16.
Baptizans semper contrahit Cognationem Spiritualem. Decis. 23. n. 17. & 27.
Barda Patricius Constantinopolitanus Uxorem dimisit Anno 858. & aliam duxit: An validè? Decis. 10. num. 3. & num. 52.
Benedictio à Deo data Adam, & Evæ quid fuerit? Decis. 4. num. 11.
Benedictio ab Isaaco data per errorem Jacobo an fuerit valida? Decis. 19. num. 7. & 13.
Bertæ Uxoris Philippi Regis Franciæ injusta dimissio. Decis. 10. n. 58.
Berta Abbatissa, Sponso relicto, velum suscepit. Decis. 14. n. 30.
Bigamia an Infideles afficiat? Decis. 11. num. 2.
Bigamia, & Biviria quid sit? Decis. 29. num. 37.
Bimestre transacto, An conjux in Matrimonio rato possit ingredi Religionem? Decis. 13. num. 40.
Bissi doctrina circa errorem qualitatis, Matrimonium dirimentis. Decis. 19. num. 30.
Biviria quid sit? Decis. 29. n. 37.
Burdigala Urbs ubi sit? Decis. 31. n. 51.
Burgi Urbs, vulgò *Burgos* est in Hispania, Decis. 15. num. 34.

C.

S. CÆcilia, etsi desponsata Valeriano, se dedicavit Christo. Decis. 14 num. 17.
Cæremoniæ decem, quas observabant Hebræi in repudianda Uxore. Decis 9. num. 10.
Cæsara Regina Persarum ad Fidem conversa recusat cohabitare cum Marito, nisi & ipse convertatur. Decis. 11. n. 40.

Calen-

Calendarii Patavini declaratio circa tempus prohibitum Nuptiarum. Decis. 37. num. 7.
Caliditas nimia, impediens copulam, quæ non sanatur per triennium, dirimit, Matrimonium. Decis. 32. n. 18.
Camilli Guarienſis Nobilis Veronenſis Matrimonium ratum ſolutum. Decis. 15. num. 31.
Canones probantes ſolvi Matrimonium Ratum per Profeſſionem Religioſam. Decis. 13. num. 10.
Canones decernentes, Votum ſolemne Caſtitatis dirimere Matrimonium. Decis. 21. num. 24.
Canonis 72. Synodi Trullanæ VI. proſcriptio. Decis. 26. num. 22.
Cap. *Uxor*, 32. *q.* 7. cap. *Quod propoſuiſti. ead.* 32. *q.* 7. cap. *Concubuiſti*, 32. *q.* 7. cap. *Cum in captivitate*, 34. *q.* 2. cap. *Laudabilem*, 1. *De Converſ. Infidelium*, declarata. Decis. 10. à n. 9. & ſeqq.
Cap. *Si Infidelis*, 28. *q.* 2. explicitum. Decis. 11. num. 20.
Cap. *Commiſſum*, *de Sponſalibus*, enodatum. Decis. 17. num. 15.
Cap. *Non debet*, *de Conſanguinit. & Affinit.* loquitur de Linea recta, & obliqua. Decis. 22. num. 24.
Cap. *Judæi*, 28. *q.* 1. declaratum. Decis. 26. num. 16.
Cap. *Uxor*, 32. *q.* 7. expoſitio. Decis. 29. n. 26.
Cap. *Tua Fraternitas*, *De Sponſa duor.* diſpoſitio, & intelligentia. Decis. 36. n. 2.
Caramuelis relatio de Poteſtate Laica circa Impedimenta Matrimonium dirimentia. Decis. 18. num. 26. Ejuſdem doctrina circa Errorem Qualitatis Matrimonia dirimentem. Decis. 19. n. 31.
Cardinalis Cajetani laus ejus Vitæ, ac mortis tempus. Decis. 15. n. 26.
Cardinalis de Lauræa, ac Maſtrii interpretatio verborum *S. Matthæi.* 19. 9. Decis. 10. num. 75.
Cardinalium teſtimonio etiam ſine juramento eſt credendum. Decis. 15. n. 27.
Carnalia quæque peccata, ab uno conjuge cum altera perſona commiſſa, an ſint cauſa divortii? Decis. 39. num. 28.
Caroli Craſſi Imperatoris injuſta dimiſſio Richardæ Uxoris, & alterius aſſumptio. Decis. 10. num. 5. & 57.
Caroli Calvi Regis Franciæ Filia nulliter nupſit, quia ſine conſenſu Patris nupſit. Decis. 18. num. 27.
Catechiſmi Impedimentum quale ſit? & num etiam nunc duret. Decis. 37. n. 14.
Catechumeni Matrimonium an ſit Sacramentum? Decis. 7. n. 4.
Catechumenus Patrinus an contrahat Cognationem Spiritualem? Decis. 23. num. 11.
Catechumena an validè nubat baptizato? Decis. 26. num. 3.
Catholica mulier an validè nubat Hæretico? Decis. 26. num. 21.
Cauſæ plures, quibus Hebræi repudiabant Uxores. Decis. 9. num. 32.
Cauſæ duodecim, ob quas Papa poteſt ſolvere Matrimonium ratum. Decis. 15. num. 44.
Cauſæ juſtæ ſolvendi ſponſalia quæ ſint? Decis. 17. num. 3.
Cauſæ quæ ſint, ob quas Papa poteſt diſpenſare in Votis ſolemnibus Caſtitatis? Decis. 28. num. 14. & 17.
Cauſæ quindecim ob quas remitti poſſunt denunciationes Matrimoniales. Decis. 34. n. 19.
Cauſæ urgentes quæ ſint, ob quas Judex poteſt interdicere Matrimonium contrahendum ſub pœna nullitatis. Decis. 36. num. 21. & 23.
Cauſa ceſſante ceſſat effectus. Decis. 36. n. 24.
Cellulæ erant in atriis Templi Hebræorum, pro habitatione Virginum. Decis. 3. num. 3.
CHRISTUS Dominus abolevit diſpenſationem repudiandi Uxores. Decis. 9. num. 45. Ejus Verba *Matth.* 19. 9. relata, ac declarata. Decis. 10. num. 15. & 74. Ipſius conceſſio, ut Matrimonium conjugis convertentis ſe ad Fidem, ſit ſolubile. Decis. 11. num 6. Et quod per Profeſſionem Religioſam ſolvatur Matrimonium ratum. Decis. 13. num. 26. Quæ locutus ſit Apoſtolis poſt Reſurrectionem ſuam per dies 40. ibid. num. 28. Ab ipſo an emiſſa ſint tria Vota ſolemnia Religionis? Decis. 21. num. 26. Utrùm ab eo inſtituta ſint aliqua impedimenta Matrimonii? Decis. 31. num. 47. & Decis. 36. num. 19.
Circumſtantia Filiationis Spiritualis an exprimenda in Confeſſione circa peccata carnis? Decis. 23. n. 3.
Circumſtantiæ quatuor ſervandæ à Conjugibus in uſu Matrimonii; & quæ? Decis. 38. num. 14. & ſeqq.
Civitas an contrahat Cognationem Spiritualem, ſi ejus nomine puer levetur de Fonte? Decis. 23. num. 9.
Clandeſtina Matrimonia olim erant vera Sacramenta. Decis. 6. num. 9. Hodie per Tridentinum Concilium duobus remediis correcta. Decis. 34. num. 1.
Clandeſtina Sponſalia an ſint valida? Decis. 16. num. 30.
Claves domus dabantur Uxoribus in Matrimonio, auferebantur ab eis in repudio. Decis. 8. num. 9.
Claudicare quando poſſit contractus Sponſalium? Decis. 17. num. 9.
Clauſulæ duodecim Litterarum S. Pœnitentiariæ explicatæ. Decis. 40. num. 16. & ſeqq.
S. Clementis Alexandrini ſententia de inſolubilitate Matrimonii. Decis. 10. num. 35.
Clericis in Sacris quando prohibitum ſit Matrimonium? Decis. 21. n. 28.
Clerus Gallicanus ſententiavit pro nullitate Matrimonii Ducis Aureliæ ex defectu conſenſus Regis. Decis. 18. n. 31.
Clodia, Cæcilia, Scribonia, & aliæ Matronæ Romanæ repudiatæ à Maritis. Decis. 8. n. 16.
Clotarii Regis Galliæ tempore requirebatur conſenſus ejus pro Matrimoniis conſanguineorum ipſius. Decis. 18. n. 37.
Clotildis Chriſtiana, nupſit Clodoveo Regi Francorum Pagano; & ex eo filios ſuſceptos baptizavit. Decis. 4. num. 21. & ſeqq.
Clytemneſtra Agamemnonis Uxor adultera, & Viricida. Decis. 25. n. 16.
Coactio eligendi ex pluribus Filiabus unam in Uxorem, An ſit Impedimentum dirimens? Decis. 27. n. 35.
Cœca eſt omnis libido. Decis. 10. n. 46.

Cognationis Naturalis, seu Carnalis definitio ac declaratio. Decis. 22. num. 3. Usque ad quem gradum ipsa dirimat Matrimonium in Linea recta, ac obliqua? ibid. num. 12. & 13. A quo Jure proveniat? num. 17.
Cognationis Spiritualis definitio, ac declaratio. Decis. 23. num. 1. Quo Jure dirimat Matrimonium? & quot personas afficiat. num. 4. & seqq. An aliquando duplicetur? & quomodo. n. 28.
Cognationis Legalis definitio, divisio, ac declaratio. Decis. 24. à num. 6. & seqq. Quo Jure dirimat Matrimonium. num. 18. Quot ejus Lineæ, seu species? num. 24. Quas personas afficiat, itaut inter se non possint Matrimonium contrahere? à n. 25. & seqq. An impediat, & dirimat in perpetuum, vel ad tempus. num. 29. & 30. Usque ad quos gradus extendatur? n. 31. & seqq. Si superveniat post Matrimonium, an tollat usum ejus? d. Decis. 24. num 34.
Cohabitatio triennalis necessaria, ubi Conjux ex aliqua causa non potest coire. Decis. 32. num. 13. Quando incipiat tempus illius triennii? ibid. n. 14.
Collaterales Cognati an de Jure Naturæ prohibeantur copulari? Decis. 22. n. 28.
Columba miraculosum Chrisma attulit in Baptismo Clodovei Regis Francorum. Decis 4. num. 26.
Communionem qua die Conjuges acceperunt, an possint coire. Decis. 38. n. 6.
Concilia Generalia an valeant Impedimenta dirimentia Matrimonium statuere? Decis. 18. num. 18.
Conciliorum Decreta prævalent dictis SS. Patrum. Decis 10 n. 64. Eorum auctoritas quanta sit? Decis. 13. n. 19.
Concilii Tridentini Decretum circa Raptum mulieris. Decis. 33. num. 10. De Assistentia Parochi, & Testium pro validitate Matrimonii. Decis. 35. à num. 1. & seqq.
Concordantia DD. circa Interdictum Judicis dirimens Matrimonium. Decis. 36. num. 20.
Condemnati ad Triremes, seu ad perpetuum Carcerem, an possint contrahere Matrimonium? Decis. 20. n. 12.
Conditiones tres, ut solvatur Matrimonium conversi ad Fidem. Decis. 11. num. 18.
Conditionis Vox denotat duo Impedimenta dirimentia. Et quæ? Decis. 20. num. 1.
Conditio servilis quomodo, & quanda dirimat Matrimonium? Decis. 20. à num. 2. & seqq.
Conditiones quot, & quales possunt apponi in Matrimonio? Et quando illud irritent, vel ipsæ irritentur? Decis. 20. à num. 15. & seqq.
Conditiones de præterito, vel de futuro quando Matrimonium dirimant? d. Decis. 20. num. 30. usque in fin.
Conditiones ad incurrendum Impedimentum Criminis dirimens quæ & quot esse debeant? Decis. 25. n. 10.
Conditiones, quas ponit Papa dispensando circa Matrimonium, si fuerint omissæ Denunciationes. Decis. 34. n. 23.
Confessarii executores Litterarum S. Pœnitentiariæ quibus qualitatibus debeant esse præditi. Decis. 40. à num. 17. & seqq.
Confessarii Regulares an dispensent cum conjugibus incestuosis ad petendum debitum? Decis. 31. num. 53.
Confessio Latoris Litterarum S. Pœnitentiariæ prius audienda, deinde cum eo dispensandum. Decis. 40. num. 26. Et quid si sit invalida? num. 27.
Conformitas ad Institutionem divinam an sit Forma Sacramenti Matrimonii? Decis. 5. num. 6.
S. Congregationis Declaratio, quod valida sint Matrimonia contracta coram Parocho invito. Decis. 18. num. 24.
Conjuges, qui in Matrimonio Virginitatem servarunt. Decis. 2. num. 16.
Conjuges sunt Ministri Sacramenti Matrimonii, si sint baptizati, ac compotes mentis. Decis. 6. num. 16. & 17. si contrahant Matrimonium in mortali, an mortaliter peccent? ibid. num. 25. & seqq. Olim prima nocte casti manebant. num. 32. Quomodo certiorandi de nullitate Matrimonii in exequendis Litteris S. Pœnitentiariæ. Decis. 40. num. 31.
Conjuge uno Religionem ingrediente, alter nubere non potest. Decis. 12. n. 6.
Conjugati invalidè contrahunt Matrimonium, primo durante. Decis. 25. n. 14.
Conjugatus potest in Sacris ordinari quinque concurrentibus conditionibus. Et quæ sint? Decis. 28. num. 5. Quando teneatur, non obstante divortio, ad conjugem suum redire? Decis. 39. n. 34.
Conjugium cur dicatur Matrimonium? Decis. 1. num. 22.
Connubii nomen cur Matrimonio detur? Decis. 1. num. 23.
Consanguinitatis, & Affinitatis Impedimentorum rationes multæ. Decis. 22. num. 15.
Consensus mutuus in Matrimonio an sit ejus Materia, ac Forma? Decis. 5. per totam.
Consensus utriusque Conjugis an sit necessarius pro Matrimonio rato dissolvendo? Decis. 15. num. 52. Et ad dissolvenda Sponsalia? Decis. 17. n 4.
Consensus humani epitheta, laudes, & energia. Decis. 19. num. 4. Non suppletur per Clausulam *Supplentes, &c.* num. 5.
Consensus deficit, quando error est in persona. d. Decis. 19. n. 10.
Consiliarium bonum non habere est Dei punitio. Decis. 10, num. 49
Constantinus Imperator Filius Leonis, & Irenes, repudiata Uxore, aliam duxit. An validè? Decis. 10 num. 2. & 50.
Consuetudo Regionum attendenda circa cohabitationem Conjugis fidelis cum infideli. Decis. 11. num. 43.
Consuetudo an possit introducere Impedimenta dirimentia? Decis. 18. num. 20. & 21. Item 35.
Consuetudo an valeat abrogare Impedimenta dirimentia per Ecclesiam introducta? d. Decis. 18. num. 39. & Decis. 26. num. 19.
Consuetudo introduxit impedimentum dirimens ob Cultus disparitatem. d. Decis. 26. num. 17.

Consummatum an sit Matrimonium sola vasis penetratione absque seminatione? Decis. 7. num. 8.
Consummans Matrimonium invalidè initum an peccet? Decis. 27. n. 38.
Contractus Matrimonii est de Jure Naturali, Gentium, & Civili. Decis. 1. num. 5. Et quando habuit initium? n. 6. Est fundamentum Sacramenti. Decis. 4. num. 2. Ideò si contractus Matrimonii sit nullus etiam Sacramentum irritetur. Decis. 36. num. 18.
Contrahentes Matrimonium an faciant duo, vel unum Sacramentum? Decis. 5. num. 24.
Controversia est antiqua, ac indecisa, quæ fuerint inter Hebræos causæ Repudii? Decis. 9. num. 27.
Copula carnalis an sit de essentia Matrimonii? Decis. 1. num. 4. Decis. 2. num. 13 Ante peccatum Adæ, an fuisset sine delectatione venerea? Decis. 1. num. 7. Olim faciebat transire Matrimonium de futuro in præsens. Decis. 6. num. 10. Habita ante Matrimonium ratum an faciat illud consummatum? Decis. 7. num. 6. Illata per vim in Matrimonio rato an reddat ipsum consummatum? ibid. num. 15. Exercita inter Sponsos de futuro, an impediat eorum ingressum in Religionem intra bimestre? Decis. 17. num. 16. Facta cum secunda Sponsa an dissolvat Sponsalia cum prima? ibid. num. 25. Utrùm convalidet Matrimonium per metum contractum? Decis. 27. num. 37. Qualis esse debeat, ut gignat Affinitatem? Decis. 31. num. 4. Incestuosa quibus pœnis puniatur, & usque ad quem gradum? ibid. num. 12.
Copula maritalis an sit actus meritorius? Decis. 38. num. 4. & 7. Denegari potest in novem Casibus. Et qui sint? ibid. num. 13. Non exercenda in loco publico, vel sacro. ibid. num. 17. ea non completa an ab ea Conjuges desistere valeant? num. 23. Habita inter Sponsos aliquo Impedimento dirimente affectos, an pro dispensatione Impedimenti sit ipsa exprimenda? Decis. 40. num. 11.
Corpora contrahentium Matrimonium an sint ejus Materia? Decis. 5. num. 7. Et an eorum traditio? ibid. n. 9.
Costobarus Maritus Salomes Sororis Herodis ab ea repudiatus Decis. 9. n. 38. Ejus infelicissimus finis. ibid. n. 43.
Crimen dirimens Matrimonium cur sic dictum, & à quo Jure introductum? Decis. 25. num. 1. & 2. In quatuor casibus committitur, & qui sint? à num. 7 & seqq.
Crimina Septem impedientia, sed non dirimentia Matrimonium. Et quæ sint? Decis. 37. à num 19. & seqq. Si committantur à conjugato, An privent illum usu petendi debitum, ibidem num. 32. In eis qui dispensare possit? num. 34.
Cupido cur cœcus, & oculis vitta opertis pingatur? Decis. 15. num. 45.

D.

DAmnatus ad mortem, ut eum effugiat, si Filiam Judicis in Uxorem ducat, an validè ducat. Decis. 27. num. 33.
David ab Uxore Michol per fenestram dimissus. Decis. 8. num. 31. Ejus Matrimonium cum Bersabea an fuerit nullum ob impedimentum Criminis? Decis. 25. num. 3. Habuit Uxores octo. Et quæ? Decis. 29. num. 11.
Debitum conjugale reddendum, si justè petatur. Decis. 20. num. 19.
Decisiones Rotæ, ac DD. agentes de Impedimento Vis, Metus. Decis. 27. num. 40.
Declaratio nullitatis Matrimonii per Vim, & Metum initi, post septennium, ac susceptam prolem. Decis. 27. num. 42.
Definitio debet constare ex genere, ac differentia. Decis. 2. num. 2.
Defloratio Sponsæ est causa interdicendi Matrimonium cum alia muliere sub pœna nullitatis. Decis. 36. num. 22.
Deformitas Sponsæ ob Variolas an sit causa solvendi Sponsalia? Decis. 17. num. 34.
DEIPARÆ Sposalitius Annulus ubi servetur? Decis. 16. num. 43. Ipsa prima fuit, quæ emisit Vota perpetuæ Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, Decis. 21. num. 16.
Dementia Conjugis quando sit causa Divortii? Decis. 39. num. 16.
Denunciationes de futuro Matrimonio ex præcepto faciendæ, Ubi, à Quo, Quibus diebus? Quando repetendæ? Per quem remittendæ? Earum qui sint effectus? Decis. 34. à num. 1. & seqq.
Devotionis causa quando possit fieri Divortium inter Conjuges tùm quo ad Thorum tantùm; tùm etiam quoad cohabitationem. Decis. 39 num. 9. & 10
Deus ab initio Mundi fecit Matrimonium insolubile. Decis. 7. num. 27. An dispensaverit cum Hebræis in Polygamia? Decis. 29. num. 14 An dispensare possit circa Præcepta naturalia? ibid. num. 19. & 20.
Deuteronomium Hebraicè dicitur *Misnè*, idest reiteratio Legis Divinæ, cujus est quinta pars. Decis. 9. num. 3. 4. & 5. A Moyse scriptum. Et quando? ibid. num. 6. Ejusdem *cap.* 21. *Vers.* 15. interpretatio. Decis. 29. n. 9. & n. 13.
Diabolus obsessit Nobilem recusantem tenere ad Fontem puerum agricolæ. Decis. 23. num. 37.
Diœcesis Patavinæ consuetudo puniendi villanos rapientes puellas desponsandas. Decis. 33. num. 14
Diei Naturalis computationes variæ. Decis. 37. num. 5.
Dies Ecclesiasticus, quando incipiat. d Decis. 39. n. 9. Civilis modò brevior, modò longior, ibid. n 10.
Diesion quid sit? Decis. 39. n. 2.
Differentia Sponsalium per Puberes, vel per Impuberes initorum. Decis. 17. n. 7.
Dilapidatio bonorum, quam facit Maritus, est causa Divortii ab Uxore faciendi. Decis. 39. num. 19.
Dirimente, vel Impediente tantùm impedimento affectus non potest Sponsalia contrahere. Decis. 16. num. 33.
Discessus Conjugis infidelis à fideli solvit Matrimonii vinculum. Decis. 11. n. 13.

Dispa-

Disparitas cultus est impedimentum dirimens Matrimonium. Decis. 26. à num. 1. & seqq. A quo Jure introductum? num. 4. 7. 15. & 17. An ubique vigeat? à num. 18. usque in fin.
Dispensatio, ut conjux conversus ad fidem possit discedere ab infideli, est à Christo. Decis. 11. num. 6. & 7. Quando Pontificia sit necessaria pro dicto discessu? ibid. n. 27. & 29.
Dispensatione obtenta super Impedimento, quo Sponsi erant affecti, opus est eorum novo consensu. Decis. 17. n. 41.
Dispensare an possit Papa, vel Episcopus, ut Impuberes contrahant Matrimonium de præsenti? Decis. 19. n. 25.
Dispensatio super Criminis impedimento quæ requirat? Decis. 25. num. 15. Super Impedimento Publicæ Honestatis an detur à Papa? Decis. 30. num. 24. & 27.
Dispensatio Pontificia in quocunque Impedimento cur ponat Clausulam, *Si Mulier rapta non fuerit?* Decis. 33. num. 25.
Dispensatio super Impedimentis impedientibus tantùm à quo sit concedenda? Decis. 37. num. 34. & 35.
Dispensationibus in Matrimonialibus notabilia duodecim à Vicariis, & Ministris Episcopalibus omninò scienda. Decis. 40. à num. 1. & seqq.
Divortii Etymologia, definitio, ac divisio. Decis. 39. à num. 1. & seqq. Causæ, quibus fieri potest reducuntur ad quatuor genera; & quæ sint? à num. 7. & seqq. Qua auctoritate fieri possit? Et quando teneantur Conjuges iterùm simul convenire, & cohabitare? ibid. à num. 25. usque in finem.
Doctoris cujusdam Spurii rubor. Decis. 2. num. 11.
Doctori legenti magis credendum, quàm consulenti; & cur? Decis. 15. num. 25. Decis. 31. num. 40.
Doctorum minor numerus à majori conquassatur. d. Decis. 5. n. 42.
Dolor peccatoris internus quomodo sit Materia Sacramenti Pœnitentiæ? Decis. 5. num. 13.
Domicilium à Sponso translatum in aliam Civitatem an solvat Sponsalia? Decis. 17. num. 29. Qui duo sub diversis Parochiis habet, potest contrahere Matrimonium coram utroque Parocho. Decis. 39. num. 19.
Domini an possint prohibere Matrimonium servis suis: Decis. 20. num. 11.
Dominium reciprocum habent Conjuges in sua corpora. Decis. 2. num. 10. An possit stare sine usu rei? Decis. 3. num. 22. & Decis. 20. num. 21.
Domitia à Domitiano Imperatore repudiata. Decis. 8. num. 13.
Dona Spiritualia quatuor, quæ dantur contrahentibus Matrimonium. Decis. 1. num. 17.
S. Dorotheæ, S. Bibianæ, ac S. Hermenegildi fortitudo animi. Decis. 27. num. 28.
Dotare filias, etiam Spurias, genitores tenentur. Decis. 2. num. 7.
Drahomiræ Paganæ, Matris S. Wenceslai, iniquitas. Decis. 11. num. 37.
Duplicitas Impedimenti an in obtinenda dispensatione, sit narranda? Decis. 40. num. 9.
Dux Venetiarum cur annuatim Mare Adriaticum cum Annulo desponsat? Decis. 16. num. 46.
Dux Aureliæ, vulgò *d' Orleans* nulliter nupsit, non requisito Regis Franciæ consensu, Anno 1634. Decis. 18. num. 28.

E.

EBrietas judicium rationis offuscat. Decis. 8. num. 36. An irritet Matrimonium in ea contractum? Decis. 19 n. 23. Est causa sufficiens Divortii, Decis. 39. num. 29.
Ebrii valida Sponsalia non contrahunt. Decis. 19. num. 25.
Ecclesia Romana errare non potest. Decis. 13. num. 29. Ab ea statutum, ut Votum solemne Castitatis dirimat Matrimonium. Decis. 21. num. 14.
Ecclesia quæque polluitur, si in ea semen humanum effundatur. Decis. 38. n. 19.
Effectus à Sponsalibus provenientes quot, & quales sint? Decis. 16. n. 49.
Eliberini Concilii de Anno 320. excommunicatio in conjugem alii nubentem, vivente primo. Decis. 10. num. 21.
Eliberis erat Urbs in Hispania nunc diruta. Decis. 10. num. 22.
S. Ephrem gratiosum dictum ad Meretricem copulari cupientem cum illo. Decis. 38. num. 18.
Episcopus an possit in sua Diœcesi quidquid Papa potest in toto Mundo. Decis. 15. num. 11. An Impedimenta Matrimonialia valeat statuere? Decis. 18. num. 13. 22. & 23. An dispenset super Jure petendi debitum. Decis. 23. num. 31. & Decis. 31. num. 13. An possit Conjugatum ordinare? Decis. 28. num. 10. Venit nomine Parochi. Decis. 35. num. 7. An ex aliqua causa possit dispensare in Impedimentis dirimentibus. Decis. 40. num. 13.
Epistola Pastoralis Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini de bona Filiorum educatione. Decis. 2. n. 5.
Equitum Religiosorum Professio an dirimat Matrimonium ratum? Decis. 13. num. 37.
Error non præjudicat Veritati. Decis. 10. num. 61.
Error dirimens Matrimonium qualis, & quotuplex sit? Decis. 19. à num. 2. & seqq. Circa personam semper dirimit. ibidem num. 3. Circa qualitatem discordes sunt DD. & de hoc varia dicta à n. 26. & seqq.
Error gradus, seu speciei impedimenti quando irritet Pontificiam dispensationem? Decis. 40. num. 8.
Esdræ invectiva contra Matrimonia Hebræorum cum mulieribus Paganis. Decis. 26. num. 8. & 13.
Essentia Matrimonii consistit in vinculi insolubilitate. Decis. 2. n. 12.
Ethnici contrahebant Matrimonium cum Sacrificio. Decis. 6. n. 34.
S. Evaristi Papæ de Anno 110. sententia, circa insolubilitatem Matrimonii. Decis. 10. num. 33.
Eucharistiæ, ac Matrimonii Minister idem est, ac Suscipiens. Decis. 6. n. 23.
Eucharistiam sumpturi debent ab Uxoribus abstinere. Decis. 38. n. 2. 6. & 15.

Eugenius Papa IV. non expreſſit miniſtrum Matrimonii. Deciſ. 6. num. 13.
Eunuchi, ac Spadones coeuntes an contrahant affinitatem? Deciſ. 31. num. 6. Eorum Matrimonia irrita ex Bulla Sixti V. Deciſ. 32. num. 48. Ipſorum tres ſpecies. ibidem num. 49.
S. Euphraſia Virgo, relicto Sponſo, fit Monialis. Deciſ. 14. num. 20. Ejus Epiſtola ad Imperatorem. ibid. num. 21.
Euridice Macedonum Regina adultera, ac Viridica. Deciſ. 25. n. 17.
Exempla Matrimonii rati per Regularem Profeſſionem ſoluti. Deciſ. 14. num. 1. Et per Apoſtolicam diſpenſationem. Deciſ. 15. num. 17. & 21. Et Sponſalium per Votum Caſtitatis diſſolutorum. Deciſ. 17. num. 20.
Exempla eorum, qui genuerunt filios ante pubertatem. Deciſ. 30. num. 16. Affinitatis diſpenſatæ in primo gradu. Deciſ. 31. n. 49. Divortiorum ex diverſis cauſis initorum. Deciſ. 39. n. 10.
Excommunicatio contra Conjuges inceſtum committentes. Deciſ. 22. num. 40. Et in Cognatos Spirituales Matrimonium ſimul ineuntes. Deciſ. 33. num. 32. Et in Vicarios, ac Executores Diſpenſationum Apoſtolicarum munera acceptantes. Deciſ. 40. num. 14.
Executores Litterarum S. Pœnitentiariæ nihil debent accipere, d. Deciſ. 40. num. 38.
Ezzelinorum cum Campoſanpereiis Nob. Paduæ clades magna ob raptum mulieris. Deciſ. 33. num. 28.

F.

FAbella de Genitore vim faciente Filiabus, ut Moniales fierent. Deciſ. 27. num. 26.
Fabia Romana adultera, & Viricida. Deciſ. 25. num. 18.
Fabiola Matrona Romana, dimiſſo Marito adultero, & vivente, alii nupſit. Deciſ. 10. num. 8. & 60.
Factum præſumitur, quod frequenter fieri ſolet. Deciſ. 7. num. 9. In Sanctis aliquando mirandum, non imitandum. Deciſ. 14. num. 24.
B. Felicis Capuccini oleo Lampadis ſanatus puer à Variolis. Deciſ. 17. n. 36.
Ferris Nob. Patavinis denegata diſpenſatio ſuper Impedimento Publicæ Honeſtatis. Deciſ. 30. num. 27.
Fictè qui Sponſalia contrahit, peccat. Et an teneatur ea adimplere. Deciſ. 16. num. 21. & 22.
Fidelis conjux an teneatur cohabitare cum conjuge infideli? Deciſ. 11. n. 12. Iſte monendus, ut convertatur, ibidem num. 21. Si recuſet, an cum eo fidelis debeat, aut poſſit cohabitare? n. 30. & 45.
Filiæ primogenitæ Hebræorum an eſſent Deo offerendæ? Deciſ. 3. num. 2. Debebant nubere uni de Tribu paterna. ibid. num. 14.
Filiæ Loth an peccaverint coeuntes cum Patre? Deciſ. 22. num. 27.
Filii geniti ante Matrimonium legitimantur per ſolum Matrimonium ratum. Deciſ. 7. num. 7. Similes ſolent eſſe Patri, & ab eo ſunt hæredes inſtituendi. ibidem num. 32. & 33.
Filii Infidelium, ſi unus ex genitoribus convertatur ad fidem, cui debent aſſignari? Deciſ. 12. num. 18.
Filiifamilias in Gallia nulliter nubunt invitis genitoribus. Deciſ. 18. num. 34. Baptizantis, vel Patrinorum non contrahunt Spirituales cognationem. Deciſ. 23. num. 25.
Finis præcipuus Matrimonii eſt Proles, Deciſ. 2. num. 3.
Florentinum Concilium de inſolubilitate Matrimonii. Deciſ. 10. num. 31.
Fœminæ aſſerenti ſe in copula non ſeminaſſe, an ſit credendum? Deciſ. 7. num. 12. Conjugalis debiti ſolutionis avidiſſimæ. Deciſ. 29. num. 17. Si Virum rapiant, an Raptus Impedimentum dirimens incurrant. Deciſ. 33. num. 23.
Fœtor mulierum vel à ſtomacho, vel ex naribus. Deciſ. 9. n. 33.
Forma Sacramenti Matrimonii quænam ſit? Deciſ. 5. per totam.
Formula Libelli Repudii, quam adhibebant Hebræi. Deciſ. 9. num. 8. Interpellandi, ac monendi conjugis Infidelis, ut ſe convertat. Deciſ. 11. num. 24. Profeſſionis Religioſæ varia. Deciſ. 13. num. 5. & 6. Litterarum S. Pœnitentiariæ pro occulto Impedimento Matrimonii diſpenſando. Deciſ. 40. num. 16.
Fornicatio prohibita Jure naturali, ac Divino. Deciſ. 7. num. 29. Comprehendit omnem ſpeciem Luxuriæ. Deciſ. 31. num. 27. Spiritualis eſt Hæreſis, ac Apoſtaſia. Deciſ. 39. num. 21.
Forum Fori difficile in ſententiando pro nullitate Matrimonii ob errorem in qualitate perſonæ. Deciſ. 19. num. 33.
Forum Julii Urbs ſubdita Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ. Deciſ. 10. num. 27. In ea Concilium habitum Anno 800. in quo damnata fuit ſolubilitas Matrimonii. ibid. num 28.
S. Franciſci de Sales doctrina circa copulam maritalem in die Communionis. Deciſ. 38. num. 16.
Francorum adoptiones filiorum. Deciſ. 24. num. 17.
Frater, & Soror Jure naturali prohibentur ſimul nuptias inire. Deciſ. 22. n. 31.
Fraude, & dolo ſi puella educatur à ſua domo, an ſit Raptus? Deciſ. 33. n. 22.
Fraudulenta habitatio ſub nova Parochia, pro contrahendo ibi Matrimonio, facit ipſum nullum. Deciſ. 35. num. 18.
Frigiditas impediens copulam quæ, & quotuplex ſit? Deciſ. 32. num. 9. & ſeqq. Alia accidentalis, alia perpetua. ibidem num. 10. & 12. An detur in Muliere? num. 16. Quando dirimat Matrimonium. d. Deciſ. 32. num. 15.
Fundamenta Catholicæ Veritatis ſunt duo, Scriptura Sacra, atque Apoſtolicæ Traditiones, Deciſ. 13. num. 27.

G.

D. GAſton Dux Metinæ Cæli ſolvit Matrimonium ſuum ratum per Profeſſionem in Religione Melitenſi. Deciſ. 14. num. 34.

Geni-

Genitores mittentes filios suos ad Hospitale Domus Dei ad quid teneantur? Decis. 2. num. 6. Filias etiam Spurias debent dotare. ibid. num. 7.
Genitorum contra voluntatem conjugia à Filiis inita sunt semper infelicia. Decis. 8. num. 27.
Gentiles sunt minus infensi nobis Christianis, quàm Judæi. Decis. 11. n. 42.
S. Gertrudis revelatio, quis fuerit Sponsus in Nuptiis Canæ Galileæ? Decis. 14. num. 4. Quo anno ipsa obierit? ibid. num. 5.
Gloria accidentalis dabitur Conjugatis ob rectam intentionem in usu conjugii. Decis. 38. num. 8.
Glossæ opinio prævalet opinioni aliorum Doctorum. Decis. 24. n. 28.
Gradus quid sit? Decis. 22. num. 7. Computatio de Jure Civili differt à Jure Canonico. ibid. n. 8. & 10. in dispensatione exponendus est tàm remotior, quàm propinquior. ibid. num. 11. & Decis. 40. num. 5.
Græcorum error circa solubilitatem Matrimonii. Decis 10. num 73. Ipsi non admittunt Matrimonium quarta vice. Decis. 36. num. 25. Uni eorum an Mulier Latina coram Parocho Græco nubere possit? Decis. 35. num. 26. & 27. Illi per totam Quadragesimam Uxorem non tangunt. Decis. 38. num. 3.
Gratia confertur in Matrimonio ex opere operato. Decis. 4 num. 3. Qui sint ejus effectus? ibid. num. 4. & seqq. An detur conjugibus quotiescunque coeunt? num. 7.
Gratis omnes Dispensationes Matrimoniales sunt exequendæ sub pœna Excommunicationis. Decis. 40. num. 14. & 38.
Gregoria Virgo Romana, Sponso relicto, fit Monialis. Decis. 14. num. 28.
S. Gregorii Papæ sententia pro insolubilitate Matrimonii Anno 590. Decis. 10. num. 41. Ejusdem Amitæ tres Sanctimoniales. Decis. 14. num. 19. Fuit Patrinus filii Mauritii Imperatoris. Decis. 23. num. 22.
Gregorii Papæ XIII. Bulla super Matrimoniis Infidelium conversorum ad fidem. Decis. 11. num 28.
Gyrovagi Religiosi quinam essent? Decis. 14. num. 23.

H.

HAbitatio in Parochia pro contrahendo Matrimonio qualis esse debeat? Decis. 35. num. 14.
Habitus Religiosi susceptio an statim solvat Sponsalia? Decis. 17. n. 12.
Hæresis Mariti an solvat Matrimonium ratum? Decis. 15. num. 10. Solvit Sponsalia. Decis. 17. num. 38. Est causa sufficiens pro faciendo Divortio. Decis. 39. num. 20.
Hæretici asserentes Matrimonium esse rem malam. Decis. 1. num. 8. Negantes esse Sacramentum. ibid. num. 13. Docentes ejus Vinculum esse solubile. Decis. 7. num. 22. Eorum Matrimonium cum Catholicis an validum? Decis. 26. num. 18. In eorum Urbibus an factum sine Parocho valeat? Decis. 35. num. 23. Aliqui damnantes copulam conjugalem. Decis. 38. num. 5. Ab eis divertere Uxores Catholicæ debent. Decis. 39. n. 22.
Hebræis prohibitus erat ducere Mulieres alienigenas. Decis. 8. num. 26. Ipsi Vota Castitatis non faciebant. Decis. 21. n. 15. Vocabant fratres, & filios, qui tales verè non erant. Decis. 22. num. 34. Eorum Matrimonia cum alienigenis an valida? Decis. 26. num. 11.
Henrici Henriquez dictum de solutione Matrimonii rati. Decis. 15. num. 28.
Henrici VIII. Regis Angliæ dispensatio Matrimonialis super Affinitate. Decis. 30. num. 26.
Heraclii Imperatoris punitio divina pro ejus Matrimonio cum Nepte. Decis. 22. num. 41.
Hermaphroditi quando, & quomodo possint nubere? Decis. 32. n. 51.
Herodes cur reprehensus à S. Joanne Baptista ob Herodiadem Uxorem? Decis. 31. num. 33.
S. Hieronymi sensus de insolubilitate Matrimonii. Decis 10. n. 38.
Hieronymi de Bertis Officialis Sacræ Pœnitentiariæ Pietas laudata. Decis. 40. num. 40.
Historicis antiquis est credendum. Decis. 21. num. 30.
Homines tanquam bestiæ venduntur apud Mahometanos. Decis. 20. n. 5.
Homines sæpè operantur contra Legem naturæ. Decis. 22. num. 26.
Honestatis publicæ Impedimentum Quid, & Quotuplex sit? A quo Jure procedat? A quo tempore in Ecclesia invectum? Inter quas personas, & usque ad quem gradum dirimat Matrimonium? Decis. 30. per totam.
Hymenæos agere quid esset apud antiquos. Decis. 1. num. 25.

I.

JAcobus Menochius olim Publicus Paduæ Juris Civilis Professor laudatus. Decis. 15. num. 32.
Jesuitæ per sua Vota an solvant Matrimonium ratum? Decis. 13. num. 44. Et an per ea dirimatur Matrimonium postea contractum? Decis. 21. n. 20. & 21.
Ignorantia differt ab errore, & quomodo? Decis. 19 num. 1.
Ignorantia Impedimenti Matrimonialis an excuset à nullitate contractus. Decis. 20. n. 23.
Impedimenta Matrimonii quæ, & quot sint? A quo Jure procedant? Decis. 18. à num. 2. & seqq. Eorum divisio. ibid. num. 7. Quis ea possit de novo statuere? ibid. num. 13. & seqq. & num. 18. usque in finem.
Impedimenta Matrimonii non revelanda in quinque casibus. Et qui hi sint? Decis. 34. num. 6. Impedientia tantùm alia ex delicto, alia non. Decis. 37. num. 1. An hodie omnia sint in usu? ibid. num. 33. Si pluta quis habeat, an omnia simul sint Papæ exponenda pro dispensatione. Decis. 40. num. 6. & 10.
Imperatores Christiani, qui repudiarunt Uxores, ut alias ducerent. Decis. 7. num. 38.
Impossibiles conditiones in Matrimonio appositæ an illud irritent? Decis. 20. n. 27. & 28. Earum multiplicitas, ac declaratio. ibidem.
Impotentia coeundi dirimens Matrimonium quæ, & qualis sit? Decis. 32. num. 1. Ejus

multiplex divisio. num. 4. Afficit decem personas; & quæ? num. 8. Ea stante, quando, & quomodo dissolvatur Matrimonium? num. 13. & seqq. Si dubium sit, an ipsa præcesserit Matrimonii contractum? Quid agendum. num. 44.

Impuberes ante septennium completum non possunt contrahere Sponsalia. Decis. 16. num. 31. An ea dissolvere valeant? Decis. 17. num. 5. & seqq. Quando possint contrahere Matrimonium per verba de præsenti. Decis. 19. num. 24. & 25. An peccent contrahendo ante pubertatem? Decis. 32. à num. 36. & seqq. Exempla eorum, qui fœminas gravidarunt. ibidem. num. 40. & 41.

Incestus quid sit? Decis. 31. num. 28. & 29. Quomodo, & quando impediat, & dirimat Matrimonium? Decis. 37. num. 19. & 21. & seqq.

Incestuosi conjugis excommunicatio, ac aliæ pœnæ. Decis. 22. num. 40. & Decis. 31. num. 12. An illas incurrant, qui copulam habent cum consanguinea Uxoris, in tertio, vel quarto gradu? d. Decis. 31. num. 28. & 29.

Indi, ac Jappones an afficiantur Impedimento disparitatis cultus Matrimonium dirimente. Decis. 26. n. 23.

Indissolubilitas Matrimonii in quo consistat? Decis. 7. num. 1. A quo Jure ipsa procedat? ibid. num. 24.

Inferior nihil potest in legem Superioris. Decis. 11. num. 4.

Infidelium Matrimonia an sint Sacramenta? Saltem quando baptizantur? Decis. 4. à num. 15. & seqq. & Decis. 7. num. 3. An sint eorum connubia valida? Decis. 8. num. 42 43. 44. An insolubilia? Decis. 11. num. 1. & 3 An solvi possint? ibid. num. 14. Si unus baptizetur, Utrùm alter possit alias nuptias inire? Decis. 12. num. 2. Eorum Matrimonia, dum baptizantur, an Papa possit dissolvere? d. Decis. 12. num. 14. An contracta in gradibus prohibitis toleranda? ibidem num. 17. An ipsi afficiantur Impedimento Criminis dirimente? Decis. 25. num. 6.

Infirmitas gravis Sponsorum an dirimat eorum Sponsalia? Decis. 17. n. 31.

Informatio est ab Ordinario sumenda, antequam remittat Denunciationes Matrimonii. Decis. 34. num. 20.

Ingressus in Religionem non solvit Matrimonium ratum, sed professio. Decis. 13. num. 39.

Inhonesti actus an sint liciti inter Conjuges? Decis. 38. num. 24.

Innocentii Papæ I. ac III. verba de insolubilitate Matrimonii. Decis. 10. num. 39. & 45. & Decis. 11. num. 16.

Innocentii III. decretum, quod Professio Religiosa solvat Matrimonium ratum. Decis. 13. num. 14. Ejusdem restrictio Impedimenti Consanguinitatis ad quartum gradum. Decis. 22. num. 14. Ejusdem Papæ laudes, ac virtutes. Decis. 31. num. 23. Item Epistola ad Reginam uxorem Philippi Regis Franciæ maleficiati. Decis. 32. num. 30.

Insani mente, aut ebrii Sponsalia contrahere non valent. Decis. 16. n. 25.

Interdictum Judicis quando reddat Matrimonia contra ipsum inita, ipso facto invalida. Decis. 36. per totam. Quando tantummodò impediat? Decis. 37. num. 2. & 3.

Interna locutio sufficit coram Deo, non autem coram hominibus. Decis. 16. n. 14.

Involuntarium quando aliquid dicatur? Decis. 27. num. 2.

S. Joachim Pater DEIPARÆ an viveret, tempore ejus Desponsationis cum S. JOSEPH? Decis. 3. num. 12.

Joannis Papæ XXII. decretum de solutione Matrimonii rati per Professionem Religiosam. Decis. 13. num. 15.

S. Joannes Evangelista an fuerit Sponsus Nuptiarum in Cana Galileæ. Decis. 14. à num. 2. & seqq.

Joannis Valeri attestatio de Matrimoniis ratis solutis per dispensationem Papæ. Decis. 15. num. 30.

S. JOSEPH an verum Matrimonium contraxerit cum DEIPARA? Decis. 3. num. 16. Virginitatis Votum reciprocum ab eis manifestatum; & servari promissum. ibid. num. 21. Ejusdem Sancti ætas tempore sui Matrimonii. num. 24. Ipsius excellentiæ septem. num. 25.

Joseph Caracciolus, dimissa Sponsa, fit Religiosus. Decis. 14. n. 33.

Ismaeli, & ejus Matri alimenta missa in desertum ab Abrahamo. Decis. 8. n. 23.

Judæi dabant libellum Repudii Uxoribus suis. Decis. 7. num. 37. Et sic solvebant Matrimonium. Decis. 9. num. 1. & 2. Eorum magnum odium in Christianos. Decis. 11. num. 33. Conversi ad fidem non debent cum aliis Judæis conversari. d. Decis. 11. num. 38. Illi extra Ghettum non debent habitare. ibid. num. 39. Ex ipsis plures baptizati Patavii ab Emin. Card. Gregorio Barbadico Episcopo. Decis. 12. num. 20.

Judex tàm Ecclesiasticus, quàm Laicus potest monere Conjugem infidelem, ut se convertat. Decis. 11. n. 23. Solus Ecclesiasticus adeundus in causa Sponsalium. Decis. 17. num. 40.

Judex si justè metum gravem inferat, non dirimit Matrimonium inde contractum. Decis. 27. num. 32. Validè nubit coram Parocho loci, in quo est Judex. Decis. 35. num. 17. Quando per suum interdictum, seu prohibitionem impediat Matrimonium contrahendum; ac etiam dirimat, si in spretum ejus contrahatur? Decis. 36. per totam.

Judicandum venit secundùm legis dispositionem. Decis. 36. num. 11.

Julianus Imperator Apostata hostis Religionis, ac Dei. Decis. 9. num 45.

Julius Maurocenus Neophytus ex Judæo laudatus. Decis. 6. num. 38. Ejus Liber contra Judæos scriptus laudatur. Decis. 9. num. 9.

Juramentum quando nullam pariat obligationem, Decis. 16. num. 27. Sequitur conditionem rei, super qua apponitur. Decis. 17. num. 2. An tollat impedimentum metus? Decis. 27. num. 36.

Jus naturale immutabile. Decis. 7. num. 39. Duplex est Primarium, & Secundarium. Et qui effectus utriusque? ibid. num. 40. & seqq.

Jus Naturale an repugnet, ut Professio Religiosa dirimat Matrimonium ratum? Decis. 13. num. 21.
Jus Civile prohibens secundas Nuptias est correctum à Jure Canonico. Decis. 29. num. 40.
Jus suum nemini auferendum. Decis. 15. num. 8.
Justificatio peccatoris quot bona ei tribuat? Decis. 24. num. 4.
S. Justini Martyris verba de Insolubilitate Matrimonii. Decis. 10 n. 34.
Justini Imperatoris Novella pro Divortiis damnata. Ejusdem turpis Vita. Decis. 10. num. 71. & 72.

L.

Laici in casu necessitatis possunt baptizare. Decis. 6. num. 19. Et si sint in peccato, baptizantes non peccant. ibid. num. 27.
Landgravius Hassiæ secundam duxit Uxorem; vivente prima, Luthero consulente. Decis. 29 num. 32.
Lateranensis Concilii IV. descriptio. Decis. 31. num. 22.
Latinorum Matrimonia facta coram Sacerdote Græco an sint valida? Decis. 35. num. 25.
Lavabant se aqua olim Conjuges post copulam. Decis. 1. num. 12.
Leander Cardinalis Coloredus Summus Pœnitentiarius laudatus. Decis. 40. num. 39.
Leonardi Lessi Societatis JESU monita septem spiritualia; ac ejus mortis tempus. Decis. 26. num. 24.
Leopoldi Imperatoris Matrimonium cum Margarita Theresia, Regis Hispaniarum Filia, Anno 1665. Decis. 4. num. 36.
Lepra superveniens Sponsis liberat eos à Sponsalibus. Decis. 17. num. 32. Eadem est causa sufficiens pro faciendo divortio. Decis. 39. num. 13.
Lex Divina primùm scripta in uno Volumine; deinde rescripta in quinque. Decis. 9 num. 4. Mosayca fuit per Deum data Moysi. ibid. num. 24. Quo tempore cessaverit. ibid. num. 47.
Lex naturalis scripta est in corde hominum. Decis. 22. num. 25.
Libellus Repudii apud Hebræos solvebat vinculum Matrimonii. Decis. 9. num. 11. Utrùm fieret sine culpa? ibid. n. 20.
Libertas intellectus, ac voluntatis necessaria pro contrahendis Sponsalibus. Decis. 16. num. 23. Consensus humani est duplex; & quæ? Decis. 27. n. 1.
Liæ, ac Jacob Matrimonium an fuerit validum? Decis. 19. n. 6. & 11.
Liæ, ac Rachelis vitæ activæ, ac contemplativæ mystica significatio. d. Decis. 19. num. 12.
Ligaminis Impedimentum dirimens quid sit? ac ejus explicatio. Decis. 29. à num. 1. & seqq.
Linea Quid, & Quotuplex sit. Decis. 22. num. 6. In recta nunquam Papa dispensat. Decis. 40. num. 2. & 3.
Lis inter Parochus S. Jacobi, ac S. Laurentii de Padua pro Matrimonio Dominæ Meliorinæ Zanonæ. Decis. 35. num. 16.
Litterarum S. Pœnitentiariæ pro dispensandis Matrimonii impedimentis occultis explicatio. Decis. 40. num. 16. Eædem à Confessario post executionem lacerandæ. ibid. n. 35.
Livonia, Provincia inter Svetiam, ac Poloniam, quo tempore fuerit ad Fidem conversa? Decis. 31. n. 50.
Loco in Sacro quando possint Conjuges coire? Decis. 38. num. 20.
Longobardi adoptabant Filios per tonsionem capitis eorum. Decis. 24. n. 16.
Lotharius Rex Francorum, repudiata Uxore Theusperga, duxit Valdradam. Decis. 10. num. 4. & 54. Illius divina punitio, ac mors. ibid. num. 56. & Decis. 29. num. 25.
S. Lucæ Evangelistæ verba de Insolubilitate Matrimonii. Decis. 10. n. 18.
Lucinii Nobilis Franciæ Sponsalia soluta ob lepram in Sponsa. Decis. 17. num. 33.
Ludovicæ Mariæ Principissæ de Sabaudia argutum dictum. Decis. 22. n. 38.
Lutherus Polygamiæ impius defensor. Ejus Votum Principi Landgravio, ut secundam Uxorem assumeret, vivente prima. Decis. 29. num. 30. & 31.
Luxuria Paganorum, ac Turcarum offuscat in eis lumen naturæ. Decis. 8. num. 41. Extinguit in omnibus lumen rationis. Decis. 10. num. 47.

M.

Machinatio unius tantùm an faciat Impedimentum Criminis dirimens Matrimonium? Decis. 25. num. 9. Si sit sine adulterio, debet fieri de consensu utriusque. ibid. num. 11.
Magistri sententiarum opinio de illicito Hebræorum repudio. Decis. 9. n. 18.
Mahometani, ac Turcæ repudiant pro libito Uxores suas. Decis. 8. n. 19.
Maleficiati impotentes ad Matrimonium qui sint? Decis. 32. n. 28.
Maleficium ligaminis à Dæmone fit modis septem. Decis. 32. num. 29. Vel est universale ad omnes mulieres, vel respectivum ad solam Uxorem. ibidem, num. 32. Quibus mediis auferatur? num. 33 Quando per illud dirimatur Matrimonium. ibid. num. 34.
Malitia si suppleat ætatem an fieri possint Sponsalia ante septennium? Decis. 16. num. 32. Et etiam Matrimonium per verba de præsenti ante completum annum 14. Decis. 32. num. 40.
S. Mamantis M. adoptio. Decis. 24. n. 20.
S. Marci Evangelistæ verba de insolubilitate Matrimonii. Decis. 10. n. 18.
Marci Mantuæ J. C. Patavini consilium pro Matrimonio Henrici VIII. Regis Angliæ. Decis. 30. num. 25. nec non Decis. 31. num. 35.
Mardocheus adoptavit sibi Esther in filiam. Decis. 24. num. 13.
MARIA VIRGO DEIPARA qua ætate in Templo fuerit præsentata? Decis. 3. num. 1. Ibi fecit Votum perpetuæ Virginitatis. num. 4. Quot annos haberet, quando fuit desponsata? num. 15. An verum Matrimonium contraxerit cum S. JOSEPH? num. 16. Votum suum Virginitatis eidem manifestavit, & observandi ipsum promissionem accepit. num. 21.

Maritus intra bimestre extorquens copulam ab Uxore per vim, aut fraudem, peccat mortaliter, & ipsa potest ingredi Religionem, ac profiteri. Decis. 7. num. 16, & 21.

Maritus si fiat Episcopus, Uxor debet ingredi Monasterium; & cur? Decis. 28. num. 9. An in Matrimonio rato possit ordinari in Sacris absque licentia Uxoris? ibid. num. 11. Si fiat Religiosus, Uxor quid facere debeat? Decis. 39. num. 11.

Martinus Lutherus Polygamiæ impius defensor. Decis. 29. num. 30. Ejus consilium, ut Landgravius Hassiæ Polygamus fieret. ibid. num. 31.

Martyr quidam nudus ligatus, & à Meretrice ad copulam excitatus, quomodo eam repulerit? Decis. 7. num. 20. & Decis. 27. num. 29.

Mastrii interpretatio verborum *S. Matth.* 19. 9. Decis. 10. num. 75. Ejus dormitatio in Aversa legendo. Decis. 25. num. 12.

Mater an possit nubere Filio, vel Filia Patri, jure naturali attento? Decis. 22. num. 21.

Materia Sacramenti Matrimonii tàm remota, quàm proxima quænam sit? Decis. 5. à num. 1. & seqq.

Matrimonium consideratur vel ut contractus, vel ut Sacramentum. Vel in fieri, vel in facto esse. Decis. 1. num. 1. & 2. Ejusdem ut contractus sex requisita. ibid. num. 3. A quo Jure procedat? num. 5. Quando habuit initium? num. 6. An cadat sub præcepto? num. 10. & 11. Quod sit Sacramentum est de fide. num. 15. & seqq. Ejus nomenclatura quadruplex; & quæ? à num. 20. & seqq.

Matrimonii in fieri, ac in facto esse definitio. Decis. 2. num. 1. & 8. Uti Sacramenti definitio. Decis. 4. num. 1. Confert gratiam ex opere operato. ibidem. num. 3. Uti Sacramentum est in fieri, non in facto esse, num. 6. An ante Legem Evangelicam fuerit Sacramentum? num. 8. Fidelis cum Infideli an sit Sacramentum? num. 20. An fieri nunc possit uti contractus, non uti Sacramentum? num. 27. An contrahi valeat per Procuratorem? d. Decis. 4. num. 32.

Matrimonia ab initio Ecclesiæ coram Sacerdote celebrata, & ab eo benedicta. Decis. 6. num. 31. etiam tempore Hebræorum juxta eorum ritus, de quibus. ibid. num. 37.

Matrimonium dividitur in Ratum, & in Consummatum. Decis. 7. num. 5. An utrumque dissolvi possit quo ad Vinculum? Decis. 10. num. 1. & num. 16. & 17.

Matrimonium conversi ad Fidem solvitur, si alter conjux nolit se convertere. Quomodo, & quando? Decis. 11. num. 10 & Decis. 12. num. 1. & 2.

Matrimonium ratum quomodo solvatur vel per Religiosam Professionem, vel per dispensationem Papæ? Decis. 13. per totam. Quæ causa requiratur pro hac dispensatione? Decis. 15. num. 49.

Matrimonii bona tria; & quæ? Decis. 15. num. 5. Ejus prohibitio in linea recta in infinitum. Decis. 22. num. 18. & 19. At de Jure naturæ in gradu primo tantùm. Decis. 22. num. 23.

Matrimonium Card. Mauritii de Sabaudia cum ejus Nepte ex Fratre. ibidem. num. 37.

Matrimonia fidelium cum infidelibus irrita. Decis. 26. num. 1. & 2. Nulla si revalidentur coram Parocho, & Testibus facienda est revalidatio. Decis. 27. num. 39. & 42. Inita coram Sacerdote Græco Schismatico an sint valida? Decis. 35. num. 27.

S. Matthæi verba *cap.* 19. *Vers.* 19. declarata. Decis. 10. num. 74.

Medicus negans curam suam Infirmo, nisi det ei Filiam in Uxorem, an dicatur inferre vim, & metum? Decis. 27. num. 31. Advena validè nubit coram Parocho loci, ubi est conductus ad habitandum. Decis. 35. num. 17. Zacchiæ doctrina circa concubendi naturalem modum. Decis. 38. num. 22.

Mediolanensis Regii Præsidis infelices Nuptiæ. Decis. 23. num. 35.

Melda est Urbs Galliæ, vulgò *Meaux*. Decis. 18. num. 33.

Mensis Apostolicus, ac Mensis Ordinarius pro conferendis beneficiis qua hora incipiat? Decis. 37. num. 8.

Mentulæ brevitas, ac exilitas causant impotentiam in Viro. Decis. 32. n. 19. Exempla, & causa brevitatis prædictæ. ibid. num. 20, 21, 22. & 23.

Metus Etymologia, definitio, ac divisio. Decis. 27. num. 5. & seqq. Gravi quo Jure dirimat Matrimonium? ibid. num. 9. & 10. Quomodo cognoscatur, an fuerit gravis? num. 16. & seqq. Reverentialis an dirimat? num. 23. & seqq. Aut ex timore naufragii, alteriusve periculi exortus? d. Decis. 27. num. 30. Decisiones Rotæ, ac DD. de Metu agentes. ibid. num. 40.

Micol Uxor David, eo relicto, nupsit Phaltiel. Decis. 8. num. 3. Sed invalidè, & ob Saulis præceptum. ibid. num. 23. & 33.

Milevitani Concilii prohibitio, ne vivente primo conjuge, cum alio contrahatur conjugium. Decis. 10. n. 23.

Milevum erat Urbs in Africa. d. Decis. 10. num. 24.

Milites duo, qui per Professionem Religiosam Matrimonia sua rata solverunt. Decis. 14. num. 27.

Mima Uxor Antonii, teste Cicerone, repudiata. Decis. 8. n. 8.

Ministri Sacramenti Matrimonii sunt ipsi Conjuges. Decis. 6. num. 8. Et cur? num. 14. 16. & 17.

Modus naturalis à Conjugibus in usu Matrimonii servandus; & quis ille sit? Decis. 38. num. 21, & 22.

Monachi, ac Regulares omnes prohibentur esse Patrini. Decis. 23. n. 21.

Monialem qui duxit in Uxorem repellitur ab omni conjugio. Decis. 27. n. 31.

S. Monica nupsit Viro infideli, ex quo genuit S. Augustinum. Decis. 11. n. 11.

Monitio facienda infideli Conjugi, ut se convertat, ad hoc ut fidelis conversus possit alii nubere. Decis. 11. num 22. Sed quid agendum, si moneri non possit? ibid. num. 25.

Mora nimia in adimplendis Sponsalibus quando ea solvat. Decis. 17. n. 28.

Morbus

Morbus supervehiens Sponsis an solvat Sponsalia? Decis. 15. num 9. Gallicus an sit contagiosus? ibid. num. 46. Ex eo fieri potest divortium, ac ex aliis, ut Decis. 39. n. 12. & 15.
Moribundus an validè contrahat Matrimonium. Decis. 32. num. 47.
Mors primi Conjugis quomodo probanda pro iterùm nubendo? Decis. 29. num 41.
Moyses quot annis mortuus sit ante Christum? Decis. 9. num. 7. Fuit adoptatus à Filia Pharaonis. Decis. 24. num. 12. Ejus prohibitiones Matrimoniales erant judiciales, quæ nunc cessant. Decis. 31. num. 46.
Mulieres Sacramenta ministrare non possunt. Decis. 6. num. 3. A consecratione, & dispensatione Eucharistiæ arcentur. ibid. num. 21. Faciunt apostatare sapientes. Decis. 11. n. 36. Sunt leves, ac fragiles. Decis. 22. num. 16. Adultera una, ac Filicida. Decis. 25. num. 19. Olim fideles nubebant infidelibus; ac infideles Viris Christianis. Decis. 26. num. 9. 10. & 12. Una, quæ nupserat 22. Maritis. Decis. 29. num. 38. Arctæ an teneantur pati incisionem? Decis. 32 num. 27. Græcæ an validè nubant Viro Latino more græco? Decis. 35. num. 26. Earum Confessiones non audit Confessarius approbatus pro Viris. Decis. 40. num. 23.
Muti, & Surdi à nativitate an possint contrahere Matrimonium? Decis. 5. num. 19. 20. & 21. Et an facere Professionem Regularem? ibid. num. 23. Et an inire Sponsalia? Decis. 16. num. 39.

N.

NAsi ob humiditatem Romani repudiabant Uxores. Decis. 8. num. 17.
Nannatense Concilium de insolubilitate Matrimonii. Decis. 10. num. 30. Nannetes Urbs ubi sit? ibid.
Naturæ repugnat solutio Matrimonii ante mortem conjugum. Decis. 8. n. 20.
Naturali Jure Matrimonium est insolubile. Decis. 7. num. 27.
Navarri doctrina de solubilitate Matrimonii rati. Decis. 15. num. 23. Ejus pietas, ac tempus mortis. ibid. num. 24.
Nicolai Papæ I. contra Lotarium repudiantem Uxorem sententia. Decis. 10. num. 55.
Nicolaus Justinianus Nobilis Venetus Monachus ex dispensatione Papæ Uxorem duxit. Decis. 15. num. 18.
Noctis in medio ante Adventum, & Quadragesimam incipit prohibitio Nuptiarum. Et quando cesset? Decis. 37. num. 6.
Nubens animo postea ingrediendi Religionem an peccet? Decis. 13. num. 41.
Nullitas Matrimonii Fratris Regis Franciæ de Anno 1634. justificata. Decis. 18. num. 36. Resultat ex conditione servili ignorata. Decis. 20. num. 6. Quomodo per Confessarium executorem Litterarum S. Pœnitentiariæ sit notificanda conjugi eam ignoranti, pro novo consensu præstando? Decis. 40. n. 15.
Nullum si sit Matrimonium, ratificandum venit in foro exteriori iterum coram Parocho, & testibus. Decis. 20. num. 10.
Nuptiæ secundæ olim prohibitæ in pœnam gravium delictorum. Decis. 29. num. 39.

O.

OBsessio mulieris in propria domo habet vim Raptus. Decis. 33. num. 20.
Octavia Soror Neronis Imperatoris ei nupsit. Decis. 22 n. 30.
Occultum Impedimentum quomodo, & quando dicatur? Decis. 40. n. 29.
Oracula omnia vivæ vocis revocata ab Urbano VIII. Anno 1631. Decis. 31. num. 54.
Ordinatus in Sacris conjux conversus an repeti possit ab alio Conjuge, si & ipse convertatur? Decis. 12. n. 9.
Quas pœnas incurrat, si Matrimonium contrahat. Decis. 28. num. 4. Si non habuit intentionem se obligandi ad Castitatem, an validè ducat Uxorem? ibidem, num. 12.
Ordo Sacer an dirimat Matrimonium ratum? Decis. 13. num. 43. Dirimit Sponsalia. Decis. 17. num. 17.
Ordines minores an impediant Matrimonium? Decis. 28. n. 2. & 3.
Origenis Verba de Matrimonii insolubilitate. Decis. 10. num. 36.
Oscula inter Sponsos an licita? In Sponsalibus ineundis cur Sponsa osculetur? Decis. 16. num. 47. & 48.
Otho Imperator à Deo punitus ob conjugium cum spirituali cognata. Decis. 23. num. 34.

P.

PAgani insolubilitatem Matrimonii non servant. Decis. 7. num. 35.
Papa in rebus fidei errare non potest. Decis. 13. num. 18. Non dispensat contra Jus Divinum. ibid. num. 20. & 31. Quomodo dispenset circa residentiam Episcoporum, atque proprietatem Regularium, & Vota etiam solemnia castitatis? d. Decis. 13. num. 32. & 33.
Papa an possit solvere Matrimonium ratum? Decis. 15. à num. 1. & seqq. & num. 13. Habet plenissimam potestatem à Deo pro regimine Ecclesiæ. ibidem, num. 14. Dissolvit Vota Castitatis, ac Religionis. num. 16. Ejus judicio est standum; & ipse habet omnia jura in scrinio pectoris, ac est Fidei regula. num. 38. & 43. Utrùm per Legem generalem possit Matrimonia rata solvere? num. 51.
Papa dispensat in omni gradu Consanguinitatis, ac Affinitatis in linea transversali, excepto primo. Decis. 22. num. 35. & 39. Non dispensat, ut Patrinus ducat in Uxorem Filiam suam spiritualem. Decis. 23. num. 33 Quando dispenset in Cognatione Legali? Decis. 24. num. 33. Non potest dispensare super Impedimento Vis, ac Metus. Decis. 27. num. 41. In Votis solemnibus Castitatis dispensat. Decis. 28. num. 13. & 14. An possit dispensare in Polygamia? Decis. 29. num. 18. In quocumque gradu utriusque lineæ potest dispensare in Affinitate ex justa causa. Decis. 31. num. 38. & 42.
Papadopoli Abbas exclamans contra Græcos solventes Matrimonia. Decis. 10. num. 73. Ejus virtus laudata. Decis. 36. num. 6
Papyrii Romani lepidum figmentum, ne secreta Senatus panderet Matri suæ. Decis. 29. num. 7.

Parlamenti Parisiensis sententia super nullitate Matrimonii per Fratrem Regis contracti absque ejusdem Regis licentia. Decis. 18. num. 30.

Parochus an sit Minister Sacramenti Matrimonii? Decis. 6. à num. 7. & seqq. Ejus obligatio monendi Sponsos, ne contrahant in mortali, ibid. num. 29. Ejus necessaria scientia de Impedimentis Matrimonii. Decis. 18 num. 1. Potest Patrinos indignos repellere, & alios vocare. Decis. 23. num. 24. Impuberum Matrimonia admittere non debet. Decis. 32. num. 42. Assistens Matrimonio mulieris Raptæ quas Pœnas incurrat? Decis. 33. n. 24. Et quas, si omittat Denunciationes. Decis 34. num. 4. An personaliter eas facere debeat? ibid. num. 13. Ejus præsentia, ac duorum Testium necessaria pro validitate Matrimonii, Decis. 35. à num. 1. per totam. Quis dicatur proprius pro hac assistentia? ibid. num. 3. Ejus nomine qui veniant? à num. 7. & seqq. An validè assistat per Interpretem? num. 6. Adventus, ac Quadragesimæ tempore an possit assistere Matrimoniis? Decis. 37. num. 11. & seqq.

Parochorum S. Jacobi, ac S. Laurentii de Padua lis ob assistentiam Matrimonii D. Meliorinæ Zanonæ. Decis. 35. num. 16.

Patavinæ Diœcesis consuetudo puniendi Villanos rapientes puellas sibi desponsandas. Decis. 33. num. 14.

Pater filium suum baptizans, vel levans de fonte peccat, & amittit Jus petendi debitum. Decis. 23. num. 29. & 30.

SS. Patres negantes Matrimonium inter DEIPARAM, & S. JOSEPH intelligendi sunt de Matrimonio consummato. Decis. 3. num. 23.

Patriarchæ in Lege Veteri, & alii, qui fuerunt Polygami. Decis. 29. num. 10.

Patrini non confirmati tenentes puerum in Confirmatione an contrahant Cognationem spiritualem? Decis. 23. num. 12. Quot esse possint? & à quibus designandi? ibid. à num. 13. & seqq. Qui tales esse non possint? à num. 20. & seqq. An liceat hoc officium recusare? ibid. num. 36. & 37.

S. Pauli Apostoli Verba de insolubilitate Matrimonii. Decis. 10. n. 19. Ejusdem de cohabitatione Conjugis fidelis cum infideli. Decis. 11. n. 9. & 10. Ejusdem verba 2. *Cor.* 6. 14. explicata.

Peccatum est contrahere Matrimonium sub conditione. Et cur? Decis. 20. num. 32.

Penis virilis vel defectus, vel excessus. Decis. 32. num. 22. & 23.

Personæ obligatæ revelare Impedimenta Matrimonii quæ sint? Decis. 34. num. 15.

S. Petrus Eremita Sponsam suam reliquit intactam, Decis. 14. num. 29.

Philippus Rex Galliarum repudiata Berta Uxore duxit Bertrandam. Decis. 10. num. 6. & 58.

Philippus Landgravius Hassiæ, suadente Luthero, secundam ducit Uxorem, vivente prima. Decis. 29. num. 32.

Philosophi, qui cognoverunt, Unum Deum solum esse. Decis. 8. num. 39.

Photius quomodo, & quando factus sit Patriarcha Constantinopolitanus? Decis. 10. num. 53.

Phthisis est causa Divortii. Decis. 39. num. 14.

B. Pii V. declaratio circa Affinitatem ex copula illicita. Decis. 31. num. 25.

Pinguedo nimia ventris facit Conjuges ad copulam impotentes Decis. 32. num. 24.

Plus cui licet, etiam minus licere debet. Decis. 15. num. 15.

Pœnæ contra Ordinatos in Sacris, qui contrahunt Matrimonium. Decis. 28. num. 4. Illorum, qui dant causam Divortio. Decis. 39. num. 32.

Pœnitentia publica impediebat contrahere Matrimonium. Decis. 37. num. 30. A Papa in dispensatione Matrimoniali præscripta non potest per Executorem alterari. Decis. 40. num. 12. Quanta, & Qualis in executione Litterarum S. Pœnitentiariæ sit à Confessario injungenda? ibid. num. 28.

S. Pœnitentiariæ potestas legitur in novissimâ Bulla Innocentii Papæ XII. incipien. *Romanus Pontifex &c.* 3. Non. Sept. 1692. Decis. 40. num. 15. Ejusdem Litterarum exemplum pro dispensando Impedimento occulto in foro poli. ibid. num. 15.

Pœnitentiarius Major an dispenset in Matrimoniis ratis occultis? Decis. 15. num. 37.

Polygamia unde dicta? Quæ, & Quotuplex sit? Decis. 29. à num. 1. & seqq. An prohibita de Jure Divino? ibidem num. 8. Quomodo fuit in usu apud Patriarchas antiquæ Legis? n. 10. & seqq. An licita de Jure naturali? n. 16. An Jure Ecclesiastico semper damnata? num. 24. Eam committentes à S. Inquisitionis Officio puniendi. num. 34. Sunt irregulares, & incapaces Ordinum. num. 36.

Polyviria quid sit, & apud quas gentes usitata. Decis. 29. num. 3. & 4. A Jure naturæ proscripta. num. 21.

Polypus intra nares quid, & quotuplex sit? Decis. 9 num. 34.

Pontifices Romani, qui recusarunt solvere Matrimonium ratum. Decis. 15. num. 50. An possint sine causa statuere Impedimenta, vel aliquem inhabilitare ad contrahendum Matrimonium? Decis. 18. num. 19. Nunquam dispensarunt in linea recta Consanguinitatis, aut Affinitatis. Decis. 22. num. 20.

Præceptum est Lex, non tolerantia contra Legem. Decis. 9. num. 22.

Prætores possunt contrahere Matrimonium coram Parocho loci, in quo tanquam tales habitant. Decis. 35 num. 17.

Preces importunæ, aut blanditiæ an inferant Vim dirimentem Matrimonium? Decis. 27. num. 27. Per easdem si quis puellam è sua domo abducat, an dicatur illam rapere? Decis. 33. num. 21.

Presbyterum qui occidit, Nuptias inire non potest. Decis. 37. num. 29.

Primislaus Rex Bohemiæ, cognomento Othocarus, vivente prima Uxore, quomodo duxerit secundam? Anno 1620. Decis. 10. num. 7. & 59.

Principes Laici non possunt Matrimonia rata dissolvere. Decis. 15. num 6. Neque statuere Impe-

Impedimenta dirimentia. Utique impedientia tantùm. Decis. 18. n. 14. & 25.
Prioris S. Leonardi de Padua insultus per Sponsos, eo invito, in ejus præsentia Matrimonium contrahentes. Decis. 35. num. 5.
Procuratores aliorum nomine contrahentes Matrimonium, an sint illius Sacramenti Ministri? Decis. 6. num. 18. Tenentes puerum ad Fontem nomine alieno an contrahant Cognationem spiritualem. Decis. 23. num. 8.
Prodigium post mortem Conjugum, qui semper castè vixerunt. Decis. 2. num. 18.
Professio Religiosa Viri, qui cognovit Uxorem, sed non seminavit, an solvat Matrimonium? Decis. 7. num. 10. Conjugis conversi ad fidem an pariter solvat? Decis. 12. num. 3. 5. & 7.
Professionis in Religione explicatio, definitio, ac divisio. Decis. 13. à num. 1. & seqq. Ejus formulæ variæ. ibid. num. 5. Conditiones necessariæ duæ. num. 7. Per eam solvitur Matrimonium ratum. à num. 9. & seqq. Quo Jure? num. 22. & seqq. ac num. 30. An etiam si fiat per Religiosos Equites, ac Tertiarios? num. 37. & 38. Aut per Jesuitas? num. 44. Per eandem solvuntur Sponsalia. Decis. 17. num. 11.
Prolis educatio insita per naturam hominibus, ac animalibus. Decis. 2. num. 4 Humana eget educatione quo ad corpus, & instructione quo ad animam. Decis. 7. num. 28. Ejus susceptio in Baptismo, vel Confirmatione causat Impedimentum impediens. Decis. 37. n. 28. Quomodo legitimetur à Confessario executore Litterarum S. Pœnitentiariæ? Decis. 40. num. 32.
Promissio in Sponsalibus debet esse mutua, & cum repromissione. Decis. 16. num. 18. Non acceptata an obliget promittentem? ibid. num. 20. Per verba ambigua an sit obligatoria? num. 36.
Propositum vovendi non facit Votum. Decis. 21. num. 6.
Prosper Fagnanus cæpit esse Secretarius S. Congr. Concilii Anno 1613. Decis. 15 num. 35.
Puberes qui dicantur ad effectum contrahendi Matrimonium? Decis. 30. num. 15. Exempla eorum, qui ante pubertatem filios genuerunt, ibid. num. 16. Si post annum 14. impotentes sint ad copulam, quid agendum? Decis. 32. num. 43.
Publicis Pœnitentibus olim prohibitæ erant Nuptiæ. Decis. 10. num. 42.
Puellas maritandas etiam Ethnici velo cooperiebant. Decis. 1. num. 24. Una, cum qua quindecim Fratres coibant. Decis. 29. num 5.
Puellarum Raptus frequens est apud rusticos, & villanos. Decis. 33. n. 13.
Puellæ educatæ in Monasteriis debent celebrare Matrimonium coram Paroecho domicilii paterni. Decis. 35. n. 15.
Putifar, qui emerat Joseph, quomodo habebat Uxorem, ac Filiam, si erat Eunuchus. Decis. 32. num. 50.

Q.

QUalitas personæ per errorem ignorata quando dirimat Matrimonium? Decis. 19. num. 26. Circa errorem qualitatis personæ irritantem magna inter Doctores discordia, ibid. num. 27.
Qualitas personæ deducta sub conditione, si deficiat, dirimit Matrimonium. d. Decis. 19. num. 28. Regulæ plures, ut sit dirimens. num. 29. 30. & 31.
Qualitas, quæ est unicum medium ad faciendum Matrimonium, irritat, si deficiat. d. Decis. 19. num. 32.
Quinto in gradu si sit unus Sponsus, non est opus dispensatione etsi alter esset in quarto, tertio, secundo, ac etiam primo gradu lineæ transversalis. Decis. 40. num. 4.

R.

RAbbinorum discordia circa causas repudiandi Uxores Hebræas. Decis. 9. num. 28.
Rapere Puellam consentientem an sit Raptus. Decis. 33. num. 12.
Raptor an teneatur ducere in Uxorem mulierem Raptam? Decis. 33. num. 13. Quando non possit absolvi per Ordinarium ab excommunicatione? ibid. n. 26.
Raptus habet bonam, & malam significationem. Decis. 33. num. 1. & 2. Primò significat elevationem mentis in Deum. ibid. num. 2. 3. & 4. Secundò significet delictum. Quod duplex est. Et quale? num. 5.
Raptus species Luxuriæ violentæ, aliquando impedit, aliquando dirimit Matrimonium. d. Decis. 33. à num. 6. & seqq. ubi hujus Impedimenti explicatio.
Ratum Matrimonium est verum Matrimonium. Decis. 2. num. 14. Solvitur per Professionem Religiosam. Decis. 13. à num. 22. & seqq. Primum dirimit secundum quamvis consummatum. Decis. 15. num. 47. Solvitur etiam per dispensationem Papæ, justa causa interveniente Decis. 15. per totam. Non licet suscipere Ordines sacros sine licentia Uxoris neque in Matrimonio rato. Decis. 28. num. 11.
S. Raymundus de Pennafort Canones Sacros in unum collegit Anno 1233. Decis. 10. n. 70.
Regina Cingæ habebat eodem tempore Maritos 40. Decis. 29. num. 22.
Regula pro cognoscenda qualitate Personæ, qua deficiente irritum est Matrimonium. Decis. 19. num. 29.
Regulares Confessarii an possint dispensare cum Conjugibus incestuosis ad petendum debitum? Decis. 31. num. 53. Qui ex ipsis possint exequi Litteras S. Pœnitentiariæ, etsi non habeant Lauream Doctoratus? Decis. 40. num. 19.
Religionis vocabulum tria significat. Decis. 14. num. 9.
Religio Baptismi, Clericatus, ac Professionis Regularis est à Christo. d. Decis. 14. num. 10.
Religionem ingredi licet non obstantibus Sponsalibus. Decis. 17. n. 14.
Religiosi Societatis JESU post vota biennii non possunt discedere à Religione sed illa potest eos expellere. Decis. 9. num. 41.
Religiosi gyrovagi quinam essent. Decis. 14. num 23. An fieri possint, qui contraxerunt

Sponsalia jurata? Decis. 17. num. 13. Omnes prohibentur esse Patrini. Decis. 23. num. 21.
Repudia Uxorum usitata apud Romanos. Decis. 8. à num. 6. & seqq. ubi exempla, & Historiæ. Item apud alias nationes. ibid. à n. 28. & seqq. Ac præcipuè apud Hebræos. Decis. 9. per totam; in qua de causis, ac ritibus repudiandi Hebræorum Uxores. Permissa etiam de Jure Civili. Decis. 29. num. 28.
Requisita quinque in Patrino, ut contrahat Spiritualem cognationem. Et quæ sint? Decis. 23. num. 10. Tria, ut quis dicatur esse de Parochia. Decis. 35. num. 13.
Respectiva Impotentia quæ sit? Et an Matrimonium dirimat? Decis. 32. n. 25.
Ritus varii nationum gentilium in contrahendis Matrimoniis. Decis. 6. n. 36.
Roberti Galliarum Regis incestuosæ Nuptiæ à Deo punitæ. Decis. 22. n. 42.
Romanorum gentilium Matrimonia fiebant vel per Coemptionem, vel per Farreationem; & quid hæc essent? Decis. 6. num. 35. Eorum operationes plures contra lumen naturæ. Decis. 8. num. 38. Idolis Victimas humanas sacrificabant. ibid. num. 40. Filios sibi frequenter adoptabant. Decis. 24. n. 15.
Romana Ecclesia errare non potest. Decis. 13. num. 29.
Rotæ Romanæ testimonium, quod Matrimonia rata dissolvi possunt. Decis. 15. num. 33. Ejus opinio prævalet opinionibus aliorum DD. Decis. 17. num. 42. Ejusdem Decisiones de Vi, & Metu circa Matrimonium agentes. Decis. 27. num. 40.

S.

SAcerdos consecrans Eucharistiam tenetur etiam eam suscipere. Decis. 6. num. 24.
Sacerdotes Hebraici, à quibus fœminis debebant abstinere? Decis. 9. num. 15. Quicunque deputati ab Episcopo, vel à Parocho validè assistunt Matrimonio. Decis. 35. num. 12.
Sacramenti Matrimonii definitio. Decis. 4. n. 1. Ipsum confert gratiam ex opere operato. ibid. num. 3. Qui sint ejus effectus? num. 4. Aliud dicitur in fieri; aliud in facto esse. n. 6. Non reperitur nisi in Ecclesia. num. 14.
Sacramentum qui ministrat in mortali, mortaliter peccat. Decis. 6. num. 6. Simulare non licet neque metu mortis. Decis. 8. num. 34. An validum sit, si detur uni personæ per errorem pro alia? Decis. 19. num. 8.
Sacræ Res sunt ab Ecclesiasticis tantùm tractandæ. Decis. 6. num. 1.
Sacrilegium est velle contrahere Matrimonium, non autem Sacramentum. Decis. 4. num. 30.
Sævitia Viri dat Uxori causam faciendi Divortium. Decis. 39. n. 17.
Salome Soror Herodis de facto, ac præpotentia repudiavit Maritum. Decis. 9. num. 42.
Salomoni septingentæ erant Uxores. Decis. 29. n. 12. Natus est ei Roboam, cum vix annum decimum excessisset. Decis. 32. num. 41.
Sampsonis Uxor ac eo divertit, & alteri nupsit. Decis. 8. num. 2. 25. & 28.
Sanctorum quædam facta sunt admiranda, non autem imitanda. Decis. 14. n. 24.
Sara an fuerit Soror Abrahæ? Decis. 22. num. 29. & 33.
Saul ex odio contra David dedit ejus Uxorem Michol alteri. Decis. 8. n. 30.
Scotistarum qui tenuerint, non posse Papam dispensare in Matrimonio rato. Decis. 15. num. 12. Eorum discordia cum Thomistis, Quo Jure Vota solemnia Castitatis dirimant Matrimonium? Decis. 21. num. 19.
Scotus benè declaratus à Mastrio circa dispensabilitatem Matrimonii rati. Decis. 15. num. 41. Quo anno ipse vivebat? Decis. 18. num. 8.
Scripturæ Sacræ Veritas, ac Auctoritas irrefragabilis. Decis. 9. n. 23.
Sedulii Poetæ carmina illa: *Salve Sancta Parens &c.* Decis. 3. n. 8.
Semen Mulieris an necessarium ad generationem, & ut Matrimonium dicatur consummatum? Decis. 7. num. 11. Utrùm sufficiat, si Vir seminet apud os Vasis muliebris ad effectum prædictum? ibid. num. 14.
Semen virile non prolificat extra Vas mulieris effusum. Decis. 31. num. 5. An illud mulieris requiratur ad contrahendam affinitatem? ibid. num. 7.
Senatus Veneti Decretum contra contrahentes Matrimonia Parochis invitis. Decis. 18. num. 15.
Senes usque ad quam ætatem possint Matrimonium inire, ac Filios generare. Decis. 32. num. 45. & 46.
Servus ordinatus, nesciente Domino, deponitur. Decis. 15. num 7. Nullum est ejus Matrimonium, ipsius conditione servili ignorata. Decis. 20. num. 2. Quando incæpit, ac desiit in Italia servilis conditio hominum? ibid. num. 3. & 4.
Signa, seu nutus an sufficiant in Sponsalibus contrahendis? Decis. 16. n. 40.
Silentium in puella an sufficiat pro Sponsalibus? Decis. 16. num. 37. Conjugis circa conditionem an obsit Matrimonio? Decis. 20. num. 25.
B. Simoncinus puer excarnificatus vivus à Judæis. Decis. 11. n. 34.
S. Simon Cananæus an fuerit Canæ Galileæ? Decis. 14. n. 7.
Simonia est exigere aliquid temporale in administratione Sacramentorum. Decis. 6. n. 2.
Sinenses, ac alii Indiani solent Uxores repudiare. Decis. 8. num. 18.
Si vinco vincentem te, multò magis vincor te. Decis. 12. num. 4.
Societates cum Infidelibus, ac Hæreticis semper sunt infelices. Decis. 8. n. 29.
Solemnitates Nuptiarum prohibitæ in Adventu, & in Quadragesima quænam sint? Decis. 37. num. 12
Solutio Matrimonii per unius Conjugis conversionem ad fidem quo tempore fiat? Decis. 11. num. 17
Sponsalitia munera Rebeccæ, Micholis, ac Orionis. Decis. 16 n. 3. & 4.
Sponsalium mystica significatio. Decis. 1. n. 21. Si facta sint cum Juramento, an deindè licitus sit transitus ad Religionem? Decis. 13. n. 13. Eorum Etymologia, varia denotatio, definitio,

tio, & in quo differant à Matrimonio? Decis. 16. à num. 5. & seqq. A quibus contrahi possint? & à quibus non? ibid. num. 23. & seqq. ubi plenè de ipsis.
Sponsalia quomodo solvantur? Decis. 17. n. 1. An prima per secunda? ibid. num. 24. & 26. Pariunt impedimentum Publicæ Honestatis. Decis. 30. num. 1. & seqq. Etiamsi mutuo consensu solvantur, ibid. num. 8. Inita cum una, impediunt Matrimonium cum alia. Decis. 37. num. 15.
Sponsorum solus consensus mutuus non sufficit pro solvendo Matrimonio rato. Decis. 15. num. 48. Eorum nomine plures personæ significantur. Decis. 16. num. 7. ac etiam Uxores. num. 8. & 9. Præcipue tamen Sponsi de futuro. num. 11.
Sponsus habens Votum Castitatis fornicando quot peccata committat? Decis. 17. num. 21. Potest ex consensu alterius à promissione resilire; ibidem, num. 39. Quando nec Sponsam, nec Consanguineam Sponsæ possit ducere? Decis. 30. num. 23. Incestum committens contrahit impedimenta duo; & quæ sint? Decis. 37. num. 20.
Spurius Carbilius dimisit Uxorem ob sterilitatem. Decis. 7. num. 36.
Sterilitas in generando non dirimit Matrimonium. Decis. 32. num. 2.
Stipes quid sit? Decis. 22. num. 4. Etiam in Affinitate? Decis. 31. num. 20.
Stratonica Noverca nupsit Antiocho privigno suo. Decis. 31. num. 44.
Subdiaconus dispensatus ut contrahat Matrimonium, an teneatur recitare Officium? Decis. 28. num. 16.
Suscipientes Sacramentum debent esse distincti à Ministrante. Decis. 6. num. 5. Propriam autem prolem in Baptismo contrahunt Impedimentum impediens. Decis. 37. num. 28.
S. Sylvestri Episcopi Visonti solutio Matrimonii rati. Decis. 14. num. 31.
Synagogæ repudiatio significata per repudium Agar factum ab Abrahamo. Decis. 8. num. 24.

T.

TArasius Patriarcha neglexit Imperatoris Constantinopolitani Polygamiam reprimere; & cur? Decis. 10. n. 51.
Temporum diversitas attendenda circa conversorum ad fidem solutionem Matrimoniorum. Decis. 11. n. 41.
Tertiarii an sint veri Religiosi? Decis. 13. num 2. Utrùm eorum Professio dirimat Matrimonium ratum? ibid. n. 38.
Tertulliani testimonium de Sacerdotali benedictione, Missa, ac Communione in contrahendis Matrimoniis. Decis. 6. n. 33. Ejusdem Verba de insolubilitate Matrimonii. Decis. 10. num. 37.
Testes qui possint esse in celebratione Matrimonii? Decis. 35. num. 20. E contra qui esse non valeant? ibid. num. 21.
S. Thecla Sponsum reliquit, ut se Christo dedicaret. Decis. 14. num. 14. Ipsa fuit Protho-martyr inter fœminas. ibid. n. 15. Quomodo solutum fuerit ejus Matrimonium. num. 16.
Theodorum Balsamon inimicus Romanorum Pontificum; & cur? Decis. 10. num. 69.
Theologorum discordia circa Materiam, ac Formam Matrimonii? Decis. 5. n. 1.
Theonas Abbas Uxorem intactam deseruit. Quomodo id ei licuerit? Decis. 14. num. 22.
Thomistarum opinio, Quo Jure Votum solemne Castitatis dirimat Matrimonium? Decis. 21. num. 18. & 22.
Thurii habebant legem de licito Uxorum repudio. Decis. 8. num. 14. Horum Civitas ubi esset? ibid. n. 15.
Timore Naufragii, vel mortalis Infirmitatis si quis Matrimonium ineat, an validè? Decis. 27. num. 30.
Tolerantia transgressionis Legis non scribitur in libro ejusdem Legis. Decis. 9. num. 21.
Toletani Concilii IV. Canon circa Conjuges infideles. Decis. 11. n. 35.
Tonduti relatio de nullitate Matrimoniorum, in Gallia, contra ordinationes Regias initorum. Decis. 18. n. 32.
Torturæ subjicitur super intentione Subdiaconus iniens Matrimonium, vel Conjugatus sumens Ordines Sacros sine debitis requisitis. Decis. 28. n. 20.
Traditionibus Apostolicis Ecclesia regitur. Decis. 11. num. 8.
Transeuntes de loco, in quo est publicatum Conc. Trid. ad locum, in quo non est publicatum, ut ibi contrahant Matrimonium sine Parocho, an validè contrahant? Decis. 35. num. 24.
Triburiensis Concilii Canon de insolubilitate Matrimonii. Triburia Civitas ubi sit? Decis. 10. num. 29.
Tridentini Concilii Decreta circa eandem Insolubilitatem. Decis. 10. num. 32. Ejusdem de solutione Matrimonii Rati per Religiosam Professionem. Decis. 13. num. 16. Ejusdem circa Raptores mulierum. Decis. 33. n. 10. Ejusdem de præsentia Parochi, ac Testium Decis. 35. num. 1. & n. 22.
Triennalis cohabitatio necessaria, ubi agitur de Impotentia coeundi vel ex Frigiditate, vel ex Maleficio. Decis. 32. num. 13. & 34. Ea incipit à die Decreti Judicis. ibid. n. 14.
Turpitudo in Uxoribus Hebræis pro repudio quænam esset? Decis. 9. num. 35.
Tutores, vel Curatores an possint pro Pupillis contrahere Sponsalia eosdem obligantia? Decis. 16. num. 38.

V.

VAgabundi non admittendi ad Matrimonium sine attestatione libertatis eorundem Ordinariorum. Decis. 34. num. 7.
Valentinianus Imperator Polygamus. Decis. 29. num. 29.
Variolarum morbus descriptus. Decis. 17 n. 35.
Vasthi Regina an justè fuerit ab Assuero repudiata? Decis. 8. num. 37.
Vendens rem Joanni credens esse Petrum, an valeat venditio? Decis. 19. num. 9. & 16.
Vendere rem unam pro alia irritat contractum. Decis. 19. num. 16.
Venetiarum Dux cur quotannis Mare Adriaticum Annulo desponset? Decis. 16. num. 46.

Verba

Verba contrahentium Matrimonium, an, & quomodo ſint Forma Sacramenti? Deciſ. 5. num 4. & 14. Parochi non ſunt de Forma. Deciſ. 6 num. 22. Sacræ Scripturæ in proprio ſenſu intelligenda. Deciſ. 9. num. 26. Negativa, vel ambigua an faciant Sponſalia valida? Deciſ. 16. num. 35. & 36.

Veritas deeſt in Aulis Principum. Deciſ. 10. num. 48. Quomodo inquirenda à Confeſſario exequente Litteras S. Pœnitentiariæ? Deciſ. 40. num. 25.

Vicarius Generalis Epiſcopi validè aſſiſtit Matrimoniis. Deciſ. 35. num. 7. Non etiam Foraneus. num. 8.

Vinculum Matrimonii conſummati indiſſolubile. Deciſ. 2. num. 9. & Deciſ. 7. num. 23.

Vir an invitus cogi poſſit ad copulam carnalem. Deciſ. 7. num. 19. Quidam. qui habuerat Uxores viginti. Deciſ. 29. n. 38.

Virgæ virilis imperfectiones aliæ ex defectu, aliæ ex exceſſu. Deciſ. 32. num. 22 & 23.

Virgines in Lege Moſayca educatæ in Templo; Caſtitatem tamen non vovebant. Deciſ. 3. num. 9. & 11. In Lege Evangelica aliæ morantur in Monaſteriis, aliæ in paternis domibus. Deciſ. 14. num. 18. Plures à Chriſto miraculosè deſponſatæ. Deciſ. 16. num. 45.

Viricidium an impediat Matrimonium? Deciſ. 37. num. 27.

Vis, & Metus quando reddat Sponſalia nulla? Deciſ. 16. num. 26. 28. 29. Et quando dirimat Matrimonium? Deciſ. 27. per totam, in qua plenè de Vi, & Metu.

Umbilicus Infantis quomodo ab obſtetrice abſcindendus? Deciſ. 32. num. 21.

Unionis beneficiorum genera duo; & quæ? Deciſ. 35. num. 10.

Unus tantùm Patrinus, vel unus, & una admittendi ad Fontem. Deciſ. 23. n. 23.

Voluntas declaratur vel verbis, vel facto. Deciſ. 11. num. 26.

Voluptatis cauſa Conjuges coeuntes an peccent? Deciſ. 38. n. 11.

Voto Caſtitatis adſtrictus ſi diſpenſatus nubat, ac deinde viduus remaneat, An iterùm poſſit nubere? Deciſ. 40. n. 37.

Votum Virginitatis perpetuæ DEIPARA prior emiſit. Illud S. JOSEPH manifeſtavit, & obſervandi fidem accepit. Deciſ. 3. num. 6. 20. & 21.

Votum Caſtitatis an ſolvat Sponſalia? Deciſ. 17. num. 18. 19. Ejus ſignificatio, definitio, diviſio, & quomodo, & quando dirimat Matrimonium. Deciſ. 21. per totam, ubi plenè. An ſuper eo Papa diſpenſet? Deciſ. 28. num. 19. Quando, & quomodo ſimplex impediat Matrimonium. Deciſ. 37. à num. 16. & ſeqq.

Urbani Papæ VIII. diſpenſatio Matrimonii rati. Deciſ. 15. num. 36. Ejuſdem pro Patruo, & Nepte. Deciſ. 22. num. 36. Ejuſdem Bulla contra Polygamos. Deciſ. 29. num. 35. Ejuſdem denegata diſpenſatio Duci Mantuæ in primo gradu Affinitatis Lineæ rectæ. Deciſ. 31. num. 42. & 45.

Uſus rationis in pueris quo anno præſumatur. Deciſ. 12. num. 19. Conjugii an ſit actus bonus. Deciſ. 38. num. 1. & 6. Circa illum quot conditiones ſervandæ. ibid. num. 14. & ſeqq.

Waldrada cælitus punita; & cur? Deciſ. 16. num. 44.

Wiclefii error circa Copulam Matrimonialem. Deciſ. 2. num. 15.

S. Walmarius ob diſſoluta Sponſalia fit Religioſus. Deciſ. 17. num. 27.

Uxor per vim cognita à Marito intra bimeſtre, an ingrediendo Religionem ſolvat Matrimonium? Deciſ. 7. num. 17. & 18.

Uxores Hebræorum repudiatæ alteri nubebant. Deciſ. 9. à num. 14. & ſeqq. ubi de eis plura. Plurium infidelis converſi, quam teneri debeat. Deciſ. 12. à num. 10. & ſeqq.

Uxoris licentia neceſſaria, ut Maritus Ordines Sacros ſuſcipiat. Deciſ. 28. à num. 6. & ſeqq. Adulteram occidere non licet. Deciſ. 37. num. 26.

Uxoricidium quando impediat, & quando dirimat Matrimonium? Deciſ. 37. num. 25.

Z.

Zacchiæ Medici doctrina de modo naturali coeundi. Deciſ. 38. num. 22.

FINIS.

Th
914a